JOHANNIS FREDERICI GRONOVII

IN

P. PAPINII STATII SILVARUM LIBROS V.

DIATRIBE

AD

TH. GRASWINCKELIUM

Equitem & JC.



HAGÆ-COMITIS,

Ex Officina THEODORI MAIRE.

CIƆ IƆC XXXVII.

Illuſtri ampliſſimoque Viro,

THEODORO GRASWINCKELIO,

Equiti, Jureconſulto, in utraque Curia, quæ eſt Hagæ, Advocato,

PROMPTO ARTIBUS EGREGIIS ET PARI FAMA,

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

QUæ ad P. PAPINII STATII SILVAS nuper commentabar, ea, quod tibi mihique & poſteritati bene ac feliciter eveniat, ſola amicitię & meriti ratione ducta, tibi & ſacrato nomini tuo, Juris atque Juſtitiæ Sacerdotis, rite doq; dedicoq;, inclite GRASWINCKELI. Cujus facti tantum abeſt ut colorem quęram, ut ultro etiam quod non citius me voto exſolverim, excuſandum cenſeam. Quemadmodū enim primo inde congreſſu noſtro dextris datis omnem diem occupaſti, quo te inſpiciendum mihi dares, meque in

vicem nosceres: ita ego in admirationem decorum tuorum raptus nihil impensius curandum duxi, quam ut certum tibi facerem, etiam hoc ab homine te intelligi. Nam quid ego de regina scientiarum, ęqui & boni arte, dicam, cujus præcepta sic meditatus es, sic quasi in numerato habes, ut inęstimabili quadam ingenii alacritate respondeas facilius, caveas promptius, quam alii quamvis pręstantissimi consuluntur? Sępe equidem hæc me cogitatio incessit, quoniam tantum a majoribus recessimus, ut cum illi non legibus magis quam moribus jus æquumque colerent, nos legum multitudine ceu nebula circumamicti ipsas (non modo jus, quod etiam latius patet) ignoremus; divinos habendos esse, qui ipsas leges velut in ordinem cogerent, & infinitas illas ambages scientia & usu comprehenderent: sanctos vero & humani generis delicias, qui hoc societatum conservandarũ ferrumen suum jus cuique diligenter & provide tribuerent: sapientes denique, qui ita subtilitatẽ veritati adderent, ut non diu suspensis aut ambiguis, sed brevissima via & acquiescentibus pulcherrimũ hoc donũ mortalibus darent. Quę omnia quanta felicitate conjunxeris, animadvertere, quã dicere proclivius. At hinc

certe

certe non una tibi magnorum clientium gloriosa cohors, qui durissima tempora sua per te sustentata, detractas sibi sordes tua religione & meritum patriæ conservatum fatentur. cui frustra domi bellique se impendissent, nisi pro premiis ipsorum justitia atque fida ejus ministra vox tua sepe militaret: atque efficeret, ne quos viros fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi non parcerent, hi non ad reipublicę gloriam, sed ad judicii alicujus crudelitatem servari esse viderentur. Sed quid attinet, unum quantumvis maximum in laudibus tuis efferre, cum tam multæ sint, quæ ab hac ut principe ducantur; immo nihilo segnioribus passibus emicent, & invidentes emulæque interdum vincere cogitent? Sane civilis illa Prudentię & Gentium Juris cognitio, quam ex sapientium sanissimis monitis ac veteri recentique, quacumque illa se porrigit, historia perceptam conditamque habes, quid tandem sui agnoscit, quo illa deterior aut vilior existimetur? qua non parte augustior sublimiorque est? Nam illa privorum hominum, hęc totarum gentium dignitatem speculatur: quod illa civitati prestat, hęc plurimis imperiis: cumque illa civem virumque bonum faciat, hujus gnari, pro-

greſſi ultra priſcorum heroum audaciam; qui patriam ſuam mundo definiebant, non omnis loci modo, ſed omnis ævi cives ſe profitentur. Qualis perfectio cum a nemine acquiratur, niſi qui ſcriptores, qui omnem ætatem chartis explicuere, nocturna diurnaque manu verſaverit, qui rurſum ſine Eruditionis, quam vocant, ſeu literarum adminiculo non intelliguntur; adeo ſufficienter graviſſima ſtudia amœnitatibus illis miſcuiſti, uti inter doctiſſimos quoque homines, qui vitam in umbra & literario ocio conſumpſere, exemplum ſis. Atque hanc diverſiſſimarum rerum conſummatam ſcientiam, hunc ingenti doctrinę flumine inundatum animum ſex ut minimum ſeptemve linguis explicas: eo decore & facultate, ut ſiquidem cordi tibi eſſet principis vatum gloria, cujus natales ſeptem urbes diripiunt, totidem patrias facile tibi probarent; eo memoriæ obſequio, ut quaſi e promptuaria cella diſpenſator, qui foros & loculorum diſpoſituras diuturno uſu familiariſſimas habet, ſine ulla dubitatione, quæ lubeat, exhibeas. Tam longo intervallo poſt tergum tibi relinquitur immodica ſuorum oſtentatrix antiquitas, quę Rudium hominem, magnum ingenio, arte diſparem, quod tri-

plici ſermone linguam imbuerat, tricordem nuncupabat. Sed enimvero cum propius te inſpicio, & velut e ſpecula illas dotes tuas contemplor, his omnibus partim naturam partim induſtriam tuam te inſtruxiſſe crediderim, non tam ut magnus eſſes, ut egregius, nec tibi fama mentiretur; quam ut augusto operi DE LIBERTATE VENETA, cui in Æternitatis poſtibus dedicando natus videris, ſufficeres. de quo tum demum verum judicium fecerunt illuſtriſſimi Patres, ille regum Senatus & Romanæ magnitudinis imago, cum majora eſſe merita tua, quam ut vicem accipere poſſes, cenſerent. Dignus tamen profecto vigiliis tuis honor, faſtis ſcribi perpetuis inter ingentia nomina, quorum virtute Sereniſſima illa Adriæ pacta ſponſaque tot ſeculis ſtetit, & ad hoc viridis eſt & floris inexſtincti. Taceo quos cum aliis habes communes: in quibus tamen hoc ſingulare & eximium eſt, quod eos non in alienam tibi gratiam, ut peregrino & ignobili vixque illis cognito, qui dederunt, ſed ob jus Libertatis & majeſtatem imperii orbe Chriſtiano inſpectante ad Veritatis tribunal aſſertam & vindicatam magnifici egregii facinoris tui æſtimatores tribuerunt. Sed de ipſo immortali illo monumen-

numento si aliquam judicandi sortem mihi concedis, (& facis, scio:) ita arbitrabar, omne te punctum tulisse, neqûe emendatissimo operi quicquam posse addi: nisi magnificum & tuum, GRASWINCKELI, esset, vincere teipsum, & ubi alii ceu in ultimis subsistunt, ea demum carceres tuos existimare. Cujus rei magnum argumentum cepi, cum nupera admissione curas secundas tuas nobis ostenderes, quibus ut veneratio tua propediem apud literatum orbem augescat, voveo. Ac nisi hæc & similia te attinerent, præter illud studium, quo neque ad utilitatem fructuosius, neque ad dignitatem amplius, neque ad notitiam hominum illustrius excogitari posse ait Rhetor, irasceremur sępe tibi, quantum amantes irascuntur, quod Poëticis lusibus mentē laxare fastidis: cum in versibus paucis tuis, qui aliud agenti exciderunt, & inter amicorū manus versantur, nec magnos sensus, nec sentētias fortes, nec voces a plebe summotas, nec deniq; furorē illū vaticinantis animi quæramus. Sed quantū video, contrahenda mihi spatia sunt, ne si in hoc campo laudum tuarum exsultem liberius & omnem impetū effundam, defectus prius exhaustusq; anhelē, quam metam oculis longissime missis dimetiar. Nam si ad

virtu-

virtutes tuas & vivendi modum processero, & ea, per quæ adeuntibus major es, ut in altissima crepidine destitutus & vertigine caligans, quid primum, quid postea arripiam, ipsa copia me impediente nesciam : nihil denique efficiam, nisi ut fatear tandem fidem mihi factam veteris sapientium decreti, virtutes omnes connexas copulatasque esse; illos, qui nunc hac, nunc illa gloriantur, simulacra rerum honestarum & effigies habere, aut saltim inter initia hærere. Jam fortunam & genus (quæ quantavis oratio esse posset) ceu non tua hic percensere me ipse prohiberes; non quod contemneres, sed quod infra te posita recte judicares : etsi & hoc imaginibus exemplisque præclaris insigne, & illam magno animo temperes, singulare documentum, quid sit cum opibus fruendi artem a benignis fatis sortitum esse. Et sic quidem strictim (ut ratio hujus scriptionis ferebat) ego pauca attigisse contentus, quę admirationem tui apud nos conciverunt, munere defunctus videbar, nisi blande me revocaret & extraordinarium prçconium posceret vera tua ac simplex humanitas, & pulcherrima morum gratia, quantam qui oculis non subjecerunt, animis comprehendere non possunt. Quæ cum

omnium caritatem tibi provocat, tum efficit, ut de amicorum conatibus nunquam non jucunde ſentias, atque conſcius meriti tui agnoſcas aliena, neque unquam refrigeres. Quod rarum noſtris temporibus, dum hoc opus invidiæ, hic labor eſt, ut pudorem faciat pervagato illi ſcito Poëtæ ingenioſiſſimi, quo iners eam vitiũ eſſe nec in altos mores exire cenſuit. Mihi niſi exploratum foret alio te ingenio præditum, qui & laudabilibus lubens faveas, nec excuſanda præpropere condemnes, nunquam ita frontem offirmaſſem, ut te chartis meis Tutelam adſciſcerem. De quibus quid dicam aliud, quam eas P. PAPINII STATII SILVIS bene voluiſſe? Et tamen verum eſt, nos deſperata aliquot loca perſanaviſſe primos, obſcuriſſimis quibuſdã lucidam facem extuliſſe, in aliis haud ambiguæ ſanitatis vitium latens deprehendiſſe & correxiſſe, rurſum alios, quos docti & eximii viri ſuſpectos habuerant, aſſeruiſſe & a ſupervacua curatione defendiſſe. Cui enim ſemper lucet? neque vane ego vereor, ne in noſtris quoque legantur non pauca, quæ cerulas illas miniatulas T. Pomponii extimeſcant. Quæ quiſquis indicabit, magnam a me inibit gratiam, atque diſcet, nos ea facilitate,

benivolentia immo, reprehensorem admittere, qua libertate & modestia aliorũ lapsus castigavimus: præsertim si in ipsa reprehensione prudentia cum ἀνδρείᾳ appareat. Qui autem inequitant aliorum erratis, nec cum hisce laudabilia eorundem comparant, in seipsos primi sententiam ferunt, & humanitatem ignoscendi, qua nemo plerumque citius indiget, quam illi ipsi, dum invidia & malignitas eos transversos agit, desperãt. Sed nos quidem ab omni periculo securi sumus, si tu, magne GRASWINCKELI, imperabis tibi, ut patiaris tholis tuis affigi hanc floream corollam, quam quernis aliquando laureisve, si vita & otium suppeditet, mutabimus: eamque ab irrisu & sannis iniquorum (nam invidiam in re tantilla qui sperem?) splendore nominis tui defendas. Ego famam tum putabo meruisse, cum tua me amicitia posteritati commendaverit.

Sic ubi magna novum Phario de litore puppis
Solvit iter, jamque innumeros utrimque rudentes
Lataque veliferi porrexit brachia mali,
Invasitque vias; in eodem angusta phaselus
Æquore, & immensi partem sibi vindicat austri.

Vale. Hagæ Comitis, a. d. XVIII. Kal. Majas. A. C. CIϽ IϽC XXXVI.

Præclarissimo Iuveni,

JOHANNI FREDERICO GRONOVIO,

cum Sylvas Statii, & quæ in eas annotasset, nobilissimo Viro,

THEODORO GRASWINCKELIO

inscripsisset.

Dulcibus in ripis Musarum eductus & antris,
Quanquam exul, patriæ nunc quoque fama suæ,
Dum sylvam simul, Haga, tuam vatisque pererrat,
Qui coluit sylvas, Parthenopea, tuas,
Illustrat tristesque abigit Gronovius umbras,
Et fœdam lolio deside purgat humum.
Iamque erat, ut Phœbo, Phœbeo concitus œstro,
Et sic conceptum, rite dicaret opus.
Postponi doluit se Graswinckelius illi,
Rivalis docti, non minor ipse, Dei.
Nec male, Gronovi, Batavus præfertur Apollo,
Quæque hic nata tibi, vindicat Haga sibi.
Nec male, qui tantos meruit fecitque clientes,
Patronus Musis incipit esse tuis.
At tu, qui toties dicendi flumine cives
Servasti, prisco dignus honore, tuos,
Cujus inexhausto dum curia pendet ab ore,
Ipsa tuis jam se sentit adesse reis,
Accipe nunc Sylvas. e queis tibi querna corona
Texitur, autori laurea serta tuo.

D. HEINSIUS.

In Diatribam Papinianam

charissimi sui

GRONOVII.

VT nova Gronoviis sibi surgere gaudia curis
Inter semideos properosq; urgentia fastos
Nomina siderea spectavit STATIUS *arce*
Obstupuisse ferunt. Nimius sic luminis ignis
Quodve ruit scissa jaculatum fulmen ab æthra,
Attonitas lapsu rapido præstringitur orbes
Et nictare jubet. Sed ut intemeranda subacti
Pignora judicii, tot sphalmata victa, graviq;
Debellata manu, tot in uno corpore nevos,
Tot simul errores docto cessisse labori
Vidit, & innumeras veri sub imagine mendas;
Tum vero exultans, tum celsior omnibus heros,
Qualis erat quantusq; olim, cum tristia fratrum
Prelia, cum diro funestas sanguine Thebas
Scriberet, atque Ithaci Peliden arte retectum,
Alcidem jubet esse procul, fassusq; minorem
Iam sibi Phœbigenam. Quid enim, fortissime, dixit,
Respicis & stabuli memoras purgamina vestri,
Quidve exanclatos sub iniquo rege labores?
Sed neq; quod tristis risit dispendia leti
Virbius, & functos animam repetivit in artus,
Tanta molis opus. totum medicamina Phœbum
Spirarunt: totum virtus Tirynthia patrem
Hunc, regemq; patremq; Deum. Quot monstra sceleste
Pertulimus? quotiens penitus vitalia demens
Barbarus eque schola grediens fanaticus umbras
Appetiit? quotiens lacerum crudeliter ora,
Ora, manus, totum nullo discrimine corpus
Sensi, eheu! quotiens levibus suspiria ventis

Tra-

Tradita nostra dolet. Longe solamina, Phœbe,
Vestra. Loquuturum sed plura benignus Apollo
Excipit, & roseo sublimior ore profatur:
Gnate, mei pars sacra chori, nil fundere verba
Attinet, indignis me pulsatura querelis:
Irarum satis est. Equidem si vulnera, sicas,
Atq; infelici quicquid signavit obelo
Infrunita manus per fasq; nefasq;, tulisse
Tam grave; si nulla potis es ratione moveri:
At subeant animos, dio que percitus æstu
Plurima victuris in postuma secula chartis,
Vno sed stimulos me sufficiente, dedisti.
At neq; magnorum sic se premat ira Deorum,
Vt Superos ingrata petant, inimicaq; vulgi
Murmura & insanos vacet admisisse susurros.
Adspice Mæoniden, & quicquid doctior Hellas
Contulit Ausoniis nutrix gratissima Musis:
Adspice & Ausonias, totiens tua Numina, Musas.
Haud sincera ullis manet olim gloria scriptis.
Quid tamen ista moror? neq; Iupiter omnibus idem
Creditur, aut meritis eadem stat gratia nostris.
Ille meus, oculis quem nunc male cernis iniquis,
Qua tulerit, satis ipse tenes. sed & ista fuere.
Qui (Styga nec cuiquam fatum temerabile Divum
Invisasq; attestor aquas) qui proditus ordo
Alter ab integro est, stat nullo mobilis ævo,
Nulla lege minor. Dicat Maro: dicat & ille,
Qui teneras mulcet numerosus Horatius aures,
Quemq; juvat domina non erubuisse Corinna.
Non minus indignis aveant latuisse tenebris,
Quam bardos blennosq; & neq; & nomine fungos
Tam tolerasse diu. Studiis modo fœta renatis
Vltima Scaligeros quandoq; reduxerit ætas.
At nunc ista procul. Quantum hic supereminet omnes
Heinsius, ille sui decus ordinis, ille meorum

Primus

Primus,& edomitis ex quo sapientia bardis
Sustulit alta caput, vestrorum assertor honorum,
Infractus felixne magis? si docta Gevarti
Pagina jam valuit pridem placuisse, Papini,
Calcatisq; dedit lucem sperare tenebris,
Non minima nunc laude tumes. Sed debita Phœbo
Munera donanti, qua par est, assere Phœbo.
Huic Aganippæos ego prodigus ipse liquores
A teneris haurire dedi. simul ubere cornu
In pia fœcunde stillarunt pectora Musæ.
Charus & ipse Deis. neq; cum novus incola cœlo
Augustis heroum animis permixtus ab alto
Despiciet rerumq; vices terrasq; relictas,
Vllo se tantum chorus his jactabit alumno.
Dixerat. In partes certatim cuncta secundas
Numina concedunt: posita Tirynthius ira
Hunc socium sibi sciscit ovans: Phœboq; libente
Gaudet & ipse suis Epidaurius esse medelis
Plura, quibus fluxæ redeant a funere vitæ.

T. GRASWINCKELIUS.

In Sil-

In Silvas Statii Papinii,

ſive Diatribam Statianam

Cl. V. Frederici Gronovii.

Nomen Gronovii *Batavis viridantia ſignat*
Et Tempe & ſilvis arva venuſta ſuis.
Quam bene! qui Silvas nunc eluit ecce PapinI,
Et decus arboribus donat habere ſuum.
Inſerit hic quædam, quædam ſimul amputat, & quæ
Horrida ſquallebant, hæc quoque luce beat.
Nonnullas etiam meliori ex ubere fruges
Adſerit, ac illuc lætius ire jubet.
Quis virides iſtas Pindi de vertice palmas,
Non ſecus ac nomen, ſingula lecta neget?

Joh. Isacius Pontanus.

Ad cla-

IN STATIUM
a
JOHANNE FREDERICO GRONOVIO
emendatum.

Statius æterna jamdudum nocte sepultus
Et deplorato vulnere læsus erat.
Roma suum neglexit opus; tantiq; Poëtæ
Immemor, infestas intulit ipsa manus.
Congessit natura suas pro vulnere vires,
Et prope sub tanto pondere pressa fuit.
Gallia succurrit, succurrit Belgia vati,
Et medicus quivis deficientis erat.
Nil intentatum pietas, nil liquit inausum,
Inq; novum vulnus ingeniosa fuit.
Gronovius tandem vati, dignissimus illo,
Non exspectatam contulit autor opem.
Vulnera detergant alii. tibi Statius ultra
Debet, & ingenio spirat, amice, tuo.
Suspicit externas regina Batavia curas,
Unica quæ tanto digna labore fuit;
Devotasq;, Hamburga, tibi nunc publicat artes;
Et libertati vindicat ipsa tuæ.
O pietas invicta animi! post funera Romæ
Servati Teuto gloria vatis erit.
Audiat hoc Orbis, vatiq; domestica tellus,
Et civem agnoscat terra Latina suum.
Plus patria potuit pietas. nunc Roma renata
Hosti devinctam se videt esse suo.

NICOLAUS HEINSIUS D. F.

Ad clarissimum Juvenem

JOHANNEM FREDERICUM GRONOVIUM,

Civem suum,

Cum diatribas aliquot eruditissimas in Statii Papinii Silvas ederet.

HActenus a vulgo, frater dilecte, remotum
Asseruit studiis dulcibus alta quies.
Blandaq; Lugdunum cùm pulchra dividit Haga
Ingenii dotes deliciasq; tui.
Post procerum plausus monstres tua nomina mundo.
Area virtuti latior inde patet.
Magna secuturæ designans omina laudis
Statius, in famam nobilis autor, adest.
Posteritas tanti referens præconia vatis
Enumeret titulos adjiciatq; tuos.
Si capit insignem virtutem, quicquid habebis
Nominis, apponat patria nostra sibi.
Sin minus, & laudes inscitia despicit illas,
Invidiam satis est promeruisse tibi.

VINCENTIUS FABRICIUS.

LECTO-

LECTORI.

NE ignores, quibus præcipue adminiculis veterum librorum, & quorum gratia usus sim, utrorumque hic tibi indiculum ponam. Excerpta MSC. chartacei Florentini accepi a Fr. Lindenbrogio. Excerpta MSC. Senensis Jos. Scaligeri manu ad oram codicis sui notata a G. Jo. Vossio. Editionem Romanam, quæ prodiit a. CIↃ CCCC LXXVI. Aldinamque ab eodem. Editionẽ Venetam anni CIↃ CCCC LXXXX ab D. Heinsio. quam fallitur Bernartius, cum principem putat. Adhuc autem aliam exstare Venetam videntur velle Papinianæ Lectiones Gevartii. nam quod ille ex Veneta editione citat, in hac non reperitur. J. Gruteri in Silvas notas, una cum excerptis ejusdem ad Thebaida & Achil. concessit nobis Suffridus Sixtinus, cum hæc nostra absoluta jam essent. nec illa ad Silvas profuerunt multum, Erant enim ab admodum adolescente scripta ad primam Bernartii editionem, cui ille brevia scholia in libros Silvarum adjecit, tertio demum anno post commentario in eas publicato. Plerosque ejus errores notabant, aut ὑπομνήμασι textus emendabant: quæ nunc aliis dudum occupata. Pauca ergo exinde, quæ famã summi viri decere visa sunt, prompsimus & nostris interjecimus. Reliqua talia erant, ut lectorem non nisi candidum & excusaturum requirerent. Nec quisquam, puto, mortalium adeo infrunitus est, ut omnia juvenilia, quæ cruda & cogitanda sæpe in chartam conjiciuntur, publicari aut malignis oculis, quæ major pars est, exponi velit. Colinei item &

Gryphianam, quas ipſe amici opera comparaveram, adhibui. Niſi mentiuntur Francfordienſes catalogi, exſtat & editio J. Barclaji cum ejuſdem notis, & alia ex recenſione Philippi Parei. Etiam veterem Lutetianam allegat Morellus. In his ſi quid noſtrorum occupatum eſt, excuſari nos volumus, qui nulla cura eas potuimus hic nanciſci. Sed illis præſtantiſſimis & laudatione mea majoribus viris ut multũ debere hoc aliiſque nominibus profiteor, ita virtutes eorum & hic & ubique digno præconio æſtimatas velim. Quos alios, ubive & per quos inſpexerimus, omitto: ne aut te obtundam, aut vanæ ambitionis ſpeciem præbeam. Hoc habe, ſumma cum diligentia me eos contuliſſe, cum religione & fide optima citare: an prudenter, tuum judicium eſto. Nihil denique egi turpis lucri (quod his ſtudiis non quæri ſciunt paraſitaſtri quidam parvuli, qui cum omni æruſcandi genere ſe ſaginarunt, & lacrimas miſerorum & ſanguinem quotidie in digitis componũt, bonis viris modicas & honeſtas opes, & Criticam nec Cereri parandæ facilem nec Lyæo ceu probrum objiciunt) aut inanis oſtentationis gratia, ad quam prorſus ineptus ſum: ſed mente omnia ſimpliciſſima, & publici boni juvandi cupidine. Oraculum enim mihi illud ſapientiſſimi vatis, cujus ſingulos verſus ſingulas ſententias dicebat incomparabilis vir & conſul:

Ει γὰρ λαβὼν ἕκαστος, ὅ, τι δύναιτό τις
Κ αλὸν, διέλθοι τοῦτο, κ' εἰς κοινὸν φέροι
Πατρίδι, κακῶν ἂν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
Πειρώμεναι τὸ λοιπὸν εὐτύχοιεν ἄν.

Quod ſi gratum fuerit hoc diligentiæ meæ teſtimonium, plura ejuſcemodi non in Papinium

modo,

modo, hoc eſt, in Silvas & reliqua ejus opera, ſed alios quoque antiquos ſcriptores, cũ otium ſuppeditaverit, & alia ſtudia remiſſionem dederint, tibi recipio. Hoc enim πάρεργον παιδιᾶς eſt, & quidem ſubſicivarum horarum. ſed (ne erres, & nos incuriam jactare putes, quod qui faciunt, verius interdum loquuntur, quam exiſtimant aut velint) annum ipſum intra penetralia continuimus, varie lambimus hunc fœtum: quoties licuit, auximus, minuimus, interpolavimus. Nunc exſpecto, ut repente exiſtat a machina magiſter aliquis, qui cenſorio ſupercilio dictet, debuiſſe nos lectiones noſtras juxta Horatii monitum in nonum annum premere, nec emittere prius, quam provectior ætas nobis maturitatem judicii attuliſſet. aut ut prodeat alius declamator, qui dicat vitalia nos autorum petiiſſe, quia veteres codices cum delectu audimus, & pro correctorum quiſquiliis rationem nobis ſuam, quam nullam habet, obducat. Nec deerunt proxime hos funem ducentes, tertium genus, barbari & contemptores humanitatis & literarum: qui veram eruditionem Grammaticam appellant, & incorruptos illos ſanę ſapientiæ magiſtros, Græcos dico & Latinos ſcriptores, pædagogiis delegant. qui niſi animam pro ſale haberent, nunquam eo procederent inſolentiæ, ut cum ipſos cruda ſtudia ad caninæ facundiæ rabiem aut aliam quæſtuoſam artem appellere coëgerit infelicitas ſua vel auri ſacra fames, malum morem ſuum omnibus pro lege eſſe cuperent, & præſtantia quævis ingenia in eundem imperitiæ ludum damnari. Sed ejuſmodi graculorũ cenſiones, quibus nec ciccum ſuum Plautus, nec nauci Afranius mutaret, facile

cile elevamus: nec tam humili sumus animo, ut cum illa natione, nisi quatenus publicum bonum & antiquitatis majestas & posteritatis cura jusserit, vel sustineamus componi. Fruantur insania sua: Bacchæ bacchanti adversari est jurare in eadem orgia. Apud æquos & sanos judices Accio idem quod Titio jus erit: & ab his nescio, laudari malim an reprehendi & erudiri. Longa enim hæc via est, & multis itur ambagibus: ad quas eximendas nos pauca & tenuia contulimus, alii magna & admiranda, quorum, ut Æneidos Thebais, vestigia longe sequimur & semper adoramus. Nunc concludam cum pio Fulgentio, magis ex animo quam eleganter: *si quid in hoc opusculo dictum sit, quod placeat & sufficiat, vel si non sufficiat, saltim placeat, non est meæ indigentiæ, sed divinæ sufficientiæ: si quid vero ita dictum fuerit, ut nec sufficere tuo possit desiderio nec placere, non est sufficientiæ divinæ, sed meæ indigentiæ.* Vale, amice Lector, & docentem ama, errantem doce.

J. FRE-

I. FREDERICI GRONOVI

IN

P. PAPINII STATII SILVAS

DIATRIBE

AD

TH. GRASWINKELIUM

Equitem.

CAPUT I.

Ad vexatissimum Statii locum variæ doctorum coniecturæ. Partes. Ire castris pro ex castris recte dici. Pompeius Magnus. Magnus etiam Cæsar, immo maior illo devicto. Manilius illustratus. Cognoscere. Tacitus defensus. Minor. Senecæ & Tertulliano lux. Domitiani arrogantia. Ire alicui, pro ad aliquem.

EQUUM MAXIMUM DOMITIANI, munus ipso magni Senatus & populi majus munere, præstruxit merito SILVIS suis P. PAPINIUS, sublimis & excitati spiritus Poëta & verissimus sui æstimator. Non poterat aditus augustior dari, neque qui majorem interioris luci religionem promitteret, hoc carmine, cujus majestatem præter ipsum atque paucos ejus amicos, credo, nemo intellexit. Quare bonum factum, quod eruditissimi homines, quibus curæ, ne quid profuturum seculis lateat, pro se quisque allaborarunt; uti ea, quæ adi-

tum cruciabant, conservata tamen sanctitate, faciliora redderentur. Quibus cum studium suum gratissimum apud nos sit; tamen quoties lucidiorem facem præferri Statio & hic & passim in Silvis optaverimus, existimabunt illi, qui ad obrussam revocabunt, quæ post eos dubitata nunc prodimus. Omnis autem disputatio nostra contra præstantia sæpe hujus ævi decora, plerosque amicos nostros, optime de literis meritos, instituitur, οὐχ ὥστε ἀφελέσθαι τὴν δόξαν αὐτοὺς, ἀλλ' ὥστε τὸ ἀληθὲς ἐκμαθεῖν πειρᾶσθαι. Eque maximo Domitiani:

Discitur e vultu, quantum tu mitior armis,
Qui nec in externos facilis sævire furores
Das Cattis Dacisq; fidem. Te signa ferente
Et minor in leges iret gener & Cato castris.

In postremo versu plus quam seculum est, quod eruditissimi & maximi homines ingenia fatigarunt: ut pronunciaverit non sine causa Gevartius, vir amplissimus, in multisque bene de Statio meritus, sententiam adeo intricatam esse, ut Sphyngis quæstionem superet. Quod manifestius erit, si interpretum opiniones quasi per saturam conlectas hic proposuerimus. Domitius Calderinus ita interpretabatur: Si tu fuisses dux in Cæsareanis castris, Pompejus in fædera tua veniret, Catoque abiret ex castris: quod non fecit victo Pompejo, conatus reliquias Pompejanas colligere & comparare in Cæsarem. Quod displicuit quidem A. Politiano, ab I. Parrhasio autem refutatum est, qui hanc Statio tribuit mentem: si tuis auspiciis gestum esset bellum civile, si Julij Cæsaris personam sustinuisses, Pompejus inferiorem se gere-

ret, multumque de dignitate sua remitteret, & iniquas etiam conditiones a te oblatas acciperet, quod offerente Julio non fecit: ultroque Cato veniret in tua castra, nec turpe duceret sub te stipendia facere. Post hunc notavit F. Morellus: *iret in leges*, ὑπήκοος, ὑπὸ νόμον εἴη. *Ire in leges* quod sit, declarat ipse Cæsar in concione Diviconis: *si popul.Rom.cum Helvetiis pacem faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros, ubi Cæsar eos constituisset*. At *pars* Cæsari non ita ut *Partium dux*, *Fortuna partium* alibi: sed pro regione, ora, accipitur uti τὰ μέρη Græcis. Utique ille inter scriptores Historiæ Augustæ negat, *terrarum ullas partes nostrarum ab Imp.vel Cos. hosti concessas.* Eutropius de Ioviano: *multatus finibus & nonnulla Rom. Imperii parte tradita: quod ante eum annis mille centum & duobus de viginti fere, ex quo Rom. Imperium conditum erat, numquam accidit.* Hoc tralatitium est. Parrhasij explicationem hactenus probat C. Gevartius, ut *ire castris* potius in castris putet esse Statio, quam ex castris, quemadmodum *ire polo, ire ducem bello*. Quasi non lib. VIII. Theb. *Ogygijs it sorte Creon.* Imitatione Maronis, cujus illud:

It portis iubare exorto delecta iuventus.

Hujus quidem cura & elegantia dignum est, quod duriusculum sibi videri ait, ut τὸ *iret* semel tantum positum ad duas constructiones sensusque detorqueatur diversos: id quod in hac sententia faciendum esset, hoc modo: *gener minor iret in leges & Cato iret castris.* Sive ut clarius dicamus: *gener iret ad leges accipiendas, Cato autem esset in castris.* Nam *ire polo* non est ire ad polum, sed ire, esse in polo. Non profecto aures Sta-

tiano melle imbutæ hoc ferent. Ergo Gevartius ita orationem evolvit: *gener & Cato castris minor*, id est, potestate & imperio, *iret in leges*. Ut sensus sit, Pompejum & Catonem vexilla Domitiano submissuros cessurosque fuisse. Sed nec hoc placere potest. Illud *castris minor* præter mentem phrasinque nostri est. Primo τῷ *minor* alluditur cognomentum *Magni*, quod soli sibi vindicabat tributum Pompejus, invidebatque aliis, quippe qui parem ferre non sustineret. At Cæsar virtute & fortuna victor, (quod non expectandum fuisse Domitiano, qui ante experimenta talia id meruisset, innuit autor,) demum magnus, immo major agnitus est. Manilius lib. IV.

Quis te Niliaco periturum litore, Magne,
Post victas Mithridatis opes pelagúsque receptum,
Quum iam etiam posses alium cognoscere magnũ,
Crederet, ut corpus sepeliret naufragus ignis.

In cujus loci quarto versu mire aqua hæret nobilissimo viro lib. XVIII. advers. c. XVIII. Quem primo ejiciebat, ut spurium infartumque a sciolo, qui post tres orbis partes nominatas quartam ignoratam veteribus adjiciendam censuerit: Aut explicabat: cum regnare velut posses, modo non inviderès parem Cæsari gloriam. Vel comparari putabat Pompejum Alexandro, qui prior Magnus appellatus, quod orbem, ut Pompejus, emensus esset. Denique corrigit, *possent*: explicatque: cum tanta rerum tuarum gloria esset, ut mutata etjam fortuna nemo te non posset cognoscere. Quæ exagitare nec operæ nec moris nostri est. Manilius dicit hoc gravare Pompeji fortunam

&

& pæne supra fidem esse, aut certe inexpectatum, post tantas res gestas, Niliaco litore, periturum Pompejum, & tum, cum ipsa re evictus fateri cogeretur & agnosceret alium præter se magnum. Apud Lucanum Domitius ad Cæsarem:

Non te funesta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Cæsar, generoque minorem
Aspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo.

Qui scilicet nondum cum Pompejo ejusque partibus transactum esse putabat. Plinius post percensitas Pompeji res gestas de Cæsare; *qui maior illo apparuit. Cognoscere* est agnoscere. Livius lib. XXIV. *Præda omnis (præterquam hominum captorum) militi concessa est. Et pecus exceptum est, quod intra dies triginta domini cognovissent.* Tacitus lib. I. Hist. *Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu, vel cognoscendi pudore.* Ubi frustra Lipsius & Pichena substituunt *agnoscendi*. Deinde *minor* absoluto sine apposito auferendi casu persæpe usurpatur Statio, ut pigeat exempla advocare. Ita, *animas sæpe exaudire minores Dicuntur.* Item: *ego rite minor, semperque secundus.* Et: *sexus oblita minoris.* Ita: *accedit domino tutela minori.* Et *mensæ minores*, quas μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας celebrat Iupiter. Sic in Hercule Oetæo: *Tela mittet jam dextra minor.* In Thyeste sic *maior*:

Ne succedat avo deterior nepos,
Et maior placeat culpa minoribus.

Maior, nempe, quam avo placuit. Si enim deterior nepos, superabit scelere avum: major ergo ab eo culpa metuitur, quam in avo visa est. Elegantissime. Intempestivus derisus & corre-

ctio illustris viri: *maiorum & placeat.* Non aliter Tertullianus in libro de spectaculis, Pompejum vocat *solo suo theatro minorem:* non ut contrarius sit sensus illi in Epulo Dom: *Æthereo & tantum domino minor:* ut allucinatur Cruceus: sed per theatrum propterque arcem illam turpitudinum *minorem* est, non magnum, vel non tam magnum, quam esset, si nunquam id munus effecisset. Ut in de Pallio: *Habes igitur ex isto fomite æstuantem magnum regem, sola gloria minorem.* Sic etiam Papinius *generum minorem* dixit, pro non tam magnum, quam te, Cæsar Domitiane, ultro esse vellet. idque soli Pompejo datur, non communicatur cum Catone. Omitto quæ præterea incommoda sunt, arguuntque defectum verborum & sensuum, venamque gracilem ac in metri legem nimis adstrictam: quæ facilitatem copiamque Statij minime decent. Ipse hoc vidit Gevartius: quare manum dat conjecturæ maximi viri:

Et minor in leges iret gener & Cato nostras.

E. Cruceus repetit sententiam Parrhasij: ut *ire in leges* dictum sit, quemadmodum *ire in partes*; *ire castris*, ut *ire polo:* concedere autem ait Grammaticos poëtis, quod oratoribus forte non condonarent. Ipse tamen ne nihil novi adferre videatur, conjectat: *in leges iret gener & Cato iustas.* C. Barthius ad Claudianum probat explicationem Parrhasii: postea li.XII.adverf.cap.XXIX. ita autumat: Differuntur eruditi, cur Catonem castris in leges iturum Poëta dicat. Certum est, si quemquam, Catonem pertinaciter bellum contra Cæsarem etiam accisis jam rebus suasisse, fovisse & ex parte gessisse. Idem ergo

est

eſt ac ſi *bello* ſcripſiſſet Papinius: Cato bello decederet, & ſub leges iret Domitiani. *Caſtra* pro bello poſuit. In ea re omnis difficultas. At lib. XXXI. cap. IV. *iret caſtris* interpretatur, e mediis caſtris: ſic crebro ablativis uti Statium. Forte: ſed non utique in iſto, quod proxime præcedit, & ille huic comparat: *quantum tu mitior armis.* Denique eodem libro cap. VIII. explicat: Cato cum iſtis vel ex ipſis ſuis caſtris iret ſub leges: non ſolum, qualis jam exercitu ſpoliatus tamen Cæſari parere victori noluit. Leges, quas dicit, innuit Claudianus: *& qui ſub iure negaſti Vivere Cæſareo.* Apparet quidem doctum virum & plurimæ lectionis ambiguum ſe vertiſſe torſiſſeque, nihil autem certi exputaſſe. Ad poſtremum P. Scriverius, cum ira cæleſtis, quæ pleraſque Hollandiæ urbes peſtilenti ſidere urgebat, in agros nos abegiſſet, & identidem ad villam prætoriumq; ejus, cui Wulewicum nomen indidit, viſerem,

moreſque viri pacemque novoſque
Pieridum flores intactaque carmina diſcens:

indicavit mihi legendum ſibi videri, quia verſus perturbatus eſſet:

te ſigna ferente
Et minor in leges gener & Cato Cæſaris iret.

Hoc eſt, ſi Domitianus præfuiſſet caſtris Cæſareanis, & ejus auſpiciis bellum civile geſtum fuiſſet, victis partibus, non ſolum Pompejus gener ſed eo minor in leges Cæſaris abiiſſet & Cato: quod non fecit victo Pompejo: Pompejus ſe minorem profiteretur & victum. Indignum enim Papinio numerum arbitrabatur, *& Cato caſtris.* Ex *caſtris* ergo faciebat *Cæſa-*

ris, modesta, quantum ad apices, mutatione; & τὸ *iret* e medio versu ad finem rejiciebat. Quamquam nec Maro, nec Statius ejusmodi clausulam refugerint. Quid enim fiet illo versu:

Italiam quæro patriam: & genus ab Iove summo.

Statius alibi: *& tua mitis: aut Iovis ignem: nunc mea felix:* & similiter uterque sæpissime versus claudunt. Adeo necessarium est, ut ad morem indolemque veterum castigemus delicatum illud aurium judicium. Neque vero Domitianus arrogantissimus mortalium, ille dominus deusque; qui imputavit, quod imperium tradere patri, quam tenere maluisset: cum nec maximum patrem, nec piissimum fratrem æquo animo supra se ferret, pro Cæsare imperatore mandata signa ferre sustinuisset: quod contra Domitium opportune monuit Parrhasius. Ut propterea credibile non sit, Statium qui adulationes suas Domitiani fastui attemperabat, adeo imprudẽter excidisse, & quem tollere volebat, depressisse. Ne dicam, quod τὸ *minor* interpretatur de partibus victis, & Catoni etiam adjungit. Communis conniventia omnium, quid hunc locum attigerũt, est quod *ire in leges*, sub leges concedere interpretati sunt. Hic est orbis ille, circa quem omnes morantur: de quo ut semel dubitavimus, facile ad veritatem penetratum est. Si tamen tantorum nominum in gratiam militarem veluti viam sequerer, dicerem *ire castris* posteriori voce dandi casu accepta, poni pro ire ad castra. Ut apud Maronem:

It cœlo clamorque virum clangorque tubarum.

Ire sorori pro ad sororem apud Silium Italicum lib. xv.

Ite sorori
(Nam castris erat in Rutulis) germanus amata
Cogitur.

Hæc ergo mens esset: & gener te minor iret ad leges accipiendas ad castra tua & Cato. Sed longe aliam sententiam Papinii fuisse mox patebit: quamquam hoc ultimum omnibus prioribus tolerabilius esse nemo fortassis negaturus sit.

CAP. II.

Origo legum de sententia veterum τῶν ἔξωθεν. Leges custodes libertatis. In libera Republ. Lex imperator. Roma libera legum. Vrbes. Lucanus & Statius illustrati. Fabius correctus. Reges ministri belli civilis. Valerio Flacco lux. Leges pro Imperio, & id administrantibus, seu defensoribus legum. Statius defensus & explicatus. Leges pro Imperio Romano. Silius Italicus luce perfusus. Ister Sarmaticis sedibus coërcitus. Leges, id est, libertas.

APud vetustissimos mortalium jus æquumque non legibus magis, quam natura valuisse, creditum est. Sed postea regna condita sunt ab ijs, qui partim opinione virtutis & moderatæ potentiæ ad libertatem & jus suum cuique tuendum assumpti, partim fastu & vi rudibus ad bellandum populis jugum imposuerũt. Hæc prima omnium æquali libertati ruina incubuit; exinde arbitria regum sequebantur, & jussa eorum aspectabant. Sed cum illa intolerabilia fierent, & in superbiam dominationemque regia potestas vertisset, quasdam inter gentes, quarum natura liberalior, identidem he-

roes exorti sunt, qui cæsis aut potentia exutis tyrannis respublicas vindicarent; vel ipsi successione aut armis regnum adepti ingentibus animis libertatem ultro populis restituerent. Quæ cum magna arte temperanda atque dispensanda esset, (secus, & aliis gravis, & ipsis, qui habebant, effrenata & præceps futura) inventum remedium ad æqualitatem servandam efficacissimum LEGES: quas cascis illis ignoratas apto argumento demonstrat Iosephus lib. II. contra Appionem; quod nempe nusquam earum in toto Homeri opere mentio. De Romanis (nam de aliis gentibus adnotare nimis foret longum) Livius: *Liberi iam hinc populi Rom. res pace belloque gestas, annuos magistratus imperiaque legum quam hominum potentiora peragam.* Sine legibus aureo illo seculo semel deperdito nulla libertas est, nec erit solida. Et pœne verum fecimus, quod sentiebat Archelaus, τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ, ut est apud Laërtium. Ne dicam, quod habet Aristoteles lib. I. ἠθικ. Νικομαχ. τὰ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖ), τοιαύτην ἔχειν διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. *Mens & animus & consilium & sententia civitatis posita est in legibus: hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis est*, ut ait Cicero pro Cluentio. Ut merito a naturali facultate faciendi, quæ libet, exceperint IC. *quod iure prohibetur.* Quod tu nos intelligere doces, amplissime Graswinkeli, in magno opere de LIBERTATE VENETA. In libera ergo republica lex imperium obtinet. Aristotelis Politica nemo legit, qui non plurima huc pertinentia ibidem observaverit. Τὸν

ἄρχ-

ἄρα νόμον ἄρχειν αἱρετώτερον μᾶλλον, ἢ τῶν πολιτῶν ἕνα, inquit lib. III. Sed alios adhibeamus, apud quos hæc non tam ſpiſſa & minus obſervata. Publius:

Ibi poteſt valere populus, ubi leges valent.

Apulejus de mundo: *Quod in triremi eſt gubernator, in curru rector, precentor in choris, lex in urbe, dux in exercitu; hoc in mundo eſt Deus.* Sciendum autem *Vrbis* vocem poni nonnunquam (& ita hic accipi) pro libera republica. Ut Lucano: *vel ſceptra vel urbes Libertate ſua validas.* Hinc illuſtrandum illud Lucani lib. VI. *Felix ac libera, legum Roma fores iuriſq; tui.* hoc eſt, libera fores & tui juris, & ſolas leges haberes dominas. Plane ut lib. IX. jubet Labienus oraculum conſuli:

Iure ſuo populis uti legumque licebit?
An bellum civile perit?

Hirtius de bello Gall. *Fore eo pacto liberam & ſui iuris civitatem.* Errat Fr. Modius, qui conjungit *libera legum*: ut *liber laborum* Horatio, *liber campi* Silio, alibique Lucano *liber terræ*, ut putat. Quomodo *alti gaudentem* Æſculapium Statius dixit in Soteriis Gallici: quod improvide in *altis* mutatum voluerunt. Nec melius eruditiſſimi viri, qui nuper *libera legum*, id eſt, ratione legum interpretati ſunt. Cumulat errorem Modius allegato altero Lucani loco:

At liber terræ ſpatioſis collibus hoſtis
Aëre non pigro nec inertibus angitur undis.

Neque enim *terræ* ad *liber*, ſed ad *collibus* pertinet. *Hoſtis liber collibus ſpatioſis terræ*, i. non obſeſſus, non clauſus, in ſpatioſis terræ collibus caſtrametatus, nec undarum quoque angitur vitio. Quia ergo lex liberæ reipublicæ imperator, ple-

plerumque leges & imperium junctim ponuntur. Sallustius : *Factiosum hominem, advorsum quem neque imperia magistratuum neque leges valerent.* Quintilianus avus decl. CCLXVI. *pœnitentia iuvenilis temeritatis rempublicam legibus ac populi potestati reddidi.* Ita enim scribendum. Vulgo deest, *populi.* Quod in primam syllabam sequentis vocis cum ea coaluit, cum scriptum esset olim: *legibus ac po. potestati.* Ita *leges & rerum habenas* conjungit Claudianus de Nupt. Honor. & Mariæ; *fasces & legum culmina* in Epit. Palladij:

Fascibus insignes & legum culmine fulta
Convenere domus.

Quid mirum? cum vere dici possit, *magistratum esse legem loquentem; legem autem mutum magistratum*, ut Tullius lib. III. de Legibus, ubi mox addit: *cum dico legem, a me dici nihil aliud intelligi volo, quam imperium.* Quare divina est emendatio viri incomparabilis in Lucano lib. VII.

In plebem vetat ire manus, monstratque Senatum:
Scit cruor imperii qui sit, quæ viscera legum;
Vnde petat Romam.

In vulgatos libros *reges* indigne invaserant. Dixerat enim ante:

Non illic regum auxilio collecta iuventus
Bella gerit: ferrumque manus movere togatæ:
Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.

De quibus regibus capiendus Valerius Flaccus lib. VI. Arg.

Romanas veluti sævissima cum legiones
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrimque micant.

Ut desinat aliquando vir nobilissimus docere nos, hic aut *reges* pro ducibus poni, aut *reges* appel-

appellari Imperatores Romanos. Florus *auxilia regum* notare non prætermisit: & centies meminit Lucanus, notissimumque ex Historia est. Ex illis autem intelligetur recte, quod in Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Eia age præclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui castra legant.

Id est, qui toga & sago in republ. potentissimi sint; qui Senatum, qui militem legant. Nam & *delectus militaris milesque legi* dicitur, & *in Senatum allegi*, & *senatus legi, lectioque senatus*. Et *Delecti* pro Senatu apud Sallustium de bello Catilinario, Ciceronem pro Sextio & in Vatinium. Ipsum autem vocabulum legis, unde dictum est, nisi a legendo. Cicero: *eamque rem illi Græco putant nomine a suum cuique tribuendo appellatam: ego nostro a legendo, nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus.* Quo pulcherrime allusit Statius illo suo, *legere leges*, sed ita ut *leges* pro custodibus legum, præceptore æqui & boni senatu, dicat. Et proprio autem & hoc translato significatu bene respondet origini suæ. Ita *leges* & *castra* conjungit in Surrentino Pollii noster:

Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent.

Ubi tamen forum potius designatur. Romana, Aldina, Colinei, Gryphiana *legant* retinent. Quæ nunc vulgo habentur, a conjectura Bernartij, *regant*. Grutero placebat, *tegant*, i. defendant ac tueantur. Verius, quod diximus. Hinc igitur evenit, ut *leges* κατ' ἐξοχὴν pro imperio Romano dicantur, & *leges* eo *proferri*, quo pax Romana. Tacitus: *se tributa ac leges & pro*

umbra

umbra regis Romanum ius victis impositurum. Cum enim provinciæ fierent, jus Prætoris illis reddebatur. Tacitus: *Comagenis Q. Serraus preponitur, tum primum ad ius pretoris translatis.* Et imperatorium jus erat in devictos legum datio. Cicero or. II. de l. Agraria. Ausonius in gratiarum actione: *celebrant quidem solennes istos dies ubique urbes, quæ sub legibus agunt.* Claudianus Paneg. in III. Conf. Honorij: *iam Bactra teneri legibus.* In VI. Conf. Honorij:

imperiumne Iovi legesque placerent,
Et vitæ Romana quies.

lib. III. de laudibus Stiliconis:

Parent Numinibus montes, ut legibus urbes.

Hoc est, juri & imperio Romano. Ipsa Roma, de bello Gildonico: *domui terras hominesq; revinxi legibus.* Quæ igitur *legum genitrix*, *legum mater.* Eodem libro Claudiani:

Vestros imperium remos & vestra sequatur
Carbasa: despectas trans æquora ducite leges.

Quare aspernanda est correctio docti viri lib. III. Silii, ubi de Domitiano Iupiter:

Idem indignantem transmittere Dardana signa
Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum.

Refingit ille: *cædibus*, vel *legibus*. Eas enim victis victores optant imponere: & de Domitiano Statius: *bis adactum legibus Istrum.* Illud ait esse propius vocis vestigia; hoc historiæ convenientius. Minime vero. Non Sarmatis, neque ut Sarmaticas leges subiret, sed sibi & imperio vicit Domitianus. Itaque *Romanis* dicendum fuisset. Sed neutra (pergit) emendatio sequenda: quia ut Virgilius *maris sedes*, ita Silius *Istri sedes* dixit. In quo magis etiam connivit, quam

in priori;

prioribus. Nam *sedes* Virgilio pro fundo maris: *totumq; a sedibus imis Vna eurusq; notusque ruunt.* Ergo ad fundum Istri demergi debuit cum legionibus Domitianus, ut eum in sedibus suis coerceret. Deinde Silius non dicit *sedes Istri*, sed *sedes Sarmaticas*: & fore ut perdomet Domitianus Istrum *sedibus Sarmaticis*, hoc est, Sarmatas in sua ripa transgressus Istrum indignantem, non illos transgressos in ripa Romana. Curtius: *hæc tot gentium & totius Orientis excita sedibus suis moles.* Mamertinus in Panegyr. *Audieras hoc, Imperator, an ipse per te divina mente prospexeras, ita demum hostes funditos posse subverti, si in propriis sedibus vincerētur.* Hæc mens Silii est, quam ne per somnium cogitavit interpres. Sed ut de legibus pergamus, ex isto capite fluit, quod leges regibus opponuntur, qui legibus soluti jussa sua loco dant legum. Tacitus: *Quidam statim, aut postquam regum pertæsum, leges maluerunt.* Seneca in epist. *Sed postquam surrepentibus vitiis in tyrannidem regna versa sunt: opus esse cæpit legibus.* Livius lib. XXXIX. *assentatores regios opponit iis, quibus libertatis, quibus legum cura sit.* Rursum ut reges legesque separantur, leges libertasque connexa ponuntur. Epimenides ad Solonem: *δυζμάχανοι γὰρ ἀνθρώπους ἐλευθερειάσιν ἐν τεθμοῖς ἀρίστοις ἀλλήλως ἦμμ.* Sallustius: *non sua, aut quorum simulat, iniuria, sed legum & libertatis subvertunda.* Cicero de l. Agraria: *vos quorum gratia in suffragiis consistit, libertas in legibus.* Idem lib. II. de Offic. *Quamvis enim sint demersæ leges alicuius opibus, quamvis timefacta libertas: emergunt tamen hec aliquando aut iudiciis tacitis aut occultis de honore suffragiis.* Ita rectissime & nostræ membranæ. Phædius fab. II,

Lucan.

Lucan. lib. 11. Suetonius, de claris rhetoribus. Lucianus Timone, & Encomio Demosthenis. Claudianus lib. 11. Ruffin. & in IV. Conf. Honorij. Denique hinc est, quod leges ipsæ ponuntur pro libertate. Seneca: *Eo perducta res erat, ut aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret injuriam. Neutrum fas erat. Itaque dedit locum legibus & se Liternum recepit.* Lucanus lib. VII.

quid tempora legum
Egimus, aut annos a Consule nomen habentes?

Lib. IX. *plus regia Nili Contulit in leges.* Eod. lib. *ad leges patriasq; ruentis amorem.* Claudianus lib. I. de Laudib. Stilicon. *Romuleas leges rediisse fatemur*, i. libertatem. Quod ad πολιτικῶν hunc vatem notaverat etiam CL. Suffridus Sixtinus noster, ex Consiliano illustrissimi Hassiæ Landgravij Mauritij, in cujus commentarijs hoc unum peccatum est, quod tamdiu reipubl. literariæ debentur.

Cap. III.

Statii locus obscurissimus duplici interpretatione planè claratus. Ire in aliquem, ire in leges. Ire castris, cohortibus, vi, manu. Advenire pace. Plauto lux. Cicero correctus. Nazarius defensus. Regnum, servitutem, libertatem ferre. Vexatissimus Taciti locus assertus. Cæsar & libertas par. Cæsaris in Consulatu acta contra auspicia legesque. Cæsar correctus.

Nimis alte atque ab stirpe, fateor, hæc repetita sunt: sed quia nec injucunda videbantur, & non paucis scriptoribus lucem inferebant indulsimus stilo, memores nos diatriben, non notas ad Papinium scribere. *Leges* ergo

Papinio idem sunt, quod *libertas*. *Ire in leges* dictum, ut Virgilio: *Imus in adversos*. Ovidius:

in apros

Audet & hirsutas cominus ire leas.

Statius: *adversum moriens it miles in hostem.* Ita *ire in leges* est oppugnatum ire libertatem. Quomodo hic autem? an concionibus seditiosis? tabulas novas inducendo? leges frumentarias, agrarias promulgando? an largitionum & aliis plebei colendæ cuniculis. Non, sed aperta vi, *castris*, armata manu. Tale genus loquendi apud Comicum, *advenire pace*, quod non intellectum turbas dedit in prologo Amphitruonis:

Propterea pace advenio, & pacem ad vos affero.

Sic *discedere pace* Ovidio.

Tutius est aptumq; magis discedere pace.

Iure venire Lucano: *Si iure venitis, Si cives, huc usq; licet*. *Vi venire* Virgilio:

Cum protenus utraq; tellus
Vna foret, venit medio vi pontus & undis
Hesperium Siculo latus abscidit.

Et quod propius est hunc locũ, *ire cohortibus* Cælius ad Ciceronem: *civitas ad arma: & eo nunc cohortibus mihi per nives eundum est.* Ita partim recte ex MSSC. restituit P. Manutius: nec auctior uno apice scriptus liber, quem ego contuli. Eodem prorsus modo formula interdicti, quam obumbrat Cicero in epist. ad Trebatium: *quod tu prior vi hominibus armatis non veneris.* Ita ergo *ire in leges castris* est oppugnatum venire libertatem armis, vi, manu. Hæc enim jungere amat Tullius. Pro Sextio: *quos vi, manu, copiis delere non potuerunt.* Item: *non intercessione, non suffragiis, sed vi, manu, ferro.* Pro Flacco; *de vi, de manu, de*

armis de copiis memineritis. Cujus exemplo Nazarius in Panegyrico: *cum introitus vi, manu quæreretur, & portarum inflammatio late ignem distulisset.* Ubi inconsulte τὸ *vi* delere, aut supponere *vi immani* docti homines voluere. Ista pro Sextio: *omnia clamore, concursu, vi, manu gerebantur.* Mens igitur hæc est Papinij: si tuis auspiciis partes, quæ erant Cæsaris, administratæ essent; si tu regnum Romæ instituere voluisses, ultro gener Pompejus, ille solus olim magnus & parem ferre indignatus, nunc lubens te minor, armata manu libertatem adoriretur, invaderet, nec minus Cato. Vehementer salivam movet, quod in duobus MSC. Barth j: *te regna ferente.* Quæ phrasis tam Papinium decere videtur, quam quæ ei familiarissima. *Servitutem ferre* Livius lib. 11. *agros illos servitutem iis, qui acceperint, laturos.* Ita *libertatem ferre* Tacitus in vita Agricolæ: *Nos integri & indomiti & libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu inde ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Ita enim scribendum asserimus infra. *Libertatem ferre*, est libertatem introducere, ubi non est, aut oppressa est. Ut *regnum ferre, servitutem ferre. Libertatem ferunt*, qui sunt in servitio. Itaque opponitur illis, qui semper eam habuerunt. Quales hi Britanni negantur *in præsentia laturi libertatem*, id est, cum maxime introducturi, sancturi libertatem, quam omnes habebant: quippe qui integri & indomiti. Hæc sine dubio mens & scriptura Taciti. Muretus corrigebat: *in libertatem, non in populi Romani servitium nati.* Lipsius, *libertatem in præsenti ablaturi* vel *illaturi.* Acidalius: *& minui libertatem non in præsentia laturi:* vel *libertati, non imperio sueti:* vel

liber-

libertatem non imperio in præsenti mutaturi. Cæteri silent & desperant. Dictum autem est illud, ut *legem ferre*. Quamquam & *libertatem ferre*, ut præmium ferre intelligi possit. Statius: *Ceu tibimet sceptra & proprios laturus honores.* Nec puduit eum in XVII. Consulatu Domitiani Cæsarem titulo *regis magni* incidere: in invidiam scilicet Barbarorum regum, qui proprie *reges magni* & *reges regum* salutabantur. Jucundumque erat Domitiano illudere & insultare infami servitio procerum Romanorum. Pompejus quoque & Pompejanas acies *in regna laborasse* ait Cato apud Lucanum. Idem alibi: *par, quod semper habemus, Libertas & Cæsar erunt.* Talis oppositio hic inter regna & leges. Atque in hac explicatione nihil omnino incommodi est. *Leges* tamen paullo aliter atque angustius capiendæ videntur, si historiam inspicias: & hæ quidem proprie, quas Cæsari armato Senatus infelici magnanimitate imposuit. De quibus ita Suetonius: *Attonitis iam omnibus & quorsum illa tenderent, reputantibus, M. Claudius Marcellus Consul edicto præfatus, de summa se republica acturum, retulit ad Senatum, ut ei succederetur ante tempus; quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Nec contentus Marcellus provincias Cæsari & privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novum Comum deduxisset, civitas adimeretur; quod per ambitionem & ultra præscriptum data esset.* De quibus signate Petronius Arbiter: *Tu LEGEM Marcelle, tene.* Sed & alias huc traho, quæ formidatæ Cæsari. Suetonius iterum: *Alii timuisse eum dicunt, ne eorum, quæ primo consulatu adversus*

 auspicia

dubito, quin veritatem, ex ipsis cubilibus produxerimus. Sed noluimus eam exhibere, nisi aure lectoris multum imbuta usibus vocis *Leges*, quos qui nescit, aut non reminiscitur, nec nostram nec Statij sententiam capit.

Cap. IV.

Statius compluribus locis illustratus & defensus. Eius cura in picturis aut simulacris describendis. Nec. Nec tardus prope flumina. Comparationis vis. Silius defensus.

EQuo maximo Domitiani:

exhaustis Martem non amplius armis
Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere, nec tardo raptus prope flumina cursu
Fumat,& ingenti propellit Strymona flatu.

Gevartius: Sententia suadet legendum: *nec tanto raptus prope flumina cursu.* Ipse Martis equus non tanto impetu & cursu ad Strymona fluviũ procurrit,ut videtur hic Domitiani equus.Cursum enim minabatur. Porro Barthius non sine acumine illud *prope flumina* interpretabatur, ipsam fluminis celeritatem attingens. Nam quæ similia aut paria habentur, *tangere, contingere se, assidere, prope esse sibi*, dicuntur. lib. IV. adv. c. XIII. lib.XXXI.c.IV. lib.XXXIII.c.XVI. Mihi utrumque non de sententia Papinij factum videtur. Castorum Poëtarum est,sic magna dicere, ut majora cogitanda & ex iis, quæ posuerunt, existimanda lectori relinquant. Ita hic noster, cum incomparabilem celeritatem equi Martij designare vellet, facit illum rapi prope flumina Thraciæ,& in ista tamen comparatio-

πολέμους καὶ γεωργίας καὶ γάμους καὶ ᾠδάς. Satis tamen defendit se Silius Marone ipso, cui lib. V. in chlamide acu picta *sævitque canum latratus ad auras*. At Claudianus in toga, quam Roma dat Stiliconi: *teneros de stamine risus Vagitusque audire putes*. Quam cogitate etiam Statius de serpente in tumulo Archemori κολάζει τὸν λόγον· *exspectes morientis ab ore cruenta Sibila*. Ipsum *sibilare* non ausus est dicere. Sic in chlamydis pictura Leander, apud eundem, exhibetur:

In latus ire manus mutaturusque videtur
Brachia, nec siccum speres in stamine crinem.

Rursum in Martis regia, ubi portarum fragmina & rostra navium & currus vacui, & ora curribus protrita cælantur, *Pæne etiam gemitus* addit. Quo temperamento Plinius de Aristidis Thebani arte, qui primus animum pinxit & sensus omnes expressit: *supplicantem pæne cum voce*. Sed omnium elegantissime Sophista ille in amatore imaginis apud Philostratum: πυρσεῖον ἄνθος, ἀκοῆς ἴχνος· ἔχεις δὲ καὶ φωνὴν μέλλουσαν ἀεὶ, τάχα τι καὶ καλεῖς, ἀλλ' ἐμοῦ μὴ πυρόντος, ἀνέρχεσι καὶ βάσκανε. Iterum noster.

Ire putes clypeo fluctusque secare iuvencum.

Quæ satis ostendunt orsa Statij multa lima cruciata, neque committere eum ausum, ut equo simulato cursum attribueret. Viros humanissimos impedivit illud, *nec tardo*, in quo particula dividenda est hoc modo: *& fumat raptus non tardo cursu prope flumina*. Virgilius; *nec turpi ignosce senectæ*. Quod adversus G. Canterum asseruit doctissimus Piccartus in periculis Criticis. Notavitque, ex Ovidio:

Ora nec immunda mane lavabis aqua.

pro, & lavabis ora non immunda aqua. Statius, *nec tristis in ipsis Naso Tomis.* Lib. IX. Thebaid.

demissa superne
Iniecit trepido sese ripamque, nec ultra
Passurum subita vallavit ponte ruina.

I. Et vallavit non ultra passurum. Quod si cogitasset Bernartius, locum sincerissimum suspectum non habuisset. Simplex igitur ibi descriptio est equi Martis: non amplius, augustius, sublimius Martem portat Bistonius sonipes & raptus prope flumina non tardo cursu fumat, &c. Prope Hebrum aut Strymona currit equus Martis illum cursum, qui nec in ista vicinitate prope rapidos fluminum lapsus tardus sit. Auget miraculum illud: *& ingenti propellit Strymona flatu.* Fallitur enim Gevartius, cum hic notat, Poëtam equi in bibendo modum expressisse. Quasi canem ad Nilum, non equum Martis ad Strymona currentem faceret. Aut ergo *propellit*, est introrsus agit fluctus Strymonis, qui litori alliduntur, aut eosdem etiam urget, flatu compellit, quasi tardius labentes. Hactenus poëta elocutus est: cætera reputanda ei, qui studium & aures adhibere potest, relinquit. Nemo autem qui naturam comparationis intelligit, non facile suspicatur, quanta sit equi velocitas. Illustremus hæc paullo largius. Cicero lib. III. de finibus: *Obscuratur & offunditur luce solis lumen lucernæ & interit magnitudine maris Ægæi stilla muriæ: & in divitiis Crœsi teruncij accessio; & gradus unus in ea via, quæ est in Indiam.* De statura Augusti refert ex Julio Maratho Suetonius, quinque pedum & dodrantis eam fuisse: *sed quæ commo-*
ditate

ditate & æquitate membrorum occuleretur, ut non nisi ex comparatione adstantis alicuius procerioris intelligi posset. Sidonius Apollinaris:

collata rubori
Pallida blatta latet, depressaque lumine vultus
Nigrescunt vincto Baccharum vulnera collo.

Tria hic rubicunda: *blatta* seu purpurâ: *Vulnera Baccharum: rubor virgineus.* Sed hic tantus, ut duo priora colorem, quem habere videbantur, comparata mutent, & pallescat quidem purpura, Baccharum vero stigmata nigrescant. Petronius: *pedum marmor intra auri gracile vinculum positus Parium marmor extinxerat.* Silius de æsculo: *instar, aperto Si staret campo, nemoris.* Nempe nunc quia in densa silva, non agnoscitur. Elegantissime Papinius de Parthenopœo:

Effulsere artus, membrorumque omnis aperta est
Lætitia, insignesque humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis latuitque in corpore vultus.

Cyclopem dormientem pinxit Timanthes in parva tabella, cujus & sic magnitudinem ostendere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrso pollicem ejus metientes: atque (verba Plinij, quæ in plurimis de Statio usurpes licet) *in omnibus eius operibus intelligitur plus semper, quam pingitur: & cum ars summa sit, ingenium tamen ultra artem est.*

CAP. V.

Statius quinquies emendatus. Adscita proles. Adsciscere, adscire verba adoptionis. Genius pondusque in statuis etiam deorum. Claudianus emendatus. Apostrophe. Ovidius emendatus. Epigramma vetus assertum. Septem culmina Martis. Bucephalus non ita dictus a signo in fronte. Audere equum, codicillos. De loco dubiosissimo coniectura.

E Quo maximo Domitiani:
hinc obvia limina pandit,
Qui fessus bellis, adserta munere prolis,
Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.

Vellem enarrassent interpretes illud, *asserta proles.* Nam id verbum de adoptione non memini legisse. Nisi quis *adsertus* pro *adsitus* capiat, ut *insertus, consertus,* pro insitus, consitus: & Statius alibi *transsertos ramos* dixit. Msc. Florentinus, habuit, *affecta.* Existimo reliquisse Statium: *adscita munere prolis.* Quod proprium adoptionis verbũ. Tacitus: *Germanicum adsciri per adoptionem a Tiberio iussit.* Idem alibi: *plerique fictis adoptionibus adsciscerent filios.* Valerius Maximus: *adoptatos & adscitos.* Suetonius: *testamentoque semper in bona & nomen adscitum.* Ipsemet noster in Epicedio Glauciæ: *interius nova sæpe adscitaque serpunt Pignora connexis.* Iterum equo maximo:

Dextra vetat pugnas: lævam Tritonia virgo
Non gravat, & secta pretendit colla Medusæ
Ceu stimulis accendat equum. Nec dulcior usquam
Lecta Deæ sedes, nec si pater ipse teneres
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas.
Et quis se totis Temese dedit hausta metallis

It

It tergo demissa chlamys.

Quod dicit: *levam Tritonia non gravat:* id ita explicat Gevartius: leviter sinistræ manu innititur, adeo ut eam non gravet, putatque ad parvitatem illius Palladii respicere Papinium. At non adeo imprudens noster, ut genium divinumque pondus attribueret statuæ Cęsaris, Palladis eriperet, quæ utcunque parva, gravis esset tamen, si grata Divæ, si operi firmos inclusa per artus Majestas. Claudianus in IV. Consl. Honorii:

> *penetralibus exit*
> *Effigies, brevis illa quidem: sed plurimus infra*
> *Liniger imposito suspirat vecte sacerdos*
> *Testatus sudore Deum.*

Ita scribendum ex duobus MS. bibliothecæ Leidensis. Quia enim plurimus liniger unam portat effigiem, certum est asseribus eos usos. Vulgo: *Veste*, quod cum ineptum sit, ineptius lectum, seu altare interpretantur, aut gravitatem in lineo vestitu Isiacorum quærunt. Divinitatem ergo majestatemque manus Cæsareæ in colosso illo tangit Statius illo: *non gravat.* Quasi dicat effigiem illam quæ propter genium & pondus Divæ vix ulla alia manu, etsi brevior, sustineri posset, ita insidere manui Cæsaris, ut eam ne gravet quidem. Ad hemistichion quarti versus notat Domitius: libentius illic non esset Pallas, si tua esset statua, o Jupiter. *Teneres ista pectora*, i. esses formatus his pectoribus, quæ capiunt curas orbis magnitudine sua. Cruceus legit, *teneret*, cum hac interpretatione: non libentius acquiesceret Dea Jovis gremio, quam in Domitiani dextra, etsi ille

ille relicto cælo terras moderaretur, vel ejus divinitas insideret in pectore Domitiani, quod mūdi curis distringitur. Post magnificat conjecturū nonneminis: *nec si patris ipsa teneret Pectora.* Quin etiā vehementer hic te torsit vir nobilissimus. Legit: *nec si, pater, ipsa teneret Pectora.* hoc sensu: Lævam magis amari a Pallade, quam si ipsa teneret pectora patris Romani, seu ipso pectore imperatoris consedisset, cui alioquin tota curatio terrarum orbis credi possit, & ad quę effigiāda omnis Temesæi æris vena exhausta sit. De Jove enim nihil novum pectora ejus apta regendo orbi terrarum dicere. Nisi tamen aliud latitet in τῷ *teneres*: ut *pater* sane sit Jupiter, sensus vero: Deæ lecta illa sedes, nec ita teneres pectora Domitiani ipse Jupiter, hoc est, adficeres, delectares: cum te tantopere opus non habeant, quæ per se mundi curas evolvere sustineant. Atque hoc eo certius, quod duo libri calamo exarati *sic*, non *si*, ostentant. Hoc genuinum est, mutuum amorem Palladis & Domitiani facit. In adscripta superius vix ferri poterit, tam lævam manum, quam pectora Cæsaris amare Palladem. Sic ille fere lib. XXXI. adverſ. c. VIII. Mirum profecto integro seculo, & quod excurrit, hos versus neminem intellexisse. Et vide quam levi brachio tantæ tenebræ dispellantur. Genuina lectio scriptorum codicum: *Sic.* Reliqua tantum a distinctione laborant:

nec dulcior usquam
Lecta Dea sedes, nec sic, Pater, ipse teneres.
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas:
Et cui se totis Temese dedit hausta metallis,

It tergo demissa chlamys.

Putidum & φορτικὸν dubitare velle de penultimi versus emendatione, quam Behotius prodidit. Hæc sententia est: Et huic operi seu effigiei Palladis par sedes: nusquam optabilior, nusquam gratior Deæ aula: nec tu ipse, pater Deæ Jupiter, sic, tanta amplitudine, gratia lubentiaque eam ferres, teneres. Quamquam & retento *si* non absurdus sit sensus. Nec dulcior usquam sedes Deæ lecta est, nec legeretur, si ipse pater eam teneres. Sed quare spernamus scriptam lectionem? Apostrophe frequentissima Poëtis. Sic via Domitiana: *Nec velocius ibitis, carinæ.* Ovidius de arte: *nec vos, segmenta, requiro.* Ita vere restituit I. Zinzerlingus: & ita MSC. Pirckhaimeri. Manilius:

Mittebat qui vos, ignes, in mille carinas.

Sic in Epigrammate veteri:

Hic iacet exutis Dionysia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Quod si longa tuæ mansissent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.

Lege, *suæ:* nam marmor de illa loquitur, ait Gonsalius ad Petronium. Male: est enim apostrophe marmoris ad puellam. Statius hactenus vultus, latera, terga, caput, manus descripserat statuæ. Jam pectora Domitiani in hac effigiatione tam augusta sunt, quam decet esse ea, quæ totius mundi curas inclusetunt, & possunt tractare, vel talis herois figuram referunt: chlamys vero tanta a tergo defunditur, in quantam tota Temese omnia metalla consumpsit. Quid pote clarius? Perinde ut in Hercule Epitrapezio Vindicis:

hoc pectore pressus
Vastator Nemees: hæc exitiale ferebant
Robur, & Argoos frangebant brachia remos.

Ubi ineptit Domitius, cum *frangebant* explicat, domabant. Immo vero simpliciter remum fregisse ait Argonautarum historia apud Apollonium & Valerium Flaccum, & crebro alluditur a Poëtis. Quæ obvia sunt, nec hic repeti merentur. Inferius equo maximo:

strepit ardua pulsu
Machina: continuus septem per culmina montes
It fragor & magnæ fingit vaga murmura Romæ.

Sane indecens illa locutio, *per septem culmina montes.* Vir nobilissimus conjecit, *septem per culmina montes Cit fragor.*. Vel *continuos septem, par fulmine, montes Cit fragor.* Et in posteriore hac correctione sibi gratulatur lib. XXXI. adv. c.VIII. Non dubitamus reliquisse Statium: *continuus septem per culmina Martis It fragor.* Et magis, quia Ro. Codex: *montis,* habet. Martis enim urbs & Martia Roma, ut pueri sciunt. Rursum noster:

Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones
Cæsarei stat sede fori: quem tradere es ausus
Pellæo Lysippe duci. mox Cæsaris ora
Aurata cervice tulit.

Magnos hic nodos nectunt sibi interpretes. Ajunt loqui Poëtam de equo Alexãdri Magni, qui a Lysippo factus postea Cæsarem tulerit. Quod tribus rationibus impugnat doctissimus Gevartius. Primum quod Cæsaris equus plane a Bucephalo fuerit diversus: quippe hic in capite vel fronte habuerit discrimen, ille in pedibus, qui prope humani. Deinde quod Cæsar solum suum equum impense amaverit, tum quod nemi-

neminem præter se insessorem pateretur; tum quod regnum ipsi portendere existimatus sit. Denique quod sileant historici de hac Alexandrei equi in Julianum transmutatione. Itaque ipse olim se de duobus equis loqui poëtam putasse cõfitetur, & ante τὸ *quem* particulam *&* inserendam esse. Quæ dicitur opinio fuisse cujusdam Jacobi Bononiensis, & in quam pedibus it Cruceus. Sed Gevartius inclinat eo, ut cum viris doctissimis acroteleution illud, *quem tradere es ausus*, cum versu & hemistichio sequentibus ejiciat, ceu emblema indocti alicujus librarij. Sane audax hæc cura est, etsi, curiosorum sæpe hominum audacia, qui in bonos autores somnia sua infulserunt, non aliam mereatur. Inter rationes Gevartij unum tantum momentum est, historicorum silentium. Nam quod Bucephalus signum in capite vel fronte habuerit, tradux opinio ex ludibrio illorum est, qui turpissima forma nobilissimum equum insigniverũt, affatim refutati Piccarto, eruditissimo viro, in periculis Criticis: quamquam ex isto libello nõ debeat ille æstimari. Hesychius: Βουκέφαλος ἵππος ἐγκεχαραγμένος ἔχων τοῖς ἰσχίοις βουκράνιον. Neque vero insolens ille mos veteribus, antiquorum statuis paullulum immutatis ora sua addere: nec ratio est, quare Cæsar in pedibus & insigni equi Lysippæi simile quid facere non potuerit. Nota est colossi Neroniani fabula. Tanagrææ meretricis signum sub honore Deæ Libertatis loco Tullianæ domus posuit Clodius: & alius apud Philostratum in heroicis Hectoris statuam in Achillem transmutavit. Non nostrum tamen has lites dissolvere: nisi

nisi usus libertate Poëtica Papinius duos illos equos Cæsareum & Neronianum confudisse dicatur: quod vix credibile sit in tam recenti utriusque historia: etsi infra etiam, ubi Neronis in Isthmo perfodiendo tentamen tangit, longe aliam caussam, quam historici omnes, assignet operis omissi, quæ ante tot sæcula Cnidios, si Herodoto fides, inhibuerat. MSC. in bibliotheca ducis Hetruriæ & Romanus codex Venetusque veteres exhibent: *quem traderis ausus Pelleo Lysippe duci.* Quod Statij non esse vix persuadeor. Phrasis illius ævi propria velut & frequens Tacito. Ut, *in ipsis principiis stuprum ausa.* Item: *ausis ad Cæsarem codicillis*, & aliter sæpissime. Qui tamen id ab Sallustio acceperat, cujus est, *audere dominationem*. Ita elegantissime dictũ, quod Lysippus Bucephalum in gratiam vel jussu Pellæi ducis *ausus sit*, id est, non timuerit fingere. Sic audaces pictores cognatæque artes & opera eorum improba & audacia dicuntur, utpote naturæ æmula. Quod hic eo magis valet, quia accurato, moroso potentique exactori susceptum erat. *Traderis* est diceris, quem fama fert te ausum Pelleo duci. Quod verbum juvat conjecturam nostram. Indicat enim Poëta se sumpturum aliquid ex rumore & fama publica, cujus veritati præstandæ ipse ad interdictum venire nolit. Nec profecto sunt hi versus adeo futiles, ut ab indocto homine scribi potuerint. Itaque de conciliatione ulterius cogitandum. Nam illud, quod ex vett. cod. restituimus, sine controversia Papinij est.

CAP.

CAP. VI.

Statius non semel obscuris locis illustratus emendatusque. Te similem. Homo similis, ceræ similes &c. Manilio lux. Similitudo. Similare, similacra, assimilare mala sunt, & furcillis ex Latio ejicienda. Simulare. Assimulare amare. Plauto lux. Manilius correctus. Pictores fictoresve Dijs dabant vultus delitiarum suarum. Imagines defunctorum in Deorum habitu culti. Dij in forma Cæsarum culti. Tacitus defensus idemq; & Suetonius illustrati. Proponere. Exponere.

E Quo maximo Domitiani :

Apelleæ cuperent te scribere ceræ:
Optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elei senior Iovis.

Vix ullus in Statio locus est, in quo plus desudarint doctissimorum virorum ingenia, inquit politissimus Gevartius. Domitius Phidiam *seniorẽ Atticum* vocari audiens duos Phidias fuisse fingit. Lipsius correxit, *sector Iovis.* Cui obsequens fuit hic quoque cognatus Bernartius. Livineus *genitor Iovis*, scripsit. Sed contra hos omnes recte ostendit Gevartius *Atticum seniorem*, pro Phidia poni, ut alibi, *senior Gargettius*, *senior Cous.* Superest, ut videamus, quo τὸ *Elei Iovis* referenda. Parrhasius conjunxit cum *senior*, & *seniorem Elei Iovis* Phidiam dici arbitratus est, quod Jovem in Elide fecisset. Merito hoc aspernatur Gevartius, & porro sic disputat. Verborum hunc ordinem statuo: *Atticus senior optasset te similem Elei Iovis ponere in tuo templo.* Vel si mavis: *Atticus senior optasset te similem ponere in novo templo Elei Iovis.* Sed prior sententia magis arridet. Dixit Poëta

similem Elei Iovis, id eſt, depictum ad formam & ſimilitudinem Jovis. Et fatetur intorta paullum eſſe verba, ſed poſſe hoc Statio condonari ſentit. Sane plurimum ad inveniendum contulit, qui ſperavit poſſe reperiri. cum excuſatione itaque audiendi ſunt priores, quandoquidem nulla res conſummata eſt, cum incipit. Sed hic ultimus, quam prope a vero abfuit? Omnino ita conſtruendum eſt: *Atticus ſenior optaſſet te ſimilem ponere in novo templo Iovis.* Fefellit, quantum eſt interpretum, illud exquiſitum loquendi genus *te ſimilem*, quod ita abſolute tuam imaginem, tuam effigiationem ſignificat. In lacrimis Hetruſci:

Te lucida ſaxa,
Te ſimilem docta referet mihi linea cera:

i. imaginem tuam. Juvenalis:

Si quis Ariſtotelem ſimilem vel Pittacon emit.

Similis Ariſtoteles vel *Pittacus* eſt imago Ariſtotelis vel Pittaci. *Simile aurum*, pro facie aurea, vel inaurata, in Genethl. Lucani:

Vultus qui ſimili notatus auro
Stratis prænitet.

Ceræ ſimiles, imagines cereæ in pietate Abaſcantij:

Si manus aut ſimiles docilis mihi fingere ceras,

Similis Hercules eſt effigiatus, fictus apud Martialem:

Appia, quam ſimili venerandus in Hercule Cæſar
Conſecrat.

Ita *ſimilem Venerem*, pro imagine Veneris, quę in parietibus pellucidis reddebatur, Claudianus dixit Epithalam. Honorij & Mariæ:

speculi nec vultus egebat
Iudicio: similis tecto monstratur ab omni,
Et rapitur, quocunque videt.

Imitatio Statij, qui sic in Achilleide:

Vt vero accessit propius luxque æmula vultum
Reddidit, & similem tandem se vidit in auro,
Horruit, erubuitque simul.

Hinc eleganti Manilij loco lux venit lib. 1.

A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes,
Quod similis junctis instat de more juvencis.

Ita Gemblacensis. Alii, *Qui.* Unde Scaliger: *Cui similis.* Quærit enim: Cuinam similis? Vel etiam: *Quod stimulo.* At *similis Bootes* est bootæ effigiem referens. Arctophylax & Bootes dicitur, quod similis scil. bootes, id est, bootæ similitudinem habens juvencos agere videtur. Similitudo ex illis est, quæ perfecerunt picturam, ut nulla ars principium & summam simul accipit: eratque in artificiosa pictura multum olim non simile. Simile autem dicebatur, quod omnibus partibus exemplum æquabat. M. Seneca in declam. quæ inscribitur Parrhasii Prometheus: *Traditur Zeuxim, ut puto, pinxisse puerum, uvam tenentem: & cum tanta esset similitudo uvæ, ut etiam aves advolarent operi, quendam ex præsentibus* (ipsum Zeuxin, ait Plinius) *dixisse, aves male existimare de tabula: non fuisse enim advolaturas, si puer similis esset. Zeuxim aiunt oblevisse uvam, & servasse illud, quod melius erat in tabula, non quod similius.* Ecce *melius* aliud in

pictura, aliud *ſimilius*. Fabius lib. x. Inſtit. *Ad veritatem Lyſippum & Praxitelem acceſſiſſe optime affirmant. nam Demetrius tanquam nimius in ea reprehenditur, & fuit ſimilitudinis, quam pulchritudinis amantior.* Unde apud Philoſtratum de Neoptolemo: *καλὸν μὲν εἶναι καὶ προσεοικότα τῷ πατρὶ, λείπεσθαι δ' αὐτοῦ τοσοῦτον ὅσον τῶν ἀγαλμάτων οἱ καλοὶ λείπονται*. Qui locus commentarii vicem eſt illi Petronii: *mulierem omnibus ſimulacris emendatiorem.* Utitur autem ita *ſimilis* verbo Auſonius in epigr. de Echo picta: *Et ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum*. Poſtea cum non probarentur picturæ aut ſtatuæ, niſi ſimiles; ab hoc, quod præcipuam gloriam addebat operi, ipſum opus appellatum eſt: & *ſimile*, quicquid effigiatum vel pictum, *ſimilitudo* ſtatua aut imago. Ita *fingere ex argilla ſimilitudines* eſt apud Plinium: & nepotem ejus: *arduum ſimilitudinem effingere ex vero*. Ab ſimilitudine, quæ picturæ anima eſt, condiderunt non ita pridem eruditiſſimi viri verba *ſimilare, aſſimilare, ſimilacra*. Et probat in parte hic Gevartius. Sed qui iſta verba agnoſcunt, illi aut *τὸ ſimulare*; *aſſimulare*, omnino autem *ſimulacra*, quod non poſſunt, prorſus abolere debent, aut confiteri errorem ſuum, & ſe nunquam veram vim verbi *ſimulare* inſpexiſſe. Quid eſt enim *ſimulare?* an non imitari, & id, quod non eſt, ad exemplum alterius, quod vere eſt, vel fuit, vel eſſe aut fuiſſe creditur, fingere? Cui te amicum ſimulas, ei repræſentas in te ſpeciem amici & imaginem, quod revera non es. Cum dolorem ſimulas, habitum dolentis induis falſum: nec enim es, quod ſimulas. Sic pictor, cum opus facit, & Alexandrum depingit, ſpeciemque

que ejus dat, non ipsum, qui vivus verusque est Alexander; quare non *simulare Alexandrum* diceretur? Profecto perit omnis lepos hujus verbi, qui non exiguus est, si ignavum illud & jacens *similare* accipitur. Ut enim *mentiri* & *imitari* & *fingere* de pictura dicitur: ita & *simulare*. Et fingere enim *simulare* est. Sidonius: *& laticem simulatum fontis equini.* hoc est, a poëtis confictum. Ita *simulare* dicitur saltator pantomimus, qui effingit veteres fabulas, eidem: *Seu Martem simulat modo in catenas Missum Lemniacas.* Et *fictrices* Tertulliano, quæ aliis *simulatrices*. Virgilioque; *latices simulatos fontis Averni. Simulatio honesti* pro imitatione apud Senecam epist. LXXXVIII. Utque *simulationi* & *simulatis* opponitur *verum* & *veritas*, ita etiam *imagini*, & *similitudini*. Tertullianus adv. Marcionem: *Imago veritati non usquequaq; adæquabitur.* Marcus Seneca: *Semper citra veritatem est similitudo.* Ita certum nobis est & *similare*, & *assimilare* & *similacra* prorsus novæ malæque formæ verba esse, sanctę antiquitati ignorata. In Cistellaria Plautina legendum, ut correctiores habent editiones, nosque etiam in probis membranis deprehendimus:

Adsimulare amare oportet: nam si ames, extempulo
Melius illi multo, quem ames, consulas, quam rei tuæ.

Nec audimus illos, qui *assimulate* vel *assimilate* supponunt. Simulandum est, inquit, amare, non amandum. Etiam in Lucretii, Horatii, Statii MSSC. ubique *simulare* invenimus. Horatius: *æra Fortis Alexandri vultum simulantia.* Ausonius:

Quis te pictorum simulavit pessima Colchis?

Sidonius : *simulavit Mulciber auro Exstantes late scopulos.* Apulejus in Apologia : *vel alio quopiam humano artificio adsimulatum est.* Sic apud Prudentium *assimulata monstra* sunt ad similitudinem & imitationem imaginis aut formæ in mente conceptæ efficta. Cicero in Verrinis : *Literæ lituræque omnes assimulatæ, expressæ.* Neque Maro scripsit aliter, quam *formam adsimulata Camertæ :* &, *jubasq; Divini adsimulant capitis.* Claudiano quoque : *immanes pharetras arcusq; sonoros Assimulat*, est imitatur. Ut contra apud Horatium, *mutata juvenem figura imitaris*, est simulas. Plinius : *Indicus specularioru lapidum squamas assimulat.* Duplex autem usus utriusque verbi : & pictor *simulat* aliquid, & tum activum est, ut & cum res dicitur *simulare* aliam:& pictura *simulat*, & tum neutrum, aut saltem ellipsi sui casus speciem habet neutrius. Quoniam autem *simulatum* idem est, quod ad similitudinem factum, vel simile factum : inde cum significatione & casum verborum, quæ comparandi vim habent, assumit. Unde Lucretio *corpora igni simulata*, quæ ignis speciem habent, ignem imitantur, igni similia sunt; & *adsimulata animalibus.* Et aliis ipsum *assimulare* comparare est, ut monemus alibi. Apud Manilium lib. IV. scribendum est:

Ne tua sub titulis fallantur pectora notis,
Assimulant, non ostendunt mortalibus astra.

Vulgo, *Dissimulant.* Atque hæc hactenus. Sed per *novum templum* intelligendum esse templum Flaviæ gentis, quod Domitianus exstruxit, sci-

ſciſcunt Bernartius & Gevartius. Quos hic non audimus. Plane enim id inſtituto Statiano repugnat. Spernit ille omnes non Deos, ſed Deorum formas præ ſidereo Cæſaris vultu & potius Deos honorari vult facie Domitiani, quam Domitianum facie alicujus Dei. Tres itaque illuſtriſſimas ſtatuas a ſuis Domitiani figuræ poſthaberi poſſe dicit: Iovis Elei Phidiacam, coloſſum Tarentinum etiam Jovis & coloſſum Rhodium Solis. Ac Rhodij quidem & Tarentini contempta Deorum, quæ illis tribuitur, facie tuos vultus, Cæſar, tuam majeſtatem illis addi mallent: Phidias vero ille ſenior Atticus templo Elei Jovis tuam imaginem ponere præoptaſſet, ſed *novo.* quod addit propterea, ut innuat indignum vetus Græculumque ædificium honore excipiendi Cæſaris: novum immo & magnificentius junꝗurum voto ſuo Phidiam. *Novum* Statius, Claudianus & alij pro miro, admirando, quod inuſitatam ſpeciem decuſque habeat, frequenter uſurpant. Ergo *novo templo Elei Iovis optaſſet Phidias tuam effigiem ponere*, eſt optaſſet Jovi Olympio tuam formam induere, non eum facere ad præſcriptum Homericum, eumque ponere in novo templo, non illo, in quo alteram ſtatuam poſuit. Nam ad ſimilitudinem Elei Jovis depingi longe minus eſt & infra gloriam, quam Domitiano tribuere vult Statius. Qui hac ſententia quantum aſſurgat, facile aſſequitur, quiſquis opinionem veterum de Phidiæ Homerico Iove intelligit. De quo illud teſtimonium dedit L. Æmilius Paullus, ſolum Jovem Phidiæ Homerici

Jovis æquaſſe majeſtatem, ut eſt apud Suidam: & cum velut præſentem intuens, animo motus eſſet, haud ſecus quam ſi in Capitolio immolaturus ei ſacrificium amplius ſolito apparari juſſit, teſte Livio. Et Fabius ſcribit, *iſtius operis pulchritudinem adieciſſe etiam aliquid receptæ religioni videri: adeo maieſtatem operis Deum æquaſſe.* Sed inſtar omnium Pauſanias eſt. Iiſdem autem ſenſibus, quibus Papinius, Martialis erraſſe Phidiam in Iove fingendo ait, victumque ab eo, qui Cæſarem ſculpſit:

Quis Pallatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies: hæc ſunt Iovis ora ſereni:
Sic tonat ille Deus, cum ſine nube tonat.

Ita Herculi Cæſaris Domitiani vultus induerunt. Martialis:

Alcide, Latio nunc agnoſcende Tonanti,
Poſtquam pulchra Dei Cæſaris ora geris,
Si tibi tunc iſti vultus habituſque fuiſſent, &c.

De quo alibi, quod propius huc pertinet:

Herculeum tantis numen non ſufficit actis:
Tarpeio Deus hic commodet ora patri.

Latiſſimum cachinnum merẽtur duo Martialis interpretes, qui ad librũ ſpectaculorũ Epigr. VI.

Belliger invictis quod Mars tibi ſævit in armis,

notant voluiſſe Poëtam, vel in ſpecie figurave Martis aut Veneris præſediſſe in ſpectaculo Domitianũ, vel viros fœminaſq; in Martis & Veneris habitu venationẽ Circenſem peregiſſe. Sed potius notandum ambitionis ingenium, utque illa in profanis gentibus paullatim creverit. Primum quidem ſtatuæ magnorum virorum adjungebantur Dijs, quem honorem vir maxi-

mus

mus & ſupra omnes meritus, qui princeps inter cives eſſe poterat Scipio Africanus oblatum a populo repudiavit. Livius, Valerius, Seneca. Nec Auguſtus in Pantheo ſibi ſtatuam ab Agrippa collocari paſſus eſt, ut Dio refert. Inde imperatoribus mortuis, poſt etiam vivis, imagines Deorum dederunt, & illos fulminibus, radijs & aſtris ornarunt. Denique cum homines Dijs præferre eos adulatio indies proficiens docuiſſet, Dijs hominum, qui Deos pares pati non poterant, imagines attribuerunt. Sed olim quoque, quoniam Dij humana forma effingerentur, ſolebant pictores fictoreſque ora & vultus eorum earumve, quos in delicijs habebant, cum ſignis veſtituque, quæ Dei cujuſq; eſſe credebantur, Dijs imponere. Nam illud notum eſt, de Zeuxide, qui Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Junonis Laciniæ publice dicarent, inſpexit virgines earum nudas, & quinque elegit, ut quod in quaque laudatiſſimum eſſet, pictura redderet. Clemens Alexandrinus Protreptico: ὁ μὲν Ἀθηναῖος Φειδίας ἐπὶ τῷ δακτύλῳ τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ἐπιγράψας, παντάρκης καλός. οὐ γὰρ καλὸς αὐτῷ ὁ Ζεὺς, ἀλλ' ὁ ἐρώμενος ἦν. ὁ Πραξιτέλης δὲ, ὡς Ποσίδιππος ἐν τῷ περὶ Κνίδου διασαφεῖ, τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἄγαλμα τῆς Κνιδίας κατασκευάζων, τῷ Κρατίνης τῆς ἐρωμένης εἴδει παραπλήσιον πεποίηκεν, ἵν' ἔχοιεν οἱ δείλαιοι τὴν Πραξιτέλους ἐρωμένην προσκυνεῖν. Φρύνη δὲ ὁπηνίκα ἤνθει ἡ ἑταίρα Θεσπιακὴ, οἱ ζωγράφοι πάντες τῆς Ἀφροδίτης εἰκόνας πρὸς τὸ κάλλος ἀπεμιμοῦντο Φρύνης· ὥσπερ αὖ καὶ οἱ λιθοξόοι τοὺς Ἑρμᾶς Ἀθήνησιν πρὸς Ἀλκιβιάδην ἀπείκαζον. Narrat Plinius de Arellio, Romæ paullo ante Auguſtum celebri, eum flagitio inſigni corru-

piſſe artem, cum ſemper alicujus fœminæ amore flagraret, & ob id Deas pingeret, ſed dilectarũ imagine. Quo magis obſervandus ritus ille, quem notat Statius in pietate Abaſcantij:

mox in varias mutata novaris
Effigies: hoc ære Ceres, hoc lucida Cnoſſis,
Illo Maia tholo, Venus hoc non improba ſaxo.
Accipiunt vultus non indignata decoros
Numina.

Ita enim diſtinctio ponenda, quæ vulgo inepta eſt, & locum non intellectum prodit. Dicit autem Abaſcantium Priſcillæ ora habitu Cereris, Majæ, Veneris Cælitis & pudicæ, non πανδήμυ &c. ſignaſſe, ut Deas ſub forma defunctæ uxoris coleret, ipſiſque Deabus gratam hanc fuiſſe formam. Mutua autem vice defuncta colebatur ſub habitu Dearum. Hinc facula accenditur verbis Statij in Genethliaco Lucani:

Hæc te non thiaſis procax doloſis
Falſi numinis induit figuras:
Ipſum ſed colit & frequentat ipſum.

Ubi Domitius: Hæc non agit dies feſtos, quia ita velit indulgere ſuæ voluptati, atque exercere Bacchanalia ſub prætextu tui natalis: ſed tota de te cogirat, atque ex te pendet. *Falſi numinis*, i. non colit Bacchum ſimulans celebrare natalem tuum. Nihil hæc ad Dionyſum. Polla non ſub tua imagine Deos aliquos fingit & eos natali tuo feſtis choreis & ſaltationibus celebrat: ſed te ipſum ſanctiſſima æde mentis ſuæ veneratur & te Lucanum colit in tua imagine thalamis prœpoſita. Scripſimus *figuras*, non *figura*, autoribus Ro. Venetaque editionibus: & quod pluribus dijs defuncti faciem datam ab

impa-

impatientia doloris oſtendunt verba ex pietate Abaſcantij. Suetonius Caligula: *Habuit in matrimonio Agrippinam, & ex ea novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, unus iam puераſcens, inſigni feſtivitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit.* Apulejus lib. VIII. Miles. *Et dies totos totaſque noctes inſumebat luctuoſo deſiderio: & imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formaverat, affixo ſervitio divinis percolens honoribus, ipſo ſeſe ſolatio cruciabat.* Ita Apollonij Thyanenſis ſimulacrum ſub Herculis Alexicaci nomine conſtituerunt & honorarunt Epheſij, teſte Lactantio lib. V. div. Inſtit. c. III. Neque aliter intelligo, quod de Antinoo narrat Pauſanias in Arcadicis: οἶκος δέ ἐστιν ἐν τῷ γυμνασίῳ Μαντινεῦσιν ἀγάλματα ἔχων Ἀντινόου καὶ ἐς τὰ ἄλλα θέας ἄξιος λίθων ἕνεκα, οἷς κεκόσμηται, καὶ ἀπιδόντι ἐς τὰς γραφάς. αἱ δὲ Ἀντινόου εἰσὶν αἱ πολλαὶ Διονύσῳ μάλιστα εἰκασμέναι. Pertinet huc, quod Tacitus narrat li. I. hiſt. *Et fuere qui imagines Neronis proponerent: atque etiam Othoni quibuſdam diebus populus & miles, tamquam nobilitatem ac decus adſtruerent, NERONI OTHONI acclamavit.* Neque enim Neronis memoriam venerati ſunt, ſed ſub Neronis imaginibus Othonem, quaſi in hoc ille redditus eſſet. *Proponere*, quod *exponere* in Suetonii Julio: *porticibus ad tempus exſtructis, in quibus abundante copia pars apparatus exponeretur.* Recte hoc intellexerunt Torrentius & Caſaubonus, inſcite illi, qui hunc reprehendunt. Nam *apparatus* nihil aliud eſt, quam magnificentia ædilatus. *Exponeretur*, eſt cognoſcenda & inſpicienda in publico ad fori ornatum poneretur. Cicero in Verrem: *triclinia ſtrata argentumq; in ædibus expoſitũ.* Item:

exornat

exornat ample magnificeq; convivium, exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vasa argentea. Ita Livio lib. III. *exposita omni in Campo Martio præda.* Et lib. XLV. *præda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita.* Pro quo *propositum* dixit Cicero lib. I. de Orat. *in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste, neque proposito argento.* Livius lib. VI. *ingressus urbem, ubi patentes ianuas & tabernis apertis proposita omnia in medio vidit.* Quare utrumque etiam rerum venalium publice verbum est. Suetonius Tiber. c. XXXIV. Ner. c. IV. Juvenal. Sat. IV. Tacitus lib. XIII. Annal. Doctissimi viri nec verba Taciti, nec factum hoc Othonem venerantium satis intellexerunt. Plutarchus: *καὶ τίνων εἰκόνας Νέρωνος εἰς τοὺφανὲς προτεθειμένων οὐκ ἐκώλυσε.*

CAP. VII.

Statius bis illustratus & contra censorium opus magni viri defensus. Inventor salutis. Inventa auspicia, cursus. Inventor frugis. Cicero & Tertullianus vindicati. Flammæ sidereæ. Imitari.

EQuo maximo Domitiani inducitur Curtius e lacu suo dicens: *semel autor ego inventorque salutis Romuleæ.* Sane non admodum congrue *inventorem salutis Romanæ* dicit Curtium, cum oraculo vel responso datum fatum, non inventum isti. Suspicari quis posset mendum subesse & legi debere *invectorque*, aut tale aliquid magis πρὸς Διόνυσον. Ita notat vir nobilissimus lib. XXXI. c. VIII. adversariorum. Atqui manifesto Livius: *neque eam voraginem coniectu terræ, tum*

cum pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quam Deum monitu queri cœptum, quo plurimum populus Romanus posset. Hoc invenit Curtius, ideo merito *inventor salutis.* Cicero pro Sulla: *cum quoties quisquam est in hoc scelere convictus, toties renovetur memoria per me inventæ salutis.* Video doctos viros in hujus verbi usu interdum hærere. Cicero pro l. Manilia: *unde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum inventum putatis?* Ita optime MSSC. Codices. Abstineant acuti homines *initum, natum, ventum cursum* suum. Idem pro domo: *unde inventa est ista Libertas?* Tacitus lib. IV. Hist. *Si nemo obsisteret, innoxum iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros,* l. paraturos. Tertullianus in Apologetico: *Ceterum si propterea Liber Deus, quod vitem demonstravit, male cum Lucullo actum est, qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgavit, quod non est propterea consecratus, ut novæ frugis autor, quia inventor & ostensor.* Meo judicio neque scriptus aliquis codex, neque conjectura docti viri ibi audiatur. Nam quod dicit, non invenisse fructum illum Lucullum, sed Italis promulgasse; non meminerat verborũ, quæ præcedunt: *denique invenisse dicuntur necessaria vitæ, non instituisse: quod autem invenitur, fuit, & quod fuit, non ejus deputabitur, qui invenit, sed eius, qui instituit: erat enim antequam inveniretur.* Ita *inventis auspiciis* pro inductis, introductis, usurpari Romæ cœptis, inquit Cicero in Vatiniana. Iterum equo maximo Dom. sub finem:

> *& tua mitis*
> *Ora Taras, tua sidereas imitantia flammas*
> *Lumina contempto mallet Rhodos aspera Phœbo.*

Tantus, ait, mortalium erga te amor, ut etiam imi-

imitantia ſolum cæleſtes flammas tua lumina malint Rhodij, quam ipſum ſolem, aſtrorum omnium principem. Hæc ſententia eſt: quam ego tamen enormem extraque limites conſideratæ ſcriptionis ire arbitror. Quis enim ferat Poëtam tam ſtultos Rhodios facientem, ut ſolem omnium ſiderum principem ipſorumque peculiarem protectorem ſpernere velint; non aſtri quidem gratia, ſed illius, qui *imitari* aſtra dicatur ſimul! Quare vox *imitantia* hic mendoſa dicenda, nimiſque pro tanta re humilis, aut cogitandum, quo pacto Poëtæ excuſari queat incogitantia. Sic vir nobiliſſimus lib. XXVII. adverſ. c. XVIII. Paruimus monitis & ſingula reputantibus Papinium eſſe extra culpam, virum ſummum in multiplici errore paruit. Primo *ſiderea flammæ* non ſunt aſtrorum, ſed vero ipſius ſolis, qui & ipſe *ſidereus* Poëtis. Deinde & ſonorum & commodum ad ſenſum, *imitantia*. Quo Papinius utitur ſecretiore ſignificatu pro referre, exprimere, ſimilem eſſe, cum proprie conatum modo repræſentandi indicet. Ut ad Claudiam uxorem:

at hic magnæ tractus imitantia Romæ

Capuæ mænia. Itaque pictorum fictorum & cognatorum artificum eſt. Horatius: *argilla quidvis imitaberis uda.* Plinius in Epiſt. *ramos inſidenteſque ramis aves imitata pictura.* Statius: *fulvum vultus imitabitur aurum.* Frequens inprimis & amatum Poëtæ noſtro verbum. Cujus in iſtis hæc ſententia eſt: tua lumina exprimentia, referentia ſic, ut nihil ſimilius, ſolares flammas mallet Rhodos aſpera. Nec meræ adſentationis eſt, quod ſoli conferuntur vultus calvi

Nero-

Neronis. Ipſe enim fuit, Suetonij verbis, *vultu ruboris pleno & grandibus oculis.* De rubicundo illo vultu Tacitus in Agricola : *cum notandis tot hominum palloribus ſufficeret ſævus ille vultus & rubor, a quo ſe contra pudorem muniebat.* Et ille apud Philoſtratum : μεστὴ δὲ ἡ παρειὰ χολῆς , quod mox φύσεως μᾶλλον appellat Apollonius. Denique *contempto Phœbo*, non eſt, ipſo ſole ſpreto, tulelari numine ſuo ; ſed contempta facie Phœbi , quæ in coloſſo habebatur. Utque Phidias & Elij Tarentiniq; mallent Iovem venerari ſub vultu Domitiani, ita Rhodij ſolem. Tua quippe lumina, inquit, ſidereas ſolis flammas ſic imitantur, ut qui illam formam cum tua conferat , te malit tuarumque ſtatuarum ora ſimiliora ſoli cenſeat , quam ipſa ſolis labtata. Ex his manifeſtum eſt , omnes eruditos , qui quinque illos verſiculos ſibi ſubſequentes attigerunt , a vero ſcopo Papinij longe deerraſſe. Neque enim hoc dicitur : mallent Tarentini tuos vultus , quam ipſius Jovis , aut Rhodij contempta ſtatua aut coloſſo Phœbi, tuos oculos intueri: ſed, mallent illi Deos ſuos non ſub iſtis formis, quæ eorum eſſe creduntur, verum in tua facie venerari , quæ magis Jovem , Phœbum, Herculem , deceat & æquet : non ſecus, quam & præoptaſſet Phidias tua facie Jovem Olympium decorare. De quibus omnium ſanorum aſſenſum facile nos merituros certum habemus.

CAP.

CAP. VIII.

Statius correctus, vel potius a correctura prohibitus. Facere pedem, phrasis nautica, Scazon fractus pedem. Versus miuri. Elegia non fracta pedem, sed fraudata, truncata, secta pedem. Alternus pes, alterna carmina. Facere pedem alternum.

EPithalamio Stellæ & Violantillæ:

Quas inter vultu petulans Elegia propinquat
Celsior assueto, Divasque hortatur & ambit
Alternum factura pedem.

Ad. Turnebus tenet hanc lectionem & *facere alternum pedem* pro claudicare poni asserit. Theod. Marcilius ad Horatium de arte poëtica, emendat: *Alternum fractura pedem.* ut enim lugentium animi debiles atque infracti: & quasi claudi: ita elegiæ numerus fractus & claudus. *Fractura pedem alternum*, id est, versum alternum. Etiam contra Turnebum nervose disputat Gevartius. Quid enim est *pedem facere?* an idem quod ire, incedere? Quis ita loquitur? Nam quod Virgilius ait, *Vna omnes fecere pedem*, nihil huc pertinet. Quippe *pedem facere* ibi phrasis nautica, nihil cum incessu aut ingressu habet commune, nisi forte similitudinem istam, cujus respectu a corporibus animantium ad rem navalem accommodata est. *Pedem facere*, in parte, ut *vela facere*, in toto. *Pes* enim vel *pedes*, ut πόδες Græcis, pars inferior veli, in dextrã & sinistram partem, ποδεών. Quod, opinor, dicere voluit eruditus vir, qui notat πόδας esse funes nauticos. Sane Lycophron cum πτοιὰς ποδωτοῖς ἐμφερεμβύας λίνοις dicit, non vela funibus instructa dicit, sed pedibus.

pedibus, Neque apud Sophoclem aut Homerum & infinitos testes, qui sic loquuntur, πόδα νηὸς ipse rudentẽ interpretabitur. Sed ponamus, *pedem facere*, idem esse, quod ire: num ideo *alternum pedem facere* erit claudicare? Immo si id loquendi genus tolerabile est, quia incedimus alternis pedes proferendo, neque ut Dij Poëtici promovemur, is qui rectissime & firmis gressibus ambulat, *alternum pedem facere* dicendus erit. *Niti alternos gressus cuspide* dixit Virgilius eum qui altero pede niti non poterat. *Cunctari alternos gressus* claudicantem Mulciberum Valerius Flaccus:

Alternos ægro cunctantem poplite gressus.

Quæ quantum distent ab illo *facere pedem*, & *facere alternum pedem*, nimis clarum est. Non potest ergo tolerari hoc sensu *factura pedem*. Quare etiam Gevartius emendat, *fractura pedem*. In quo adeo sibi placet vir elegantissimus, & nihil certius hac emendatione pronunciet.

Θεςμὴν ἐπὶ ψυχρῷσι καρδίαν ἔχει.

Non minus in hac lectione incommodi est. Etenim Elegia non dicitur proprie *claudicare*, neque *fractus pes* Elegiæ est alternus: qui si esset, versu utroque æque longo alter in fine vitiaretur, & subjungeretur hexametro miurus. Ut in illis Livij Andronici:

Et iam purpureo suras include cothurno,
Baltheus & revocet volucres in pectore sinus,
Pressaque iam gravida crepitet tibi terga pharetra:
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Quod vel palmarium argumentum erat quoq; contra vulgatæ explicationem, quam dant viri docti, minime cogitantes naturæ Elegiæ plane

eam diverſam eſſe. Propria phraſi *fracto pede* eſſe dicitur Szazon Hipponactæus, qui æque longus quam trimeter ultimum pedem trahit. Nuſquam in omnibus phraſibus, quæ elegiæ ſive elegorum legem depingunt, *fracto pede* eſſe dicitur elegia: ſed *fraudata pedem*; ut Statio: *qui nobile greſſu Extremo fraudatis opus*: vel *truncata greſſu*, ut eidem: *heroos greſſu truncare tenores*: vel *ſurrepto pede*, ut Ovidio. Quare non levem errorem errat vir humaniſſimus, qui hęc nihil aliud, quam *fractum pedem* eſſe aſſerit. *Abſciſſum* hæc pedem volunt, non *fractum*: nec Elegia magis *frangit pedem*, quam claudicat aut loripes eſt, quæ Scazontis propria. Semel omnino Ovidius *clauda* dicit elegiæ carmina, magis ut inde captaret ſenſum ad conferendam eam fortunæ ſuæ, quàm quo proprie loqueretur. Lib. III. Triſtiũ:

Clauda quod alterno ſubſidant carmina verſu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

Sed nihil hoc juvat Gevartium. *Subſidere pedem alternum* dicit, quo indicat eum pedem, ob quem *clauda* vocat *carmina*, minorem eſſe. At ubi pes *fractus* eſt, ille non minor, ſed longior, ut pote luxatus & ſolutus, quique jam trahitur. Hæc argumenta tanti contra reſtitutionem Gevartianam ſunt momenti, quanti quibus ille vulgatum, ut putat, ſubruit; & majoris, quoniam una inepte explicationem illam, qua vulgatum ſuo ſenſu tueri conantur, ſi maxime Latinum eſſet, ad Elegiam accommodari demonſtrant. Cruceus non improbat expoſitionem Turneti; nemini tamen dubium eſſe putat *alternum facere pedem* eos qui ſaltant: quia Horatius dixerit: *Alterno terram quatiunt pede*. Negamus hæc eſſe

paria,

paria, & negabunt, qui non ſunt Crucei aut Cruceorum gemelli. Poſſet autem exiſtimari veram lectionem eſſe: *Alternum ſectura pedem*, Cum ſcriptum eſſet in antiquo codice *factura* (ut nihil frequentius, quam in minuta ſcriptura, quam falſo Longobardicam vocarunt, apices illos confundi) pro *ſectura*, idque non intelligerent librarij, *factura* alij non ſapientiores, ſed confidentiores ſubdiderunt. *Secat pedem* Elegia. *Sectus pedem* verſus, cui ſubreptus pes qui truncatus. Sed nihil imitādi autor ſũ. Verſus Elegiaci dicuntur etiam *alterni* in Epiſt. Sapphonis:

Forſitan & quare mea ſint alterna requiris
Carmina, cum Lyricis ſim magis apta modis.

Ut *alterna carmina*, *verſus alterni*: ita *pes alternus*: quem non intelligendum eſt Divæ Elegiæ, ut hactenus commentatores putarũt, ſed verſuum alternorum, quos illa facit, meditatur. *Facere pedem* eſt facere verſum. *Pes* nihil aliud, quam verſus. Horatius: *Nunc ſocci cepere pedem*, id eſt, verſum jambicum. Quod quando notavit Turnebus, dimidium vidit, non totum. Similiterque Barthius lib. XXVIII. adv. cap. IV. cum quidem *alternum pedem* agnoſcat carminis, ſed neſcio quem deinde unum pedem Muſis, alterum Elegiæ tribuat, & odoretur elegantiam quandam in τὸ *facere*, quod ſimpliciſſime Statius accepit. Uti Turnebus ad claudicationem Elegiæ recedit. Quæ nulla eſt, ſed Scazontis, ab Ovidio ſenſus arguti cauſſa conficta, non quod ita proprie loquentur rei Poëticæ magiſtri. *Ergo alternum factura pedem*, eſt, conſcriptura carmina alterna, ſive elegiaca, & ſuæ legis modo metienda.

CAP. IX.

Statius non semel leviter correctus & illustratus. Rosa frondentes jactæ. Prensa biga, prensi equi, boves. Ovidius defensus & illustratus. Iunctum vehiculum. Lectus Veneris deprensus. Amor manu levi sagittam tenens nunquam frustratam. Attonitus. Dij graves, leves, lenes. Horatio & Maroni lux. Deducere crinem, barbam. Ovidius iterum defensus. Error ob formæ similitudinem. Claudianus correctus. Vnde particula eleganti usu.

EPithalamio Stellæ & Violantillæ:

Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis & dominæ niveis a vultibus obstas.

Nulla ratio est, quare Stella *fronte* potius quam alia corporis parte excipiat rosas & lilia. Dixerat enim ante Poëta eum amplexum conjugem spargi: neque post ullius alterius mentio fit partis. Flor. Rom. & Venetus codices, *mollis*, pro *violis* habent. Quod possit explicari. Domitius: tu, inquit, amplexus Violantillam objicis te rosis & floribus, qui jaciuntur, ne niveos dominæ vultus offendant. Quod ferri non potest. Etenim si amplexus conjugem erat, & fronte rosas excipiebat, fieri non poterat, quin eædem rosæ, quæ frontem Stellæ ferirent, in Violantillæ quoque frontem reciderent. Aut certe debuit aversus a Violantilla esse, si objectu suæ frontis prohibere vellet, ipsa ne offenderetur. Scribe:

Tu modo fronde rosas, violis modo lilia mixta
Excipis.

Ut enim *lilia mixta violis*, ita *rosa fronde*. Frondem intel-

intellige ipsius rosæ, quæ & virore suo gratiam ampliorem roseo rubori conciliabat, & ceu recentem commendabat. Imitatus Claudianus Epithalam. Honorij & Mariæ:

Alternas violis Nereus interserit algas.

Ita enim legendum ex MSC. Vulgo: *Alternis.* Sequitur non multo post:

Nec si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisses, hæc dona forent; nec si alma per auras
Te potius prensa veheret Titonia biga.

I. Parrhasius libenter legerit, *prensum* vel *pressa biga*; cum *prensa* nulla ex parte quadret. Epist. LVII. Et assentitur Bernartius. Nimirum non subjiciebat se viro doctissimo haud vulgaris illa notio τȣ̃ *prensa*, quam didicerat Statius a Marone lib. I. Georg.

Septima post decimam felix & ponere vites
Et prensos domitare boves.

hoc est, junctos. Iterumque lib. III.

namq; ante domandum
Ingentes tollent animos, prensiq; negabunt
Verbera lenta pati.

i. juncti. Et ab Ovidio lib. I. de Remed. amoris.

Aspicis ut prensos urant juga prima juvencos.

Ubi falluntur, qui *pressos* substituunt. Sic igitur *prensa biga* idem est, quod *juncta biga*. *Iuncta biga* dicitur, ut *junctum vehiculum*. Sic lege Oppia latum erat, *ne qua mulier juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passuum, nisi sacrorum publicorum caussa veheretur*, verbis Livij lib. XXXIV. Græci ἐζευγμένα ἅρματα. Claudianus Cons. Olybrii & Probini: *famuli currum junxere volantem.* Cujus locutionis rationem explicat Manilius lib. IV. cum dicit, *libet subiungere currus.* Erudi-

tionis ergo Statianæ ingens argumentum *prensa* illa *biga*. Mox:

Fessa iacet stratis ubi quondam conscia culpa
Lemnia deprenso repserunt vincula lecto.

Non opus corrigere cum quodam *furto*. Sic in lib. VII. Thebaid.

nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.

Post paullo:

Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manuq; levi nunquam frustrata sagitta.

Libenter hic, inquit Morellus, Latinum casum mutarem in rectum, *manusque levi*, nam manus potius levi sagitta frustratur, quam sagitta manu. Secutus exemplum alter rescribit: *manusque levis nunquam frustrata sagitta*. Vt τὸ *sagitta* sit nominandi casus: τὸ *manus* accusandi. Gerræ germanæ. *Levis manus* est velox, facilis ad quodcunque opus arcus. Ut autem puero illi plurimus ignis in ore, ita in levi manu sagitta, quæ nunquam eum frustrata erat. Imitatio Virgilij est, cujus illud: *nunquam fustrata vocatus Hasta meos.* Eodem Epithalamio:

Testis ego, attonitus quantum me nocte dieque
Vrgentem ferat; haud ulli vehementior unquam
Incubui.

Ita distinguunt omnes editiones, ceu Stella *attonitus* dicatur. At Papinius. Amorem *attonitum* dicit, hoc est, admirantem. Ut in epicedio Glauciæ: *attoniti te spectavere parentes.* Scribe ergo: *Testis ego attonitus, quantum me nocte dieq;.* Quibus minus propitij esse Dij credebantur, illis dicebantur venire *graves*: ut contra benigni & propitij *lenes levesque*. Horatius: *Mactata veniet lenior hostia.*

hostia. Venus, inquit, veniet lenior, si ei hostiam mactaverimus: de qua ante: *In me tota ruens Venus Cyprum deseruit.* Hinc etiam capiendum illud apud Virgilium: *nescia Dido, Insideat quantus miserę Deus.* Non tantum majestatem, sed & secuturam Didus infelicitatem & parum secundos amores, dureque incumbentem Puerum recte notat. Horatius:

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines & aprica rura
Lenis incedas.

Et rursum: *monet Sithoniis non levis Euyus.* Valerius Flaccus lib. II. Argon. *Levior Lemno Deus æquore flexit Huc Minyas.* & lib. VI.

non illa levi turbata metallo,
Sed facibus, sed mole Dei, quem pectore toto
Iam tenet.

Sic Tellurem placans Thyodamas apud Statiũ petit: *tantum exorata Pelasgis*
Siste levem campum, celeres neu præcipe Parcas.

Iterum hoc Epithalamio:

nec pingui crinem deducere amomo
Cessavit mea, nata, manus.

Deducere est tenuare, inquit Cruceus: ut *deducere fila, deductum carmen.* Itaque *deducere crinem* est capillum tenuare & formare in speciem decoram. Immo mulcere. Ovidius de Æsculapio:

baculumque tenens agreste sinistra,
Cæsariem longa dextra deducere barba.

Deducere crinem amomo est ductim vel tractim urgere, timire. Petronius: *capillos meos lenta manu duxit.* Ovidius: *Cythoriaco deducit pectine crines.* Ubi male Scaliger, *diducit.* Sic *ebur ducere pollice*, pro tractim pollice ebur pulsare vel mulcere, apud Claudianum:

Et levi resides modulatus pectine nervos
Pollice festino mobile duxit ebur.

Ita scribimus ex MSC. Gerardi I. Vossii, τῶ ἐν θαυμασίοις. Inferius:

Et si flammiferas potuisset scandere sedes,
Hasq; intrare domos, ipsi erraretis Amores.

Recte hunc locum intellexit Parrhasius, & eleganter illustravit Gevartius. Cui hæc addimus, non quod opus sit, sed quia jucunda est talium comparatio. Aperte imitatus est Claudianus in IV. Cons. Honorii:

Hoc si Mæonias vultu graderere per urbes,
In te pampineos proferret Lydia thyrsos,
In te Nisa choros: dubitarent Orgia Bacchi,
Cui furerent: irent blandæ sub vincula tygres.

Sic enim MSC. codices, non *cinctu*. Statius hujusmodi errorem fingit in Coma Earini:

Ac primum subita paullum decepta figura
Natorum de plebe putat.

Superiusque in hoc epithalamio de Elegia: *& medias fallit permixta sorores.* Et lib. V. Thebaid. *ambiguo visus errore lacessunt Oebalidæ gemini.* Neque injucundus lusus Silii lib. II.

Eurymedon fratrem & fratrem mentite Lycorma,
Cuncta pares, dulcisque labor sua nomina natis
Reddere, & in vultu genitrici hærere suorum.

Item Lucani lib. III.

Discrevit mors sæva viros, unumque relictum
Agnoscunt miseri sublato errore parentes.

Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Hanc si Thessalicos vidisses Phœbe per agros,
Erraret Daphne secura. In littore Naxi
Theseum juxta foret hac conspecta cubile,
Cnossida desertam profugus liquisset & Evan.

Quid

Quid apertius aut verius hac lectione, quam Rom. Codex & editio Cl. V. Fr. Lindenbrogii præferunt? Et tamen distinctionis errore, quem primum Aldina genuit, inducti substituerunt: *Daphne. Si curvo in littore Naxi.* Quid est autem: *Erraret Daphne.* Denique hoc Epithalamio:

Vnde novum Troiæ decus ardentumq; Deorum
Raptor erat, Phrygio si non ego juncta marito?

Ro. Venetusque codices & MSC. Florentinus: *Raptorem, Phryg.* Quod ipsius Statii est, mutatumque ab illis, qui non capiebant. M. Seneca controv. IX. *Ita nos pauperes sumus, qui habemus, quod divites rogent? unde talem patrem? non irasceris, nisi ut ames.* Similiter ut in illo: *Quo mihi fortunam?* Inscriptio vetus: UNDE. TALEM. QUANDO. TALEM. ET CUI TALEM. Ovidius:

Sed mihi tam faciles unde deosque meos?

Lucanus:

Vnde pares somnos populi noctemq; beatam?

CAP. X.

Statius illustratus, defensus, leviter correctus. Scribere tectum. Luna picturata. Sufficere, Suffectus, Suffectio. Affectio. Confectus. Manilius correctus. Varii autores illustrati. Coloratus. Coloratiora corpora. Calpurnius Flaccus emendatus.

TIburtino Manlii Vopisci:

Visa manu tenera tectum scripsisse voluptas.

Vetustiores editi, *Ipsa.* Sed isto modo εὐστόχως conjecit legendum Lindenbrogius, & confirmatur ejus conjectura MSC. Senensi, unde

idem notaverat Scaliger. Itaque Gryphianam habere ajunt ſcidæ Gruteri, ubi & nos, & in Colinei deprehendimus. Inſulſus error Crucei, qui putat Statium notare inſcriptiones domorum; qualis illa hortorum Epicuri: HOSPES HIC BENE MANEBIS. Nec melius Bernartius *ſcripſiſſe* interpretatur feciſſe, condidiſſe, propria verbi, ut ait, notione. At Statius intelligit per *tectum ſcribere* idem, quod Maro.

optare levum tecto, & concludere ſulco.

Voluptas locum elegit & deſignavit; Venus inixit faſtigia Idatijs ſuccis, *Permulſitque comis.* Ita enim ſcribendum, non *comas*, cum MSC. Florentino. Inferius:

an Mauros undique poſtes,
An picturata lucentia marmora vena
Mirer?

MSC. Medicæus, cujus & Wouwerius in quadam ad Scaligerum epiſtola meminit, pro *vena* habet *luna*. Quod mihi ſpernere religio. Conjungit enim poſtes e Numidico & Lunenſi marmore. De quo Strabo: μέταλλα δὲ λίθου λευκοῦ τε καὶ ποικίλου (hinc *picturata Luna*) γλαυκίζοντος τοσαῦτ' ἐστὶ καὶ τηλικαῦτα μονολίθους ἐκδιδόντα πλάκας καὶ στήλας, ὥστε τὰ πλεῖστα τῶν ἐκπρεπῶν ἔργων τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ταῖς ἄλλαις πόλεσιν ἐντεῦθεν ἔχειν χορηγίαν. Non placet, quod interpretes vulgo de citreis eburneiſve poſtibus diſputant, cum ſimpliciſſimum ſit marmor Numidicum intelligere, quod & in Hetruſci balneo agnoſcit Statius, & belle cum Lunenſi illo jungitur. Lunenſis marmoris meminit quoque in epulo Domitiani:

Lunaque portandis tantum ſuffecta columnis.

Pedes

Pedes seu bases columnarum e Lunensi marmore fuisse ait, neque alium in sumptuoso hoc palatio ejus usum. Manifesta imitatione Lucani lib.x.

Hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium, non forma domus.

Quamquam hic fictio, ibi videatur veritas. Notanda autem proprietas vocis *suffecta*. Ab hac enim notione, qua supponere, suffulcire est, illud flexum ad tincturam est pro suffundere, substernere. Cicero Hortensio: *Vti qui combibi purpuram volunt, prius sufficiunt lanam medicamentis quibusdam: sic literis talibusque doctrinis ante excoli animos & ad sapientiam concipiendam imbui & præparari decet.* Primus quod sciam Muretus ad Catullum notari hanc notionem jussit. non addito tamen exemplo alio. At I. Gebhardus lib. I. crepund, c. XI, excensam ait esse orationem, & legendum, *subigunt.* Qui nec audiendus, nec auscultandus. Substernuntur colores, quibus primum lana temperatur, ut alij pretiosiores superinducantur. Quod Plinio *substernere colores.* hoc Ciceroni *sufficere lanam coloribus* immo & *suffectus color* est temperatus, præparatus Arnobio lib. VII. *At vero dijs levis sedesque habitantibus inferas color furvus est gratior & tristibus suffectus e fucis.* Hinc *sufficere* simpliciter pro leviter tingere, & quasi coloribus spargere, Virgilius:

Ardentesque oculos suffecti sanguine & igni.

Quem imitatus Ammianus Mercellus lib. XXX, de Valentiniano: *suffectus igneo lumine cernebatur.*

Mani-

Manilius lib. III.

At cum subfectis orbem nox texerit alis.

hoc est, ferrugineis, tinctis, Ita habet textus Bonincontrij & eruditius est, quam ut ab homine minime malo confictum haberi debeat. *Suffectis alis* est tinctis colore noctis, pro *coloratis*. Nam hoc verbum interdum albenti opponitur, & nigrum seu nigricans, vel in furvum vergens notat. Sic Mauri, sic Indi *colorati* dicuntur. Calpurnius Flaccus: *Non eodem omnes colore tinguntur. ex altera parte, qua convexus & deficiens mundus vicinum mittit Orientem: illic offuscatiora* (vel *fusciora*. *M S. offusciora*) *corpora, illic coloratiora nascuntur.* Ita legendum est. Male Pithæus mutavit vet. lib. lectionem in *effusiora* & *collectiora*. Non de magnitudine, sed de colore corporum sermo est. Inferius: *Hoc ipsum quod ita infuscatam cutem livor infecit, dies longus extenuat. nivea plerumque membra sole fuscantur, & corpori pallor excedit: quamvis naturaliter fuscos umbra cogit albescere.* Quod bene illustrat Philostratus lib. II. imaginum. ζῆλό τε ἐπαινεῖ οὐδέν. ὅθεν οὐδὲ λευκώλενος θέλει εἶναι, οὐδὲ τὰς δρυάδας ἐπαινεῖν ἔοικεν, ὅτι λευκαίνουσι ἑαυτὰς ἐν ταῖς σκιαῖς· ἀλλὰ τὸν ἥλιον, ἅτε κοίλην Ἀρκαδίαν οἰκοῦσαι, αἰτεῖ χρῶμα. Vehemẽtius igitur perusta *coloratiora* corpora. Pro quibus Manilius, *subfecta*. Posset tamen & *subfectis* polo *alis* intelligi ita ut apud Statium, *suffecta columnis*. Ut sensus conveniret cum illo Lucani: *Nox subtexta polo*. Seneca lib. I. Nat. Quæst. I. V. *Præterea cum dicitur tibi nubem sole esse suffectam, non dicitur tibi colorem illum immixtum esse velut duro corpori ac stabili & manenti, sed fluido & vago.* Valerius Flaccus lib. I. Argonaut.

In

In media jam morte senes, suffectaq; tabo
Lumina.

Idem lib. 11. de Venere: *eadem effera & ingens, Et maculis suffecta genas.* Hinc *suffectionem* eleganter Arnobius lib. v. *& quia de rubro exorta sunt sanguine, iccirco illis color est purpurei luminis suffectione subluteus.* Et eodem libro: *Vnde enim violæ nasci potuissent, odore nisi putorem membri unguentorum illa suffectio temperaret.* Rursum lib. VII. de serpente Æsculapio: *caput si habuit atq; caudam, si obsita squamis terga, si macularum suffectionibus varia, si os dentibus horridum.* *Affectionis* vox eadem elegantia Tertulliano de pallio c. IV. *ob diversam affectionem tenebricæ vestis & tetrici supra caput velleris. Diversa affectio* est tinctura, color oppositus contrariusque cultui omnia candidato. *Confectus* idem Aldhelmo de laudibus virginitatis: *sed uniformi coloris fucis sigillatim confecta fuerit.* Cedo mihi aurichalco contra unum cõmentatorem omnium istorum, qui digne eos his locis enarraverit, immo intellexerit.

CAP. XI.

Statius quatuor locis explicatus, in his defensus tribus. Tota quies. Toto cygno candidior. Tota pennæ somni. Martiali & Lucano lux. Anhelantes vicino flumine Nymphæ. Albulæ calidæ & frigidæ. Suetonius defensus. Turbare. Turbare Satiram. Lex satura. Satiræ Lucilianæ proprietas.

Tiburtino Vopisci:

Qua tibi tota quies offensaq; turbine nullo
Nox silet.

Behotius

Behotius & Piccartus scribunt, *tuta quies*. *Tota quies* integra est, nulla ex parte vel minutissimo turbarum strepitu interrupta. Eleganter hoc verbo utuntur veteres. Martialis: *Toto candidior puella cygno*. Quod suavissime dictum pro omni illo candido, quod habet totus cygnus. Si omne candidum cygni separari ab eo posset, & unum in corpus misceri, utique omnium illud candorem vinceret. Et hunc tamen superat puella illa. Non movet me conspiratio eruditorum adversus illud *toto*. Tale quod in carmine ad Somnũ: *nec te totas infundere pennas Luminibus compello meis.* i. omnem soporiferum humorem, qui est in pennis. lib. x. de eodem: *cum vero humentibus alis Incubuit*. Imitatus Claudianus: *pigrasque Sopor diffuderat alas*. Frustra est Barthius, cum corrigit *totis pennis*, lib. XVIII. adv. cap. XVII. frustra stupori librariorum irascitur. Lucanus:

Quem non mille simul turmis, nec Cæsare toto
Auferret fortuna locum.

Nec absimile illud in IX. Thebaïd.

ni fallor, & ipse
Invidit pater & tota Mars impulit hasta.

Quin & nullis officijs urbanis crudisque salutationibus interpellata quies Tiburtini merito dicitur *tota*: ut ad Claudiam:

Et nunquam turbata quies somnique peracti

Mox Tiburtino Vopisci:

Quaque

Quaque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas,

Domitius : vel Albulas intelligit, quæ aquæ ſunt juxta Anienem in planitie Tiburtina pergelidæ & ſulphureæ : ut dicat aquas Anienis, quæ caleſiunt balneis Vopiſci, deridere nymphas Albularum vicinas, quæ frigore rigent : Vel *vicino flumine* eſt ſuperiore & inferiore parte fluminis. Nugæ. Ipſe enim Anio, in cujus ripis fumant balnea, ridet Nymphas (hoc eſt, aquas balneares) anhelantes, in balneo puta, cum tamen tam vicinum ipſis ſit flumen gelidum. Quod acumen non perſpexit Behotius, cum *vicino flumine* interpretatur e vicino flumine : etſi plus in hoc loco quam Domitius viderit.lib.I. Apop.c.XVII. Aut, ſi Albulæ capiendæ, non utique ſulphureæ illæ & egelidæ, de quibus Bernartius hic, ſed aliæ frigidæ : quas videtur reſpexiſſe Domitius, ſed cum illis confundit, cum ſulphureas vocat. Deinde, hæ non deridentur ; ſed, ſi ſic placet potius, quam de Anione intelligi, Albula amnis ridet balneares Nymphas æſtuantes, utcunque ipſis vicinum frigidum flumen, ipſius nempe Albulæ. Strabo : ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ ὁ Ἀνίων διέξεισι καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν πρὸς ποικίλας νόσους καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθημένοις ὑγιεινά. Quare ut ab hiſce diſtinguat illas, *calidas Albulas* Suetonius dixit Auguſto : *quoties nervorum cauſſa marinis Albuliſq; calidis utendum eſſet.* Ad utraſque enim & *marinas* & *Albulas τὰ calidas* reſpicit. Fallitur ergo Læv. Torrentius, qui Suetonium ut inani ocioſoq; epitheto uſum caſtigat, aut

aut emendat: *marinis calidis Albulisq;*. Sub finem Tiburtini:

> *Sive chelyn tollas heroa ad robora, sive*
> *Liventem satiram nigra rubigine turbes.*

Mirum est, tot correctores hactenus non subolfecisse manifestum mendum. Quid est *turbare satiram*? Certo certius legendum: *nigra rubigine turpes*. Et hoc verbum optime convenit cum *nigra rubigine*, seu mordacitate qua satiram tinctã esse oportet. Ita Gevartius. P.Scriverius corrigebat: *nigra rubigine vibres*. Ut Catullus, *truces vibrare jambos*. Illum quidem facile ausculto in X.Theb.cum MSS.legendum: *turparem ego proditor Argos*: i. ut ego quoque dedecori & infamiæ illis essem, καταισχύνω. τὸ τῶν Ἀργείων φιλελεύθερον καὶ γενναῖον διὰ τὴν ἐμαυτοῦ κακίαν προδότης. Quod voluitq; Bernartius. Sed in Triburtino Manlij nequaqnam *turbes* mutandum, *Satira* generatim nihil est aliud quam scriptum pro arbitrio varia complectens, *famen miscellum*, ut bene explicat Martianus Capella. *Lex satira* vel *satura*, quæ una rogatione multa & varia comprehendebat, νόμος πολλὰ περιέχων, ut est in Glossis: non quæcunque plura capita continet, ut fallitur vir candidus & optime de studiis communibus meritus in Observationibus humanis. Variarum rerum capita dixisset, rem attigisset. Nam lex Julia de maritandis Ordinibus plura quidem capita continet, non tamen Satura est. ad eandem enim rem sunt. Sed lex Satura res diversissimas miscet: quarum aliæ plura capita habent, aliæ non, prout exigunt aut res ipsæ aut voluntas latoris. Ita *per saturam fieri* dicitur fere quicquid confusanee, inordinate, multiplici re-

rum

rum & operum mixtura conficitur. Ipſaque Satira carmen olim rude primum & hiſtrionium, in quo multa variaque riſus excitandi gratia miſcebantur: aſſumpta poſt modum doctis & ſeriorū additione varia ſorte perfectior reddita. Cui primus Lucillius dentem addidit & licentiam veteris comædiæ. Quæ cum aliis, quæ huc lucis aliquid adferre poſſunt, eruditiſſimi homines, qui in manibus ſunt, latius exequuti ſunt. Patet autem ex ijs, quæ repetivimus, duo præcipua eſſe, ex quibus Satira Luciliana cohæreat, ordinem turbatum & confuſaneum, ſeu reſpectu materiarum, ſeu ſtili, qui proſam vorſæ miſcet, ſive ſermonis, qui Græcam Latinæ, & inſectationem vitiorum per ſales & acerbos jocos. Quæ ſumma cum eruditione & judicio expreſſit hoc verſu Statius:

Liventem ſatiram nigra rubigine turbes.

Cum enim Satiram *nigra liventem rubigine* facit, poſterius; cum *turbari* eam, prius innuit. *Turbare* enim miſcere eſt, miſcellum opus facere. Ut in Epiced. Glauciæ: *& dulci turbabit cuncta rapina*, In arbore Atedij:

Spargere tulaticem & foliis turbare memento.

Neque enim *turbare* hic eſt turbidum facere ab imo, quod folia levia & caduca quomodo poſſint, poteſt quæri: ſed miſcere & veluti variare. Sic Martiali, Hermus *turbato ſordidus auro*, pro permixtis aquæ auri ramentis. *Turbati greſſus* ſunt permixti pedes lib. XI. Thebaid. *ad terram turbatis greſſibus ambo Præcipitant*, hoc eſt, implicitis, ut non diſcernatur ab adſtantibus, utri cujuſque ſint. Nam & mox: *& enſes impliciti nexæque manus*. Sic contra apud Maronem: *miſceri*

murmure cælum, pro turbari. Et Phædrum, purissimum fabularum scriptorem:

Procax libertas civitatem miscuit.

pro turbavit seditionibus. *Turbare satiram* est opus, carmen miscellum & quasi per saturam scribere: de quo loquendi genere infra ad Protrepticum ad Crispinum, *Turbare Satiram liventem nigra rubigine* est Satiram Lucilianam condere. Quæ solis jubare clariora sunt: neque dubito ipsum humanissimum Gevartium haud gravatim manus veritati daturum.

CAP. XII.

Statius bis correctus, illustratus aliquoties. Cura vigilis opus. Cura pignora. Rutilius Numantianus correctus. Lectus. Lumina. Exilium morti simile, seu capitale judicium. Renasci. Natalis dies.

SOterijs Rutilij Gallici:

Sed labor intendens, animique in membra vigentis
Imperium, vigilesque suo pro Cæsare curæ,
Dulce opus.

Perspicuum est scripsisse Poëtam: *vigilisque suo pro Cæsare curæ Dulce opus*. Nescio quomodo elegantius hoc verbo veteres utuntur, quam capit vulgus. Rutilius Numantianus:

Ille mea secum dulcissima vincula curæ
Filius affectu, stirpe propinquus habet.

Ita recte emendavit vir magni judicij & consummatæ doctrinæ Mich. Virdungus, quo Norica tellus nihil mihi gessit amicius. A quo diversus abit vir nobilissimus, ultimus editor illius scriptoris, & ex vet. co. *Cunæ* retinet, numero sin-

ro singulari a *cuna* quod in Glossario Philoxeni explicatur βαϐαλιςήελον. Quasi dicat ab ipsis cunis sibi Palladij amorem inolevisse, non quidem Rutilij, quippe qui illum filium appellat, sed Palladij. At vero provocabulum *mea* non permittit aliam intelligere, quam Rutilij, qui loquitur, sive *curam* sive *cunam*. Quare desinamus rodere glandes tam vili fruge. Claudianus de bello Gildoni.

Non illis generis nexus, non pignora curæ
Sed numero languet pietas.

Idem de bello Getico:

vestros stimulant si pignora sensus
Me quoque non impar naturæ cura remordet.

Et *urgere curas* de laudibus Stiliconis lib. I.

Nubilis interea matura virginis ætas
Vrgebat patrias suspenso principe curas.

Ita Symmacho, *unici cura retineri*, & *in curam recipere*. *Vincula* autem cum *curis* eodem modo junxit Claudianus de laudibus Serenæ:

nec carior olim
Mutua Ledæos devinxit cura Lacones.

Saxo Grammaticus lib. VII. Hist. Dan. *ob tam seram fraterni vinculi confessionem*. Claudiamus de bello Getico:

Accipe tu nostræ tellus Oenotica mentis
Vincula.

Ita enim optime MSSC. Codices. Infra his Soterijs

cum tanti lectus rectoris habenas
Gallice, fortuna non indignante subisti.

Bernartij correctio exstat & apud cognatum ejus ad I. Annalem Taciti. Statium imitatus Claudianus in laudibus Serenæ:

*Denique cum rerum summas delectus habenas
Susciperet.*

In pietate Abascantij: *Lectique arcana ministri Hinc documenta capit.* Balneo Etrusci: *non limina cessant, Effulgent cameræ.* Ita scribit Domitius & explicat, non limina vacasse marmoribus. Quod reprehendit Politianus, reposito *lumina. Non cessare lumina* ait Morellus, cum excitantur oculi varietatibus colorum. Gevartius sequitur Domitium: Cruceus, ut ab eo dissentiat, Politianum. Ita in orbem volvuntur circa nugas. Quid enim apertius veriusque quam scriptum a Statio: *non lumina cessant:* quomodo Colinei habet editio: eaque interpretanda non oculos adspicientium, sed fenestras, quibus lumen admittitur. Uti Cicero de Oratore: *cùm ædes venderet, in mancipio lumina, uti tum erant, recepit.* Eorum margines pretioso fulgidoq; marmore adornatas innuit Papinius. Et hæc optime cum *cameris* junguntur. Ipso fine hujus carminis:

Et tua jam melior discat fortuna renasci.

Civilis mors exilium est, quo cœlum hoc & spiritus domiciliumque civitatis amittitur. Quare inter capitalium id judiciorum pænas recenset Paulus JC. in l. 11. D. de Publicis Judicijs. Lactantius lib. 11. Divin. Instit. *Exulibus quoque ignis & aqua interdici solebat. adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines supplicio capitis afficere. Interdictio igitur usu earum rerum, quibus vita constat hominum, perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte multatus.* Hinc est, quod, quibus cœlum illud spiritusq; & domicilium urbis, quo carere eos leges aut jussus principum voluerant, reddebatur, *renasci*

dicti sunt, non quod restituti melius quoddam fatum sortirentur. Cotta ad populum apud Sallustium: *nam si parricida vestri sum & bis genitus hic deos Penates meos, patriamque & summum imperium vilia habeo: quis mihi viva cruciatus satis est, aut quæ pœna mortuo?* Cicero post reditum in Senatu: *Quid denique illo die, quem P. Lentulus mihi fratrique meo, liberisque nostris natalem constituit*, &c. Idem ad Atticum: *alterius vitæ quoddam initium ordimur.* Sic qui postliminio ab hostibus revertebantur apud Athenienses, δευτερόποτμοι, quasi qui secunda fata ordirentur (una enim imaginaria morte Parcarum colus jam abruperant) vocati. Alias omnia, quæ interitu mortis similitudinem capiunt, analogia quadam etiam *renasci* dicuntur. Ita *templa renata*, & *ver renatus orbis* apud autorem Pervigilij. Valerius Maximus lib. VI. *justitiæque promptissimo tenore effecit, ut exitio suo lætari possent, qui sic renati erant.* de Camerinis, qui sub hasta venditi restituti erant, assignatis in Aventino habitandi sedibus.

CAP. XIII.

Statius denuo loco difficillimo explicatus. Partes, pars. Plauto lux. Μοῖραι, μερίδες. Dividere. Divisiones. Epulum divisum. Phædrus leviter correctus. Pars ebria. Ebria nox, amnis ebrius. Sobria rura, uva, terra.

KAlendis Decembribus Saturnalibus:
Et ridens Iocus & Sales protervi
Adsint, dum refero diem beatam
Læti Cæsaris, ebriamque partem.

Et hic locus ex vexatissimis nostri Poëtæ est.

Ut enim quiſque ſcit Statium attigit, hæc verba aut conjectura aut interpretatione nova macta eſſe juſſit. Alii putabant τὸ *partem* intelligi poſſe de parte diei civilis, id eſt, de ultimis ſex horis ad primam noctis. Alii de ludis, qui exhibiti Kal. Decembribus illis, intelligunt. Ut Horatio, *partes ſecundæ*, Petronio, *videndæ partes.* Alii conjecerunt, *ebriam pacem* & luxu diffluentem interpretantur. Alii, *ebriumq; Martem.* quod explicant de fœminis & pumilis gladiatoribus in arenam productis. Alii, *ebriamq; noctem.* Nec defuit, qui *ebrioſq; patres* concinnaret. Sed dubitatum jam olim de hoc loco arguit MSCtorũ quoque diſſenſus. In quibus Senenſis, *ebriamq; pacem*: Barthii trajectis verſibus:

> *Vix aurora novos movebat ortus*
> *Læti Cæſaris ebrium per axem.*

Cui intelligendo quid faciat, *cœlum* pro Diis poni, homines acuti videant. Thomſoni: *ebriamq; mœram.* Medicæus: *ebriamq; Parthen.* Romana Venetaque editiones: *ebriamq; pando.* Quę ſane ego a mangonum quod non capiebant, licenter interpolantium manu eſſe prętare paratus ſum. Barthius *ebriam partem* diei in vulgata interpretatur, quia ſequitur ſparſiones & omne genus voluptatum populo exhibitarum. Itaque primo *læti Cæſaris diem* ſe dicturum ait, mox & *partis diei ebriæ* mentionem ſe facturum. lib. XXIV. adv.c.VII. *Ebrium Martem* probat alibi, ſed diverſo ſenſu; nempe ut poſito velut ardore illo perpetuo pugnarum in Domitiani gratiam ſubbibere pluſculum dicatur. Sed magis placet *ebriam partem Cæſaris* dici, utpote

pote quem totum inebriari divina quędam virtus & vigilantia non ſinat. lib. XLIX. adv. c. XVI. De quibus omnibus dicere liceat: moliuntur, conantur, & pluſquam annus eſt: etſi pleraque magis ebria ſint, quam *pars* illa Statiana. Nos vero quid afferemus? Vulgatam lectionem illibatam relinquendam eſſe cenſeo. In cænis præcipue rectis, τοῖς ἐντελέσι καὶ μηδὲν ἐλλιπέσι ἢ τελείοις δείπνοις, ut vocant Græci, ſua unicuique portio apponebatur, aut porrigebatur interdum, ut quiſque peteret: quę proprio & ſignato verbo *Pars* dicebatur, & cupediæ illæ *Partes*. Plautus Menæchmis:

Satur nunc loquitur de me & parti mea.

Apulejus lib. x. Miles. *quotidie furatis clanculo partibus.* Ibidem: *& tamen quotidie partes electiles apparere nuſquam.* lib. XI. *Nocte quadam plenum gremium ſuum viſus eſt mihi ſummus ſacerdos offerre, ac requirenti, quid iſtud eſſet, reſpondiſſe, partes illas mihi de Theſſalia miſſas.* Sic Græcis μοῖρα & μερὶς, Homerus ὀδυσ. γ.

Οἱ δ' ἐπεὶ ὤπτησαν κρέ' ὑπέρτερα καὶ ἐρύσαντο
Μοίρας δασσάμενοι δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα.

Diodorus Siculus lib. v. τοὺς δ' ἀγαθοὺς ἄνδρας ταῖς καλλίσταις τῶν κρεῶν μοίραις γεραίρουσι. Lucianus Prometheo: εἰ οὕτω μικρολόγος καὶ μεμψίμοιρός ἐστι, ὡς διότι μικρὸν ὀστοῦν ἐν τῇ μερίδι εὗρεν ἀνασκολοπισθησόμενον πέμπειν παλαιὸν οὕτω Θεόν. Et rurſus: τὴν ἐλάττω μοῖραν. Longus in ποιμεν. εἷς δὴ κύων τῶν προβατευτικῶν ἀμέλειαν φυλάξας, κρέας ἁρπάσας ἔφυγε διὰ τῶν θυρῶν. ἀλγήσας ὁ Δρύας. καὶ γὰρ ἦν ἐκείνου

μοῖρα. Atque hinc manifeſtum eſt,unde ortum, quod in MS. Cod.Thomſoni repertum,*ebriamque mœram*. Cui ille mirificam cupreſſum appingit. Nam homo doctus ad marginem *partem* interpretatus fuerat *τὴν μοῖραν*. Quod Latinis literis poſtea librarius *mœram* reddidit & in textum retulit. Etſi enim plerumque librarij ἐκ τοῦ ἀσαφεστέρου εἰς τὸ σαφέστερον labi ſoliti : non dubitandum tamen, fuiſſe quoſdam rudes & meticuloſos, qui cum ex duabus lectionibus neutram intelligerent, id quod ignotius ſecretiuſque erat, potius autoris eſſe crediderint, aut utramque in contextu poſuerint. Petronius ; *pœne projeci partem meam*. Ubi non omiſit obſervare vir ſublimis animi magnæque invidiæ capax I. Wouwerius. Hinc claram lucem fœnerabimus Plauto in Pœnulo :

Pro parte minore prandij pignus cepi,abij foras,

Uti Duza conjectat,*pro mina experte prandij:* Palmerius, *pro mina auri arrham prandij*. Fruſtra. Anthemonides invitatus ab lenone ad cœnam erat, poſtquam cum illo negociari cœpiſſet. Adveniens miles hora condicta cum nec lenonem nec prandium inveniſſet, more militari rapit aliquid ex ædibus lenonis. Id geſtans vocat *pignus pro parte minore prandij*, hoc eſt, pro portione illa prandij, quam ſumpturus erat miles, ſi cum lenone pranderet: quæ minor minoris re ſumptus fuiſſet,quam hoc pignus captũ. Quod mox *æs militare* appellat,cum ait : *ære militari tetigero lenunculum*, id eſt,circumduxero eum tãto, quanti eſt æs quod tributi nomine militiæ pendunt, qui ærarij ſunt facti a cenſoribus, in ærariis relati. Nam qui per *æs militare* pugnos intelligunt,

telligunt, pugnis, quos summis viris intentant, ipsi digni sunt. Suetonius Domitiano: *securum hilaremque dimisit, partibus etiam de cœna dignatus.* Eleganter allusit Plinius de Delphinis: *quod ultro neque inclamanti præsto sint, partesq; e manibus accipiant.* Atque hinc *dividere alicui dapem* pro partes dare docte Phædrus dixit leviter corrigendus:

Inducta veris aquila monitis paruit,
Simul & magistra large divisit dapem.

Et *dividere* simpliciter Spartianus in Didio Juliano: *Iulianus tanta parsimonia fuisse perhibetur, ut per triduum porcellum, per triduum leporem divideret, si quis ei forte misisset.* Neque aliunde suum δαὶς Græci denominaverunt, quam ex antiquissimo illo ritu. Athenæus lib. 1. καὶ τῶν κρεῶν δὲ μοῖραι ἐνέμοντο. ὅθεν φησὶ τὰς δαῖτας ἀπὸ τῆς ἰσότητος, τὰ γὰρ δεῖπνα, δαῖτας ἔλεγον, ἀπὸ τοῦ δατεῖσθαι, οὐ μόνον τῶν κρεῶν διανεμομένων, ἀλλὰ καὶ τοῦ σίτου. Ubi mox addit coquum dictum esse δαιτρὸν, ἐπεὶ ἴσην ἑκάστῳ μοῖραν ἐδίδου. Sic *Partis* vox synecdochice Papinio accipitur pro omnibus illis, quę esui utilia mittebantur populo. Apuleium allegavimus, ubi ille *partium electilium* meminit. Quę vero illę? ipsum audiamus: *Nam vespera post opiparas cœnas earumq; splendidissimos apparatus multas numero partes in cellulam suam mei solebant deportare domini: ille porcorum, pullorum, piscium & ejusmodi pulmentorum largissimas reliquias; hic panes, crustula, lucunculos, hamos, laterculos & complura sutamenta mellita.* Ecce hęc omnia *partes*, ut Papinio donaria Cęsaris. Lampridius de Alexandro Severo: *Nam semper de manu sua ministris convivij & panem & partes aut olerum aut car-*

pis aut leguminum dabat. Divisum epulum dicunt Inscriptiones. Ut: EDITIS AD DEDICATIONEM SCÆNICIS LUDIS PER QUARTIDUUM ET CIRCENSIBUS ET EPULO DIVISO. Item: CUJUS DEDIC. CRUSTUM ET MULSUM POPULO DIVISUM EST. Quemadmodum Suetonius: *atque inter spectacula muneris largissimum epulum septimontiali sacrorum quidem die, Senatui Equitique panarijs, plebi sportellis distributis.* Quas *divisiones* appellat Martianus JCtus. in l. XXIII. D. de annuis leg. & fideicommissis. Neque offendet quemquam, quod *partem* dicit Statius, non *partes.* Nam & tota cæna, vel omne id, quod de cæna lurcaturus erat miles apud Plautum, *pars* dicitur, & Horatio non aliter:

Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens.

Lucianoque, ὠὸν ἐν μερίδι & una particula, ovum nempe, *pars* Petronio. Hic omnia illa missilia bellaria & tota esculentorum jactatio *pars*, quia unicuique e populo forte arbitra sua pars eveniebat. Vidimus quid *partem* vocaverit. Eam porro *ebriam* appellat propter largissima vina, quę addebantur & juncta erant bellariis. Sic enim infra:

Illa marcida vina largiuntur.

&, *Non sic libera vina tum fluebant.*

Pars ebria, quę datur una cum plurimo vino. Ut uvas vino suo *inebriari*, quę musto condiuntur, Plinius. Quod phrasi poëtę nostri convenientissimum. Sic *sobria rura*, in quibus non coluntur vites, epulo Domitiani:

Sic vitifero sub palmite nudos

Umbra-

Vmbravit colles & sobria rura Lyæus.

Sobrias terras, in quibus nullę vites, Via Domitiana:

Qui casta Cereri diu negata
Reddit jugera sobriasque terras.

Neque enim aliud narrat, quam Suetonius: *Existimans nimio vinearum studio arva negligi, edixit, ne quis in Italia novellaret, utq; in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte.* Sive ut Philostratus: ἀμπέλους τε μὴ φυτεύειν ἔτι καὶ τὰς πεφυτευμένας δὲ αὐτῶν ἐκκόπτειν. *Sobriam uvam* inerticulam appellat Plinius, quam Græci ἀμέθυστον, quia vi inebriandi destituitur: *Inerticulam e nigris appellamus, justius sobriam dicturi, inveterato præcipue commendabilem vino, sed viribus innoxiam, si quidem temulentiam sola non facit.* At contra *reum ebriæ noctis* vocat Martialis, qui vini noctisque vitio peccavit. *Ebrium amnem* vino manantem Claudianus in Consulatu Olybrij & Probini:

jam profluat ebrius amnis
Mutatis in vina vadis.

Et in Cons. IV. Honorii:

Ebrius hostili velatur palmite Ganges.

Acinam ebriosam vino circumfusam dixit Catullus. Hoc ergo vult Statius: dum refero diem beatam læti Cęsaris & missilia esculenta copiosissima & preciosa una cum largissimo vino: seu cænam, in qua præbuit Cæsar populo electilem cibatum & vini affatim, vel epulum divisum. Martialis de his ipsis, credo, calendis:

Vescitur omnis eques tecum populusque patresq;
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes
Grandia pollicitis quanto majora dedisti!
Promissa est nobis sportula, recta data est.

Nihil

Nihil hac explicatione verius: nihil a Poëta dici poterat exquisitius. Diu est, quod ita sensimus. Nuper autem vehementer me confirmavit, quod & Gutero aliquid hujusce in mentē fuisse cognovi. Sic enim scidæ illius: Placeret quidem magis *ebriasque partes:* haud tamen concedam alterum mendosum, multo minus, scribi ullo modo posse, *pacem*. Nam nihil hic sane de pace luxu diffluente, sed tantum de eduliis inter spectacula datis, de quibus Dio & Suetonius. Sic *partem* usurpavit Petronius: *proieci partem meam, dum putabam esse ovum jam in pullum coalescens.*

CAP. XIIII.

Statius ter emaculatus. Caricæ caunea, vel caunæ. Ebosus. Ebosia. Percoquere. Messis, poma, uvæ coctæ! πεπαί-ναξ. Decocta. Amerina mässis non perustis. Locus in Kalendis Decemb. alius explicatus. Concoctum ulcus.

KAlendis Decembribus Saturnalibus:

Et quias præcoquit Ebosia cannas.

Vexatissimus locus, qui tamen omnes frustratus est ante felicissimam manum τοῦ πανσόφου Salmasii. *Carica* ἰσχάδες Glossis, id est, ficus siccatæ. A Caria denominatæ sunt αἱ Καρικαὶ ἰσχάδες, quę ex Caria advehebantur. Prisci Romani, ut in aliis fecerunt; Caricarum nomen de omnibus ficis siccatis & transmarinis usurparunt. Quæ ex Cauno advehebantur, *Caunea*, etiam revera Caricæ: Nam κᾶυνος urbs Cariæ. Cicero lib. II. de divinat. *quidam in portu Caricas*

Cauno advectas vendens. Caricæ Cauneæ sunt καυνίαι ἰσχάδες *Caricæ* e Caria, ut *Chalcidicæ* e Chalcide, *Chiæ* e Chio. Statius: *Chartæ, Thebaicæve, Caricæve. Thebaicæ* sunt palmæ ex Thebaide. At *Caricæ* sunt ἰσχάδες. Et ſicut *Caricis*, hoc eſt, ficis e Caria, accidit, ut nomen fierent generale & commune omnium ficorum ſiccatarum, hoc eſt, ἰσχάδων: ita & *Cauniis* ex eadem Caria allatis poſtmodum uſuvenit. Nam *Caunas*, id eſt, Caunias, uſurpavit Columella pro quibuſlibet ficis ſiccis:

Livia Chalcidicis & Caunis æmula Chiis,
Purpureæque Chelidoniæ pinguesque Mariscæ.

Caunas Chias & *Chalcidicas* vocat, quas alii *Caricas Chias* & *Chalcidicas* vocarent, hoc eſt, Caricas e Chio & Chalcide. Et ſane *Cauneæ* vel *Caunæ* & *Caricæ* eadem fici, nempe ex oppido Cariæ Cauno. Statius quoque *Caunas Ebusi* dixit pro Caricis ſeu ficis ſiccis, quæ ex Ebuſo inſula adferebantur. Locus eſt in Saturnalibus, qui hujus ætatis viros doctiſſimos exercitatos habuit, ſic demum emendandus:

Quicquid nobile Ponticis nucetis
Fœcundis cadit aut jugis Idumes;
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas percoquit Ebosia Caunas.

Ebuſitanas intelligit Caricas, hoc eſt, ἰσχάδας. Statio *Ebosia* inſula, quam aliis *Ebusus*: Græcis Βῦσος & Ἔβυσος, quibuſdam etiam Ἤβυσος. Ipſe *Ebosiam* dixit, quaſi Ἠβόσια νῆσος diceretur. Ita Latine *Coam* inſulam, quę Gręcis Κῶς dicitur, appellant. Et *Ceam* τὴν Κείαν, quam Κίως. Virgilius:

cui

cui pinguia Cea
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

ἡ Κείας νήσȣ. Sic *Rhodia insula* Plinio ἡ Ῥόδος. Ita igitur *Ebosia* Statio Ebosus vel Ebusus. Nec de quantitate laborandum, quam ut in nomine barbaricæ insulæ pro libito observare non putavit illicitum Poëta. Secundam in *Ebuso* correptam posuit & Manilius: *Occani victricem Ebusum.* Et Silius: *Iamque Ebosus Phœnissa movet.* Cum Damascenis prunis & palmulis recte jungi Caricas sive ficus aridas nemo non videt. Eæ ex Ebuso insula præstantissimæ & amplissimæ Romam adportabantur. Plinius: *ficcas honos laudatas servet in capsis, Ebuso insula præstantissimas amplissimasque, mox in Marrucinis.* *Cauna* quas *Ebosia* insula *percoquit*, sunt Caricæ Ebositanæ, quas insula illa ad maturitatem perducit & bene coctas facit. Sic enim legendum, non *præcoquit.* Idem Plinius: *ficis mollis omnibus tactus: maturis frumenta intus: succus maturescentibus lactis, percoctis mellis.* *Percoctæ*, id est, perfecte maturæ. *Cocta fici* Hygino sunt maturæ, de corvi signo: *vidit arbores complures ficorum immaturas: eas exspectans, dum maturescerent, in arbore quadam consedit. Itaque post aliquot dies coctis ficis & a corvo quampluribus comesis.* Et paullo post: *ut quamdiu fici coquerentur, corvus non biberet*, id est, quamdiu maturescerent. Sic *uvæ coctæ* & *cocta vindemia* de matura. Hæc ferè Salmasius in exercitationibus Plinianis: quibus certiora frustra ab ipso Phœbi operto petas. Neque adeo ut ego quicquam hic addam, opus est, nisi illud *percoquere*, paullo latius illustrandum. Dicitur de messe, de fructibus, de vino. Cicero de Senectute: *Poma ex arboribus, cruda*

si sunt,

si sunt, avelluntur; si matura & cocta, decidunt. Seneca de Beneficijs: *Solem quod annum cursu suo temperat, & corpora alit, sata evocat, percoquit fructus.* Seneca cap. CXXIV. *cum frumentum æstas & debita maturitas coxit.* Et in Hippolyto: *nunc æstivi colla leonis Cererem magno fervore coquant.* Plinius lib. XV. c. XXIV. *Fructus anno maturescit, pariterque floret subnascens & prior coquitur.* A Gellius: *nam & in frugibus & in pomis matura dicuntur, quæ neque cruda & immitia sunt, neque caduca & decocta, sed tempore suo adulta maturataque.* Elegantissime, & non vulgariter: *Decocta* est nimium cocta, sic ut coctura etiam succum consumpserit utilem. Plinius in epistolis: *opimamque messem serius tantum, sed non minus percoquunt.* Martialis: *Tostamque fervens Iulius coquit messem* Prudentius apotheosi:

> *Exspectat ergo, dum dolosa & farrea*
> *Fervens coquat maturitas.*

Varro de vita populi Romani: *Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri,*
Ovidius:

> *Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas.*

Plinius avunculus: *Punica vina in saxo coquuntur.* Item: *vindemias certius sic eo coqui:* & sæpe. Græci πεπαίνεσθαι. Herodotus lib. IV. συγκεκόμισταί τε οὗτος ὁ μέσος καρπὸς, καὶ ὁ ἐν τῇ καθυπερζάτῃ τῆς γῆς πεπαίνεται καὶ ὀργᾷ. Diodorus Siculus lib. III. ὅταν τὸ φυτὸν καρποφορῇ καὶ τοὺς βότρυας πεπαίνῃ. Plutarchus sympos. quæst. τὴν δὲ σελήνην ἀδρανεστέρας ἀφιέναι τὰς αὐγὰς μέλας γὰρ αὐταῖς οὐ πεπαίνεται βότρυς κατὰ τὸ τινα. Leonides in epigrammatibus Græcis:

Ὀππόσα

Ὁππόσα γὰρ κλαδέεσσι πεπαίνομεν, ἄλλος ὀφέλλῃ.
Ὁππόσα δ᾽ ὠμὰ μένει, μητρὶ προσκρέμαται.

Philippus εἰς ἄμπελον. ἐγείναο τοὺς ἀπεπάντους βότρυας. ubi & κλῆμα ἀμητόκον dicit. Longus lib. III. ποιμέν. τοῦτο τὸ μῆλον ἔφυσαν ὧραι καλαί, καὶ φυτὸν καλὸν ἔθρεψε πεπαινόμενος ἥλιος. Quod isti *coqui*, id *uri* dicit Statius in Surrentino Pollii:

collesque per altos
Vritur & prelis non invidet uva Falernis.

Cui etiam his ipsis Kalendis Saturnalibus *perustæ massæ* Amerinorum sunt in sole siccatæ:

Et massis Amerina non perustis.

Solebant enim scindere in massas cujusvis generis pira & ad solem siccare. Varro lib. I. de R. R. c. LIX. *Sorba quidam dissecta & in sole macerata, ut pira*, &c. Plinius lib. XXIII. c. VII. *Pirum silvestre tardissime maturescit, conciditur suspensumque siccatur.* Palladius in Februario: *Item pira divisa & purgata granis in sole siccantur.* Hæ sectiones in sole siccatæ sunt *massæ perustæ*. *Amerina massis non perustis sunt integra*, nec in sole siccata, ac velut recocta. Errant igitur viri præstantissimi, qui volunt:

Et passis Amerina non perustis.

Male etiam Domitius, *non perustis* explicat nondum maturis, quod severissima sint Amerina. Neque enim *massæ*, nisi sectorum, possunt intelligi. Neque illud protritum, quod *concoqui* ulcus dicitur, cum suppuratur & maturum fit ad exprimendam saniem. Cato de re rustica: *Hæc omnia ulcera purgabit, sanaque faciet sine dolore. Eadem tumida concoquit.* Plinius lib. XXIV. c. IX. *vomicas panosque difficile concoquentes in farina hordeacea mollies.*

CAP.

CAP. XV.

Statius bis illustratus, ter correctus. Caryotides prægnantes, an prægrandes, latente palma. Ovidius assertus. Rogare. Statim. Seneca defensus. Pumili statim peracti. Natura brevis, natura segnis. Statius a reprehensione summi viri defensus. Nodi. In nodosum globum ligari. Restringi:

KAlendis Decembribus:
Et mustaceus & latente palma
Prægnantes caryotides cadebant.

Solus Politianus hic cepit mentem Statii, sed non intellectus iis, qui eum secuti sunt. *Latentem palmam* dicit præ magnitudine dactylorum. Bene. nam ipsi dactyli hic sunt caryotides, fructus palmæ. Palma autem spathalion, ramum palmæ hic significat. Caryotides palmæ, id est, spathalio appendentes tam grandes sunt, ut spathalion ipsum lateat, nec videatur, obtectum quippe corpore dactylorum, seu caryotidum. Ita fere Ovidius:

Arboreæ frondes auro radiante nitentes:
Ex auro ramos ex auro poma tegebant.

Poma aurea tegebant aureos ramos. Quamquam alii aliter distinguentes, *gerebant*, malint. Caryota autem auro lita; cujus Martialis meminit, nihil habet verbis Statii simile. Ibi caryota linitur auri sputo: hic non Caryotides latent, sed palmæ sub grandibus caryotidibus. Illa donum erat pauperiorum Iani Kalendis: hæ inter missilia Cęsaris Kalendis Saturnalibus. Nec illud prętereundum MS. Flor. Rom. & Venetum codices habere *Prægrandes*, non

prægnantes. Itaque bis ad Martialem citat Domitius. Et forte ut simplicior, ita verior hæc lectio. Iterum his Kalendis:

Et tu quin-etiam (quis huc vocare?
Quis promittere possit hoc deorum)
Nobiscum socias dapes inisti.

Medicæus & Rom. & Venetus codices: *hoc vocare*. Sed sincerius videtur, quod ex Senensi MSC. notavit Scaliger: *quis hoc rogare*. Nota iis etiam, qui nondum ære lavantur, formula: *rogat te:* vel: *rogat, ut secum cœnes*. Inferius:

Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos natura brevi statu peracto
Nodosum semel in globum ligavit.

Pro *hic* ex Ro. *Hinc* scribendum. Deinde Gevartius corrigit *simul* pro *semel*. At nos docuerunt veteres libri aliud gravius hic vitium latere. MS. Senensis, Medicæusque, Romanus item & Venetus editi *statim* habent, non *statu*. Et ita legisse Domitium apparet ex commentariis. *Statim* enim interpretatur, simul ac nati sunt. Sed accipiendum paullo laxius: mox, haud ita multo post quam esse cœperunt, quam natura eos elaborare orsa est, jam Medicæus MS. & Rom. ed. *brevis*, non *brevi*. Non dubie scripserat Statius:

Quos natura brevis statim peractos
Nodosum semel in globum ligavit.

Unica litera nostra est: cætera ex vett. libb. *Brevis natura* est haud larga, haud longius indulgens. Hoc cum non intelligerent, fraudi fuit elegantissimo huic loco. Sic in X. Thebaidos:

qua desidis atria somni
Securumque larem segnis natura locavit.

Quo

Quod perperam castigat Jul. Scaliger. Immo solers ac vegeta segnem, non ipsa *segnis*, inquit. Quasi ulla figura (pœne dixerim) illa hypallage Poëtis sit frequentior. *Segnis natura* ibi fuisse dicitur, ubi supinam quietem & segnitiem meram locavit. Ut in illis *brevis*, quos breves fecit. Alibi *injustam naturam* dicit, quæ injustum funus efferre jubet: quod infra notabimus. *Statim peractos*, est cito consummatos in tantū, in quantum natura ipsis indultura erat. Sic *mundum peractum* pro perfecto, absoluto Lucanus lib. x.

Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti
Secula, concussis terrarum erumpere venis.

Belle vero notavit Morellus ex Plinio: *Homo pubescens nodum quendam solvere sentitur.* Et: *nodos corporum, qui vocantur articuli, aliubi interventu, aliubi ambitu, aliubi transitu ligante.* Sic e contrario *lumbi soluti* apud Petronium, & illi apud Homerum sauciato mors, εἶθαρ ὑπὸ γούνατ' ἔλυσε. Rursumque cum paralytici sanantur, *restringi* eleganter dicuntur Tertulliano Apolog. c. xxi. Quoties accrescit vivum corpus, quod sensim accidit, & identidem cum intercapedine velut quietis alicujus, quasi nodi quidam laxantur, qui priorem molem continuerant. Nemesianus Cynegetico:

Nam cum membrorum nexus nodosq; relaxant.

Hoc citissime fieri definit in nanis. Quare cum alia corpora sæpe nodis ligentur, cum nimirum stringat augmentatio, & in ea magnitudine, quam proximo motu acquisiverunt, aliquandiu manent; sæpe item nodos resolvant, cum nimirum rursus augentur & fiunt habitiora: nanos maligna natura statim peractos & ultra

formare desinens, *semel in globum nodosum ligasse*, prorsus ineffabili elegantia & doctissime dicitur, ceu totum corpus esset globus ex meris articulis numquam posthac nisi morte solvendis, constans & cohærens. Nec negaverim Statio in mente fuisse, cum ista scriberet, mangonum morem, qui nefaria arte nanos continebant. Dionysius Longinus περὶ ὕψους. ὥσπερ οὖν ἀκούω τὰ γλωττοκομεῖα, ἐν οἷς οἱ πυγμαῖοι καλούμενοι νᾶνοι τρέφονται, οὐ μόνον κωλύει τῶν ἐγκεκλεισμένων τὰς αὐξήσεις, ἀλλὰ καὶ συνάγει διὰ τὸν περικείμενον τοῖς σώμασι δεσμόν.

CAP. XVI.

Statius illustratus & bis correctus. Tersa vita. Plinius emendatus. Turbo catastæ. Ritus in venditione mancipiorum. Locus Caji IC. illustratus. Martiali lux. Hypallage. Livius Andronicus, Silius, Claudianus, Statius defensi. Certa, indubitata cubilia. Statius emaculatus. Muti molossi venatorum. Frangere crinem, toros, cubile gramineum. Fragilis culcita. Tomentum, lomentum unde. Tonderi. Fragilis lanugo. Martialis, Calpurnius, Claudianus correcti. Gratum est. Seneca emaculatus. Comis videri. Statius denuo correctus.

LIbro II Silvarum, præfatione: *Melior; vir optime, nec minus in judicio literarum, quam in omni vita colore tersissime.* Eadem, nec vulgari, phrasi Plinius in Epist. *Nulla spe, nullo timore sollicitor; nullis rumoribus inquietor. Mecum tantum & cum libellis loquor. O tersam securamq; vitam! o dulce otium.* Ita optime MSC. Barthii. quod ipse considerandum proposuit lib. XII. c. IX. Nos non

non dubitamus Plinium ſic reliquiſſe. Quod autem *colorem vitæ* dixit, deſumpſit ab Horatio, qui lib. II. Sat. I.

Dives, inops, Romæ, ſeu fors ita juſſerit, exul,
Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color.

Epicedio in Glauciam;

Non te barbaricæ verſabat verna cataſtæ:
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compoſitoſque ſales meditataque verba locutus,
Quæſiſti laſcivus herum, tardeque paraſti.

A Politiano eſt, quod nunc omnes editiones invaſit: quia legerat apud Martialem: *nec avaræ verna cataſtæ.* Sed ego quid ſit, *vernam illum cataſtæ non verſaviſſe Glauciam*, nullus video. Niſi forte voluit, *barbaricæ verſabant, verna, cataſtæ.* ut *verna* ſit ipſe Glaucia, *cataſtæ* autem numero plurali dicantur. Sed quid moramur? Veteres editiones & earum traduces *turba* habent pro *verna.* Hinc proclive nobis fuit eruere veram lectionem: *verſabat turbo cataſtæ.* Et ſic MS. codex Senenſis. Mancipia venalia in cataſta vel foro interea, dum præconium fiebat, in orbem ire, currere, ſaltare nonnunquam cogebantur: non tam ut cognoſcerentur, quinam eſſent venales, ut putat vir illuſtris; quam ut adſtantes aut emptores accuratius ita ſpecularentur corpora, illique ſanitatem ſuam probarent. qua de cauſſa & nudabantur & contrectabantur. Eam circumactionem ſervorum quam pulchre *turbinem cataſtæ* vocavit. Qui in circuitum eunt vel currunt, orbem ſaltatorium verſant, *turbine verſari* dicuntur recte, & eos *turbo verſat.* Lucianus βίων πράσει verbis præ-

conis mancipium, quod venibat, alloquentis: οὕτως ἐλθὲ καὶ περίϊθι ἐν κύκλῳ τὸ σωμάτιον. Menander:

Ἐγὼ μὲν ἤδη μοι δοκῶ, νὴ τοὺς θεοὺς,
Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα
Ὁρᾶν κύκλῳ τρέχοντα καὶ πωλούμενον.

Ubi τοὺς Κύκλους erronee accipit vir illustrissimus coronas circumstantium in auctione. Rectius Harpocration pro loco ipso, in quo vendebantur, venalitio, πρατηρίῳ. Scholiastes Aristophanis: ὁ δὲ Κύκλος Ἀθήνησίν ἐστι. ἔνθα δὴ πιπράσκεται χωρὶς κρεῶν τὰ ἄλλα ὤνια. Et mox: τόπος κυκλοτερὴς, ἐν ᾧ τὰ ὤνια ἐπωλοῦντο. Hic dicendum quid JCto. Cajo sit *circulo manumittere*, quod admirentur nonnulli, cum κύκλῳ ποιεῖσθαι dicerentur Græcis, quæ καθολικῶς fiebant, displicuisse hoc JCtis, eamque manumissionem jocularium & nullius pretii esse. Doctus vir, qui ubique iniquus est in nobilissimum Polymathiæ autorem, hic quoque reprehendit eum, quod statuerit, voluntatem testatoris fuisse, ut omnes quorum nomina circulo comprehenderentur, manumissi essent. Et merito: sed ipse nihilo adfert meliora. Verba Caji sunt: *Nam & si ita in testamento servorum manumissio adscripta fuerit, (id est, in circulo) ut qui prior, qui posterior nominatus sit, non possit agnosci, nulli ex his libertatem valere manifestum est, si agnosci non potest, qui prior, qui posterior manumissus fuerit.* Hæc ille conferenda esse ait cum l. XLI. & XLII. D. de Hæred. Instituendis. Eadem facilitate *placidis coëant immitia*: eadem

Serpentes avibus geminentur, tigribus hœdi.

Cajus de manumissione testamentaria agit:

Julianus

Julianus & Paullus de institutione hæredis cum libertate. Cajus de manumissione servorum supra numerum a lege definctum: illi de institutione hęredis necessarii, qui nuus modo esse potest. Quid hæres necessarius sit, sciunt tirones ex parag. 1. Instit. Qui & ex q. c. man. n. pos. Si hic aliquid lucis pro Cajo est, sequitur neminem ex illis, quibus circulo adscripta est manumissio, libertatis bono gaudere propterea, quod unus tantum potuisset. is vero qui sit, ex circulo agnosci non posset. Itaque invicem eos sibi obstare. Hoc si verum est, falsa altera ratio est, quam assignat, debere in testamento apparere quis prior, quis posterior manumissus sit, idque quia in circulari manumissione non appareat, irritam esse eam. Sed nos hujus quoque rationis rationem petimus. Immo falsam revincimus ex l. XXIV. paragr. XVII. D. de fideicommis. libertatibus. Ubi clare decernit JC. Ulpianus, quamvis *ordo scripturæ* in manumittendis *non pareat*, hoc est, liquido constare non possit, quis prior, quis posterior scriptus sit, si cętera legitima sint, libertatem non inhiberi. Nunc videamus, quę sit sententia Caji. Concluserat Jurisconsultus in certũ numerum manumittendos testamento, sic ut qui duos servos haberet, posset ambos manumittere; qui tres, duos; qui quatuor, similiter duos; qui sex, tres; qui octo, quatuor; qui decem, quinque; qui undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim, decem & septem, similiter quinque. Et sic porro ad triginta tertiam partem. inde usque ad centum quartam partem, qui vero plures quam centum haberet,

ei quintam manumittere fas esset. Non vero ultra centum *de quamlibet* (ita leg. non *qualibet*) *grandi familia*. Si quis plures, quam numerus lege definitus caperet, manumittere vellet, ne totum, quod agebatur, irritum esset, servandum ajebat Cajus scripturę ordinem, ut illis libertas valeret, qui prius essent nominati, donec perveniretur ad illum numerum, quem lex & modus suorum cuique mancipiorum pręscripsisset. Hoc ut administraretur, necessarium erat sciri cui priori, cui posteriori libertas legata esset. quod cum in circulo non appareret, merito nulli ex omnibus libertas valuit, qui isti circulari ludibrio inserti fuissent. Non ergo per se circulus, aut quocunque modo fieri possit, ne scriptorum appareat ordo, manumissionem irritam reddere potuissent, si cętera legis solennia fuissent impleta, nec numerum illum constitutum testator esset transgressus. Iam ad catastam. Fallitur vir incomparabilis, cum docere ex Martiali nititur, etiam in ædibus mangonum fuisse catastas, ubi eximię formę pueri, quibus scilicet hedera non erat opus, servarentur: nec in publicum producti apud mangones ipsos domi facile emptorem invenirent. Versus hi sunt:

Inspexit molles pueros oculisq; comedit,
Non hos, quos primæ prostituere casæ:
Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Arcanas catastas, catastas in ædibus explicat. Sed hypallage est: *arcanæ tabulata catastæ*, pro arcana catastę tabulata. Sic Claudianus in Eutropiũ:

Eventu stolido rerum didicere magistro.

pro

pro ſtolidi, ut fruſtra corrigit Barthius lib. XII. adv. c. VIII. Sic lib. II. de laud. Stil. *antiqui ſpecies Romana Senatus*, pro Romani. Livius Andronicus:

Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes.

pro certos & non falſos odoris canes ad cubilia dirige. Male *cæca* ſubſtituunt. Quamquam *certa cubilia* ſint, quæ Statius vocat *indubitata*, in quibus non dubia prȩda, lib. II. Achilleid.

velut ille cubilia prædæ
Indubitata tenens muto legit arva moloſſo
Venator.

Ita leg. ex duob. MSSC. non *multo*. Lucanus: *& præda neſcit latrare reperta.* Silius lib. II.

Ille procul campo linquentem retia cervum
Vulnere ſiſtebat, rueretq; inopina ſub ictu
Ante fera incauto, quam ſibila poneret arcus.

pro fera incauta ſub ictu inopino rueret. Fruſtra docet vir doctus *incautum* etiam dici, quod non cavetur, lib. XXXV. adv. c. III. Statius ad Somnum:

Et ſimulant feſſos curvata cacumina ſomnos.

id eſt, ipſa cacumina velut feſſa ſimulant ſomnos, vel cacumina ſimulant ſomnos feſſorum. Fruſtra iterum ille *faſſos* corrigit lib. XVIII. ad. c. XVII. Ipſa machina ſeu tabulatum ligneum cataſtȩ in diverſas diætas diſtinctum erat, & in ſecretioribus membris pueri eximii & pretioſi lautioribus auctoribus ſervabantur. Hoc voluit Martialis. Quod Menandro eſt in venalitio κύκλῳ τρέχειν, Luciano ἐν κύκλῳ περιιέναι τὸ σωμάτιον; hoc Statio *verſari turbine cataſta. Non verſaverat te turbo barbaricæ cataſtæ*, non in cataſta fueras in orbem ire juſſus, οἰκογενὴς eras, non ἀργυρώνητος.

ηἶθ. Quæ egregia emendatio eſt. Inferius:

crinemq; decorum
Fregiſſes roſea laſciva Thalia corona.

Frangi pulchre dicitur crinis exſtructus, cum deprimitur & ſic deſtruitur. Ut *frangere toros*, pro deprimere. Nam & crines *ſtrui* dicũtur, ut tori. Hieronymus ad Demetriadem: *alienis capillis turritum verticem ſtruere*. Martialis:

Frange toros, pete vina, roſas cape, tinguere nardo.

Unde eidem *fragilis torus*, vel *culcita* dicitur mollis, quæ facillime frangitur, ſubſidit. In Apophoretis: *Fœnum:*

Fraudata tumeat fragilis tibi culcita pluma:
Non venit ad duros pallida cura toros.

Ita belle optimus MS. Neque poteſt accommoda magis & congruente phraſi exprimi: tantum abeſt, ut ineptiſſimum ſit. Vulgo: *facilis*, quod illius gloſſa eſt, explicaturque docto viro, quæ non multo tomento farcta. Immemor erat, toros fœneos deſcribere Martialem. Quibus vox *tomenti* non convenit. Dicitur enim *tomentum* a tondeo, non a τέμνω, cui vel ſyllaba contumax repugnat, ut putat Domitius. *Tondeo, tondimen, tomen*, omiſſo τοῦ N. euphoniæ gratia, *tomentum*. Sic fero, ferimen & ferumen, unde offerumenta, ut docimen documenta, fermen, fermentum: tero, terimen, termen, termentum, & trimen, extrito E, unde detrimentum: Cædo, cædimen, cæmen, cæmentum: noſco, noſcimen, nomen, nomentum, unde cognomentum: Lavo tertiæ, lavimen, lomen (pro laumen, ut plodo, lotus, copo) lomentum. *Tonderi* dicuntur, quæ cæduntur, vel acciduntur. Sic *buxus tonſilis, tonſile porrum, tonſiles*

rosa. Sic *luna tonsa*, id est, rasa, tomentum lingonicum; tonsæ arundines tomentum Circense. Non autem, puto, fœnum tondebatur, ut farciret culcitam. Statius in Tiburtino Manlii;

Illis ipse antris Anienus fonte relicto
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus
Huc illuc fragili prosternit pectora musco.

Fragili musco est molli, cedenti. Horatius *fragilem myrtum* dicit pro tractabili, quæ facile in coronas flectitur. Calphurnius Eclog. 11.

quoties mollissima tango
Ora manu, primiq; sequor vestigia floris
Nescius & fragili digitos lanugine fallo.

Ita scribendum ex vetustissima editione pro *gracili*. Neque adversum est, quod mox fœnum hoc fragile *duros toros* appellat. Nempe cum semel fractus est ille torus, non sic exsurgit iterum, ut pluma: sed depressus manet & resistit corpori. Errat igitur Raderus, qui pro *facilis* conjectat *fœno:* quasi non diceret lemma, de fœno agi: & alii apud illum correctores, qui *Frondata tumeat*, aut *Fœnicea tumeat* maluere. Sic alibi Martialis:

Imperat exstructos frangere nona toros.

Claudianus suaviter allusit, habuitque ob oculos istum locum, cum scriberet in laude Serenæ:

Si placido cessissent lumina somno
Purpura fulgebat violæ, fractura cubile
Gramineum, vernatq; tori regalis imago.

Ubi vulgo, *factura*. Quod quis non dicet vitiosum esse istius elegantiæ capax? Purpura, inquit, violę fulgebat. nascebatur & emergebat in torum, parata frangi ceu torus ab incubante

Serena. Ovidius lib. x. metam.

Vt si quis violas riguove papavera in horto
Liliaq; infringat, fulvis hærentia truncis,
Marcida demittant subito caput illa gravatum.

Ita legimus ex membranis nostris. Vulgo: *hærentia virgis.* quomodo tamen Statius lib. VII. de rosis: *& informes ornat sua gloria virgas.* alii MS. *linguis:* alii *lignis.* Nostrum verius suaviusque. Illa ex glossa τȣ̃ *truncis*, quæ primitus fuit *lignis*, nata. Utitur eodem modo Statius lib. VI. Thebaid. de celeriter currente:

exilis plantis intervenit aër,
Raraq; non fracto vestigia pulvere pendent.

Ubi recte Lactantius: *non fracto, hoc est, non depresso.* Inferius hoc libello:

Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta jacentis
Exedit puerile decus.

Gratum est, formula flebile gaudentium, cum tamen aliquid est tam sævo in tempore lætum. Sic in lib. XII. Thebaid.

Sed bene habet, Superi; gratum est, Fortuna; peracta est
Spes longinqua viæ: totos invenimus artus.

Seneca Medea:

Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata: liceat ultimum amplexum dare.
Gratum est & illud. Voce jam extrema precor &c.

Ita distinguendum est. Et hoc tantillum habebo beneficii instar, gaudebo in summo dolore, & mihi id imputari volo. Summi viri hic correctionibus suis sensum plane refrigerant. Silius lib. IV.

Quicquid adest, dum non vinctum Carthago catenis
Abripiat,

Abripiat, pœnaq; instauret monstra paterna,
Gratum est, o Superi.

Ex his videre est recte & ordine fecisse Gevartium, quod vulgatam lectionem defendit contra nonneminem, qui *fata* tamen movere verebatur. Nam ab hominibus barbaris & ferrei oris; qui post illum ἀλεξίκακον ausi sunt reponere, *Attamen est gratum*: vel: *Gratum huic, fata, tamen*: ut pudorem exprimamus, exspectandum non est. Denique hoc libello:

qualem te funere summo
Atq; rogum juxta, Melior placidissime quondam,
Extimui! tunc ille hilaris comisq; videris?

Apage ineptam lectionem. Scribatur ocius autoribus Senensi MSC. Romano & Veneto Codicibus: *tunc ille hilaris comisq; videri?* Ut *parvusq; videri*, *Sentiriq; ingens*, in Hercule Vindicis. *Exiguus videri*, in VI Thebaidos. Eodem libro *immanis cerni immanisq; tueri*. Ita enim legendum ex MSC. Codice & vetustissima editione. Terribilis, inquit, visu aliis videbatur, & revera erat. Vulgo: *timeri*.

CAP. XVII.

Statius aliquoties illustratus & correctus. Frontis honos. Locus in Achilleide emendatus. Arnobius defensus. Limbi. Enthea vittis cohors. Iurata barba. Iuratum, abjuratum sacrum. Eumenius rhetor defensus. Toros. Palæstini liquores. Insinuare.

EPicedio in Glauciam Melioris:

Et nunc heu! vittis & frontis honore soluto
Infaustus vates vexo mea pectora tecum:

Cruceus scribit: & *frondis*. Vatibus enim & vittæ

&

& frondes tribuuntur, inquit. Nesciebat propriam amatamque Statio phrasin esse, *honos frontis*, pro ornatu capitis. Epithalamio Stellæ & Violantillæ: *celsæ procul aspice frontis honores Suggestumque comæ.* Ineptit enim Bernartius, cum *frontis honores* ita accipit ut putet celsam frontem dici Violantillæ, & opponi deliciis illis veterum, qui tenuem frontem, minimam, castigatam, collectam, *imminutam limbis* (ita recte Arnobius. Statius lib. I. Achilleid. *gemmatus aut nectunt tempora limbis.* ita enim MSSC. & vetustę editiones. Vulgo: *cingunt vittis*) amabant. In qua observatiuncula adeo supine descripsit I. Douzæ ad Horatium commentariolum, ut cum ille errore memoriæ Statii versum ex Epicedio in Glauciam sub Silii nomine allegaverit, ne hoc quidem correxerit Bernartius. lib. I. Achilleid. *& fronti crinale reponeret aurum.* Epicedio in puerum vernam: *sed nec solita mihi vertice laurus, Nec fronti vittatus honos.* Ubi V. C. P. Scriverius me invito legebat; *Nunc fronti vitatus honos.* Nec opus igitur in Epithalamio Stellæ scribere cum Delrio: *eat enthea mitris Atque hederis redimita cohors*, pro *vittis.* Nam & in Genethliaco Lucani, Bassaridum rotator Evan invitatur *purpureas novare vittas.* Claudianus l. II. de raptu;

Implexamque senex velavit arundine frontem.

Ita legendum ex MSSC. Cod. Corruptores librorum subdiderant, *impexos crines*. Atque istud verbum restituendum Statio lib. I. Achill. *& implexos certo domat ordine crines.* Ita lege, ex MS. Vulgo: *Impexos.* quod perspicue falsum, supra enim dixerat: *Miratur comitque senex.* Epiced. in Glauciam;

O ubi

O ubi venturæ spes non longinqua juventæ,
Atque genis optatus honos, jurataque multum
Barba tibi?

Nebulas hic sibi offuderunt interpretes, dum concepta apud veteres juramentorum verba male meminerunt. Neque enim *jurata barba* simpliciter valde optata est, quod Domitius voluit, neque sine aliquo jurisjurandi respectu significat devotam & consecratam. *Iurare*, inquit vir doctus, idem est, quod devovere & consecrare, quia in votis & consecrationibus juramentum adhibebatur. Immo, quia in juramentis vota & exsecrationes adhibebantur. Duplex τȢ *devovere* est usus. Qui in alterius, puta imperatoris, verba sacramentum dicunt, devovent se suamque pro illo vitam. Et quod hoc sensu devovere est, id *jurare* interdum dicitur, quia devotio illa adstringebatur sacramento: & *jurati* iidem, qui devoti, dicati, dicatissimi numini Imperatoris. Nam de sacramento omnia illa loca, quæ pro hac notione allegantur. Sic *plebs jurata*, est sacramento rogata; sic *jurati in iras*; *juratus Atridæ*, *Europæ robur meritos juravit in enses*; *manus jurata* in Soteriis Rutilii, ubi officium facit, hoc est, nugatur Cruceus, quum suspicatur alludi eo, quod juraturi interdum dextram ejus, cui jurabant, tangerent. Inde translatione ducta *furorem jurasse* Bacchi dicitur sacerdos, ut annotavit interpres vetus: hoc est, devovisse se & consecrasse suscepto Orgiorum sacro. Cui contrarium *abjurare sacrum*, pro deserere & relinquere votum sacrum, rumpere vittas, lib. v. Thebaidos. At alio modo *rem aliquam vovere* dicebant

cebant puta ædem, ſtatuam, ſacrificium, emerita arma, crinem. Qui *juratam barbam* dicunt eſſe devotam & conſecratam, proferant ullum exemplum Latini ſcriptoris, in quo dicatur *Jurare ædem, gladium, crinem* pro vovere. proferant, & Statium eos cepiſſe fatebimur. Sed ridiculum & ineptum eſſe ajunt duodecennem puerum per barbam jurare. Itane? ridiculum ergo juraſſe Octavianum per ſperatos honores, juraſſe parentes per ſuperſtites liberos. Nempe credebant jurare debuiſſe Glauciam ita: *juro per barbam*; quod dignum ſane riſu. Sed aliter concipiebantur verba, cũ ſanctiſſima quæque juramenta per futura, quæ maxime optarent, aut in ſpe haberent, fierent. *Ita mihi atque huic ſis ſuperſtes*, jurat mater apud Comicum. *Ita mihi parentis honores conſequi liceat*, jurabat Octavianus. *Sic ſub jugum mittam Perſas, Ita quaſſatum recreem terrarum orbem*, Julianus. Ex hac formula ſolitus eſt jurare Glaucias: *Ita contingat mihi flos genarum & juventæ lanugo: Ita mihi ſalvo barbam ponere liceat*. Sic prorſus lib. 1. Achilleid.

> *Nereidum tranquilla domus jurandaque nautis*
> *Inſula.*

Ubi Britannicus: id eſt, per quam jurabant, ut inſulam ſacratiſſimam & plurimæ venerationis. nam per ea quæ majore veneratione ſunt, jurare ſolemus. Perperam: *juranda* eſt nautarum in Ægæo mari periclitantium juramentis vovenda, hoc modo: *ita ſalvi Scyron appellamus*. Eumenius rhetor in Panegyrico: *Omnes enim ex agris omnium ætatum homines convolaverunt, ut viderent, quem ſuperſtitem ſibi libenter optarent. quid*

enim ad propagandos aliorum principum annos solenni verborum more juratur, tibi, Constantine, soli ultra omnium nostrum fata victuro secure vovetur. Nempe jurabant: *Ita salvo vel superstite principe mihi mori contingat.* Quod juramentum non sine voto est. Errat Rittershusius, cum pro *juratur*, *vovetur* scribit. Hoc epicedio:

Quod tibi purpureo tristis rogus aggere crevit.

MS. Senensis & Ro. Venetaque ed. *tristis torus.* Recte. Sic VI. Thebaid.

Damnatus flammæ torus & puerile feretrum
Texitur.

Et infra sic legendum ex MSSC.

Ceu grande exsequiis onus atque immensa ferantur
Membra toro.

Vulgo, *rogo.* Tò *purpureo aggere* explicat autor etiam lib. VI. *Tyrioque attollitur ostro Molle supercilium.* Mox:

Quodq; Arabesq; Phariiq; Palæstinique liquores
Arsuram lavere comam.

Certissima hæc emendatio est viri amplissimi & cum cura dicendi I. Seldeni. Ita in pietate Abascantii: *Palæstinos simul Ebræosq; liquores.* In ipso fine: *& miseros perge insinuare parentes.* id est, tacite consolari apparendo in somnis, explicat Domitius. Male. jubet Glauciam, dum in somnis domino patronoque apparet, commendare ei parentes suos & sororem, qui cum unius Glauciæ gratia niterentur, defuncto illo metus erat, ne patrono Meliori minus nunc curæ essent. Supra:

dominique penatibus olim
Carus uterque parens atque in tua gaudia liber,

G CAP,

CAP. XVIII.

Statius quater correctus & illustratus. Romanorum mos thermas ripis inædificandi. Suspensura balneorum. Gemina testudo. Nympha. Ovidius correctus. Martialis illustratus. Phœbæa conjux, uxor. Litus imum. Fornices in scopulo exciso. Lucanus illustratus. Raptus pontus.

SUrrentino Pollii:

placido lunata recessu
Hinc atque hinc curvas perrumpunt æquora rupes.
Dat natura locum: montique intervenit unum
Litus & in terras scopulis pendentibus exit.
Gratia prima loci: gemina testudine fumant
Balnea, & e terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari.

Nemo interpretum hic de mendo suspicatus est. *In terras* explicat Domitius, in recessum interiorem: *Pendentibus scopulis*, altis undique scopulis. Quod si ita est, quæro, utrum illa *in terras* cum *exit*, an cum *pendentibus scopulis* jungi debeant. si cum *exit*, non video, quare interior recessus scopuli dicantur *terra*, nisi intima terrena fuerint: quod quæ Sibylla Domitio prodidit? at quid est *exit*, vel *exit monti*, si jungi debent cum *scopulis pendentibus?* Quin Statius repugnat sibi: dixerat enim intervenire litus monti, ut nulla ratio sit, cur non & in aquarum oras scopuli propenderint. Itaque prius videtur voluisse, ut *exit in terras*, sit in recessum interiorem; *scopuli* autem *pendentes* absolute dicantur pro abruptis. Dein quid est *litus unum?* Quo quidem epitheto nihil queat frigidius excogitari. An scribendum:

monti-

montique intervenit uncum
Litus & in thermas scopulis pendentibus exit.

Thermæ sunt vaporaria, seu balneæ calidæ, quas construxerat in litore Pollius. Errant, qui balneas natura calidas tantum, non etiam igne supposito aut fornacula vaporatas, *thermas* dici putant. *Scopuli pendentes* sunt gemina testudo, quam mox dicit. *Vncum* ergo *litus* seu curvatum in ipsum montem exit in thermas pendentibus supra scopulis. Erat enim hic quoque notabilis Romanorum luxus, ipsi margini maris injungere thermas & vaporaria, & quodammodo ignem frigusque miscere. Seneca: *Non vivunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mare jaciunt, nec delicate natare sibi ipsi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur.* Et sic balnea agnoscit in Mosellæ ripis Ausonius:

Quid quæ sulphurea substructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas?

Sed nihil apertius videtur ad hanc correctionem adstruendam verbis ipsius Papinii in Hercule Surrentino:

curvi tu littoris ora
Clausisti calidas gemina testudine limphas.

Ecce hic *litus uncum* & *thermas* & *pendentes scopulos*. Graviter errat eruditissimus Gevartius, cum utrumq; Papinii locum eo refert, quod balnea editiore substructione suspenderentur: de quo ritu Sen. ep. xc. uti & illud Tiburtino Vopisci:

An quæ graminea suscepta crepidine fumant
Balnea, & impositum ripis algentibus ignem?

Quasi vero *testudo crepidoque* suspensura essent, aut *suscipere* ubique pilis subjectis suspendere:

Vitruvius ſuſpenſuras balneorum ita fabricat, *ut tegulis ſeſquipedalibus ſolum ſternatur & ſupra lateribus boſſalibus pilæ ſtruantur atque eæ habeant altitudinem pedum duorum*. Et iſtas balneas *penſiles* appellat Plinius. At Statius in Tiburtinis illis *gramineam crepidinem* facit, non *tegulas*, non *pilas*: quę non magis ſuſpenſura eſt, quam equus maximus Domitiani *æternæ crepidini impoſitus*, ſuſpenſura exaltatus, aut impoſitus pilis; vel illa in IX Theb. *graminea producta crepidine ripa* fraxinus, ſubſtructione erecta; vel denique in Moſella Auſonii, villa - *procurrentis fundata crepidine ripa*, villa penſilis. In Surrentino *gemina teſtudo* ſunt gemini fornices in ipſum ſcopulum laborati. Apparet autem ex hoc loco in Surrentino quoque Hercule ſcribendum: *gemina teſtudine Nymphas*: neque probandum eſſe facinus Britannici, qui pro *emiſſas per cuncta cubilia Nymphas*, in Tiburtino, *lymphas*, ſuppoſuit, quod nunc per editiones regnat. Et iſto ſane loco diſertim Ro. Venetuſque codex *Nymphas* exhibent. Idque omnino genii eſt Papiniani. Ut in Thebaide de Crenæo:

Lætus adulantem nunc hoc, nunc margine ab illo
Tranſit avum.

Item: *& multo fratre madentem*. Sic Ovidius in II. de Ponto:

Tempora Phœbæa conjuge nexa tulit.

Ita enim optimus codex Pirckheimeri, non *virgine*. Ut nec ſpernendum prorſus ſit, quod in Martiale mordicus retinent libri MSC. ad Phœbum:

Fac rata vota patris: ſic te tua diligat uxor,
Gaudeat & certa virginitate ſoror.

Neque

Neque recte in omnibus editis post *τὸ loci* colon ponitur. Illa enim, *Gratia prima loci*, conjungenda cum consequentibus, & construendum: *Balnea, prima loci gratia, fumant gemina testudine*. Sed penitus singula rimanti venit in mentem retinendum *τὸ terras*. Sunt enim hæ, de quibus infra:

Hic nec terra fuit: domuit possessor & illum
Formantem rupes expugnantemque secuta
Gaudet humus.

Dicit ergo Papinius, litus quod olim nihil nisi scopulus erat, cum rupibus mare allideretur, in terras nunc exire, quas scilicet exciso & fornicato scopulo sterni poniq; ibi curavit Pollius, supra illas terras & terreum litus pendentibus scopulis excisis, qui antea pleni & continui erant. Itaque scribendum: *montique intervenit imum Litus.* Summum litus seu superior pars litoris sunt scopuli pendentes. *Imum* autem, quia aqua presso in montem delabitur alveo, monti intervenit, & exit in terras supra pendentibus scopulis. Qui ideo proprie *pendentes*, quia non sustinentur, sed alligati sunt & adhærent parti interiori. Pars superior tegit; quippe rupes fornicata, imum litus, seu inferiorem partem, quæ terrea est. Livius lib. XXXVII. *a mari exesa fluctibus rupes claudunt, ita, ut quibusdam locis superpendentia saxa plus in altum, quam quæ in statione sunt, naves promineant.* Lucanus lib. IV.

Impendent cava saxa mari, ruituraque semper
Stat (mirum) moles & silvis æquor inumbrat.
Huc fractas aquilone rates submersaque pontus
Corpora sæpe tulit cæcisque abscondit in antris:
Restituit raptus tectum mare.

 Ita

Ita o. MS. Pontum in istas cavernas ferre corpora ait: eundem pontum reciprocante æstu raptum, id est, ex cavernis relatum & revocatum, tectũ mare, i. fluctus suos, quos invehendo in cavernas texerat, restituere. Manil. de cœlo;

Sic pontum movet & terris immittit & aufert.

Aufert Lucano hic est *rapit*. Lasciviam autẽ Lucani cognoscis, cum paucis versibus *mare* bis, *æquor, pontum, fretum, undas* legis. Sic ergo omnia constabunt in Statio:

Dat natura locum: montique intervenit imum
Litus, & in terras scopulis pendentibus exit.
Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea, & e terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari.

Hæc verissima Statii scriptura & sententia est, quam nemo interpretum hactenus vestigavit. Prius illud tamen relinquimus, quia sic errando ad veritatem evasimus. Felix error est, qui in veritate desinit. Ita scripseram, viderantque apud nos complures, cúm quod maximopere me confirmavit, etiam MS. Senensem *imum* habuisse accepi.

CAP. XIX.

Statius illustratus & loco difficili tentatus. Polla uxor Pollii, cujus Surrentinum descripsit Statius. Veteres magnidicis & superbis dictis Nemesin ultricem metuebant.

SUrrentino Pollii:

Sis felix tellus dominis ambobus in annos
Mygdonii Pyliique senis: nec mobile mutes
Servitium.

Domitius hic *dominos* intelligit Pollium & Julium Menecratem. Quod jure adspernatur Gevartius,

vartius, quia toto hoc carmine nulla Menecratis mentio. Ipse Herculem & Neptunum innui autumat, quos villæ hujus præsides supra dixit Statius. Quid opus tricari? *Ambo domini* sunt Pollius & uxor ejus Polla: quam & ante advocavit, cum ait, quod in Surrentinum se accivcrint Pollius, *& nitidæ juvenilis gratia Pollæ.* De eadem in Hercule Surrentino:

grexque protervus
Nunc humeris irreptet avi, nunc agmine blando
Certatim nitidæ concurrat ad oscula Pollæ.

Et in ecloga ad Julium Menecratem, ob recens natam puellam:

Quæque sibi genitos putat attollitque benigno
Polla sinu.

Quo ex loco satis clarum est, nugas agere Cruceum, cum hanc Pollã pro uxore Pollii filiam facit. Eandem intelligit in fine hujus Surrentini, ubi mirari non possum satis securitatem interpretum, qui inoffenso veluti pede locum prætereunt, quo nescio an ullus his in Silvis me magis exercuerit:

Discite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coiere faces.

In toto carmine unum semper Pollium alloquitur. Unde ergo hic *discite?* Domitius jã ante effugiũ sibi præparaverat, notatq; iterũ, institui sermonem ad Julium Menecratem generum & & filiam Pollii, quos adhortetur ad imitationem morum patris. Quod sane perquam ineptum est, cum, ut dictũ, nulla mentio sive filiæ sive generi præcesserit. Deinde ibi:

Tuque nurus inter longe pulcherrima, cujus
Non frontem vertere minæ.

pro *pulcherrima* Domitius legit *præcordia*, & deesse ait versum, nisi ita omnia corrigantur: *inter, cujus præcordia curæ.* Unde elucet hominem audacem & promptum interim fingere, quæ nuspiam lecta, ne quid nescire videatur, non se explicuisse. Ut omittam, quod ad illa proxime sequentia, *Non tibi sepositas*, notat: hoc referendum ad Julium Menecratem. At qui potest? Illam inter nurus pulcherrimam alloquutus est, neque ad aliam, qui subsequuntur, aliquot versus, quocunque te vertas, torqueri possunt. Quæ si filia Pollii est eo, quod *nurus* vocatur, patrem non habet Pollium, sed socerum. Ergo *nurus* idem, ac si fæminas dixisset: ut *matrum* voce uti veteres solent. Super his omnibus, quid est, quod eos *discere* vult? Nam de imitandis moribus Pollii somnium Domitii est vanissimum, καὶ σὺν ἐκ τοῦ Διός. Corruptissima sine dubio hæc omnia sunt. Nam cum ad Pollium dictum esset:

sic perge: nec unquam
Emeritam in nostras puppem dimitte procellas;

Subjungitur nec quid nec quare:

Discite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coiere faces.

Nec enim vola nec vestigium apparet eorum ejusve, qui quid discere debeant. Aut igitur defecta hæc, aut luxata sunt, quod puto, & versus pauculos trajectos, ita ponendos:

sic perge: nec unquam
Emeritam in nostras puppem dimitte procellas.
Tuq; nurus inter longe pulcherrima, cujus
Non frontem vertere minæ, sed candida semper
Gaudia & in vultu curarum ignara voluptas:

Non

Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias, avidique animum dispendia torquent
Fœnoris: expositi census & docta fruendi
Temperies. Non ulla Deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit concordia mentes,
Dicite securi: quorum de pectore mixtæ
In longum coiere faces, sanctusque pudica
Servat amicitiæ leges amor: Ite per annos
Seculaque & priscæ titulos præcedite famæ.

Sic (opinor) omnia bene nectuntur, neque in fine carmen hiat. Avertit se ad Pollam uxorem Pollii, quam inter *nurus*, hoc est, matronas Romanas vocat *longe pulcherrimam*; cujus supra quoque juvenilem gratiam in vegeto rugarumque carente senio laudavit. Hic ulterius etiam animum ejus prædicat: dein junctim ambos alloquitur, quod vel maxime proditur illis phrasibus, *cohærentia pectora*, & *concordia mentium*, & *mixtæ faces de pectore*: quæ pœne peculiares conjugum apud nostrum. Pietate Abascantii:

Nec mirum, si vos collato pectore mixtos
Iunxit inabrupta concordia longa catena.

Item Stellæ & Violantillæ

dat Iuno verenda
Vincula & insigni geminat Concordia teda.

Nam illa *Concordia geminans teda*, quid aliud quã *faces mixtæ de pectore*? Tutos autem eos a Nemesi constituit, & supra fortunam: ideo jubet citra invidiæ metum sibi mutuo gratulari de felicitate hujus concordię & dicere:

non ulla Deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit concordia mentes.

Sic enim & quietem vitę, cui se dediderint, & san-

sanctum amorem polliceri. Ita ad uxorem Claudiam:

nullis in te datur ire sagittis,
(Audiat infesto licet hæc Rhamnusia vultu)
Non datur.

Veteres enim quoties magna præsertim de se loquebantur, Nemesin & fascinum metuebant. Ovidius:

Nec metuis dubio Fortunæ stantis in orbe
Numen, & exosæ verba superba Deæ.

Lucanus:

Et tumidis infesta colit quæ numina Rhamnus.

CAP. XX.

Statius non semel minutis mendis liberatus, illustratusve. Dare se. Euphratæa diademata. Recedere, reduci. Retractus, reductus. Repetitio vocis elegans. Tertullianus, Arnobius, & Cicero illustrati. Primæva visu arbor. Nova arbor. Horatii loco lux. Arnobius alibi emendatus.

SUrrentino Pollii:

Non mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et superet Pimplea sitim, largeque volantis
Vngula sedet equi.

Sedet, inquit Domitius, pro sedare velit, subintellecto *sitim*, quod in versu est precedenti. Et ita omnes editiones. Non est nostri Poëtæ, sic ab equo in asinum descendere, ut cum antea dixerit Pimpleam *superantem sitim*, nunc Hippocrenen modo *sedantem* faciat. Scribe igitur divisa voce: *Vngula se det equi.* Usitatissima phrasi ejus. Ut in equo maximo:

Et cui se totis Temese dedit hausta metallis.

Epithalamio Stellæ:

Non ideo tibi tale decus vultusque superbos
Meque dedi.

Soteriis Rutilii: *nec conscia detur Pirene.* Ita etiam conjecerat Gruterus. Eodem Surrentino:

nunc cerne jugum discentia saxa,
Intrantesque domos, jussumque recedere montem.

Nescio an docti homines satis ceperint illud, *recedere montem.* Hoc enim est, non abire, sed quod alii dicunt *reduci*, Ut Horatio *reducta vallis.* Sidonius Panegyr. Majorani: *portumque reducto Efficiunt flexu fluvii. Retrahi* dicit Livius lib.XXVI. *Sinus est maris media fere Hispaniæ ora, maxime Africo vento oppositus, & quingentos passus introrsus retractus.* lib.XXXIV. *Hispanis retractior a mari trium millium passuum in circuitu murus erat.* Igitur *jussum recedere montem*, illi *reductum*, *retractum* dicerent, Curtius lib. III. *introrsus cedentem*, Manilius *revocatum.* Sic enim ille lib. IV.

Litoraque in Syrtes revocans sinuata vadosas.

Eodem Surrentino:

Vive Mydæ gazis & Lydo ditior auro
Troica & Euphratæ supra diademata felix.

Jamdudum docta manus concinnius scribi putavit: *& Euphratæ & supra.* Sed Papinius reliquit: *Euphrataea supra.* Iterum Surrentino:

At nunc discussa rerum caligine verum
Adspicis: illo alii rursus jactantur in alto.

Levis correctio est, sed quam me vix spero magistris probaturum, quibus paronomasia blandietur: *discussa verum caligine, verum Adspicis.* Frequentissime ita Papinius, ut fere putidum sit notare. Ad Claudiam:

Sed

Sed venient, plenis venient connubia tedis.

Ibidem:

Tua, quæ me vulnere primo
Intactum thalamis & adhuc juvenile vagantem
Fixisti, tua frena libens docilisque recepi.

Hæc vera lectio est, quam proposuit ex conjectura in brevibus illis observationibus olim V. A. Fr. Lindenbrogius, & merebatur assensum, quem qui non dederunt, eorum ingratus labor est. In lacrimis Etrusci:

Et (modo si fas est æquare jacentia summis)
Pertulit & sævi Tirynthius horrida regis
Pacta.

Ita scribendum. Omnes edit. retro, Romana excepta, quę totam parenthesin ignorat: *Et modo (si fas est.* plane inepte. τὸ *&* autem hic ita repetitur. Tertullianus de Idolatria: *Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet ac exsufflabit, quibus ipse prospexit?* Errat Latinus Latinius, quando expungit τὸ *si*, aut corrigit distinctionem: *quo ore Christianus thurarius? si per t. t. quo ore.* Audacius Cerda, qui posteriori loco illa, *quo ore*, expunxit, deque hoc facinore assensum omniũ sibi spondet. Meum nunquam habebit. Arnobius lib. V. *Primum illud a vobis (si modo commodare patientiam vultis) exquirimus; primũ, allegorico genere vel scripta hæc esse, vel eodem modo intelligi oportere, unde est vobis cognitum* &c. Non debebat repetitio vocis *primum* offẽdere aures docti viri in Adversariis. A. Gellius lib. XIV. *Esse autem nimis quam ineptum absurdumque, ut quoniam æstus Oceani cum Luna curriculo congruit, negocium quoque alicujus, quod ei forte de aquæductu cum rivalibus aut de communi pariete cum vicino*

apud

apud judicem est, ut existimetur id negotium, quasi habena quadam de cœlo vinctum, gubernari. Tullius in Lucullo: *Similiter vos cum perturbare ut illi rempublicam, sic vos Philosophiam bene constitutam vultis.* Ubi etiam male Lambinus alterum *vos* delet. Silius Italicus:

Ecce trahebatur lucemque (heu dulcia cœli
Lumina!) captivus lucem inter vincla petebat.

Ita enim vetusta Parisiensis editio & memb. Oxonienses. In Arbore Atedii:

omnia questus,
Immitem Bromium, stagna invida, & invida tela.

Invitis Gratiis & genio suo nugacem hanc lectionem cum nugacissima Domitii explicatione tenet Gevartius. Autor sum edituris Statiũ, ut sine ulla hæsitatione in textum recipiant palmariam illustrissimi viri conjecturam: *Invitam Brimo.* Eodem poëmate:

Primævam visu platanum, cui longa propago
Innumeræque manus & iturus in æthera vertex.

Eleganter *primævam visu* platanum dicit lætissimam, quæ jam alta nititur radice, quæ lata umbra & in cælum minante scapo: eopse sensu quo Horatius *novam* in Epodis: *Quam nova collibus arbor inhæret.* Ubi vir illustrissimus miratur *novam*, & supponit: *quam non collibus.* Non meminerat Flaccum ab Homero id mutuatum esse, cujus est Odyss. ζ'.

Δήλῳ δήποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.

Nova non magis Horatio dicitur, quæ nunc primũ radices egit, quã hæc Homero *νέα*, ad quam tot ante secula Latona partum fuderat. Neque vertit aliter Cicero: *quod Homericus Vlysses Deli se*

pro-

proceram & teneram palmam vidisse dicit. *Primæva* ergo *visu* arbor, *nova, νέα, tenera* illis dicitur, quæ in perfectissima ævi sui ἀκμῇ constituta est. Etiã vere puto Domitium ex scripta lectione, *Et satiare, Et secrete palam* fecisse. Scimus sæpe hos apices confundi: & simili modo emendasse nos Arnobii locum memini lib. v. *Quid coronæ? quid violæ? quid voluere mollium velamenta lanarum?* Ita legendum est. Præcessit enim: *Quid enim sibi vult illa pinus? quid lanarum vellera?* Vulgo: *volucra:* quod mirifice eruditissimum virum torsit.

CAP. XXI.

Statius pluries correctus. Pectora non nosse, non movere Fortunam. Lucano lux. Movit, porxit, discusset. Silius emendatus. Placet hoc Fortuna. Germen, an carmen vitæ adultæ? Seneca correctus. Hippolytus pulcher senii monstrans imaginem. Rhamnusiæ invidus pulchrorum aspectus. Similem amare, similes repetere pectore curas.

EPicedio Pileti Ursi:

Famulum (quoniam rerum omnia cæca
Sic miscet fortuna manu, nec pectora movit)
Sed famulum gemis, Urse, pium: sed amore fideque
Has meritum lacrimas.

Bernartius emendat: *nec pectora novit.* Mens, fortunam ima summis miscere, nec animum cujusque in miscendo respicere. Gevartius rejecta interpretatione Domitii (quoniam omnia ita fortuna volvit, nec mota est misericordia) probat emendationem Bernartii. Dicit enim (addit) Poëta, Fortunam nõ agere καρδιογνώστην,

nec attendere ad voluntatem hominum & videre, quid illi malint. Invitus ab eo dissentio, quo nullum elegantius ingenium Statio manus admovit. Ita autem mihi æquus lector contingat, & ita præstantissimus vir mihi amicus sit, ut non animus succo lolliginis adspersus, sed bene de literis & priscis scriptoribus merendi studiosissimus hæc dictat. Si probandum est illud, *nec pectora novit*, non utique ita intelligendum, non videre Fortunam, quid homines velint; sed non respicere, quid animus præstantior sine controversia hominis pars, & unde ille æstimandus, mereatur. Qualiter hic Piletus, servus natus, majorem animum habuit conditione sua, & dignus fuisset, si Fortunæ cura esset mores humanaque nosse pectora, liber nasci. Protreptico ad Crispinum:

crimenque Dei, mortalis quisquis
Pectora sero videt.

Nosse autem est cognoscere, inspicere. Ut in x. Theb. *nosse futura negant.* In Epit. Stellæ: *jam nunc Cybeleia novit Limina.* id est, jam admissus est, & sensit honorem, quo funguntur, qui ante Cybeles fanum Megalesiacis ludis præsunt. Perperam Piccartus *movit* conjectat, ut habetque Ro. editio. Veniebat tamen sub acumen stili:

(quoniam rerum omnia cœca
Si miscet Fortuna manu, nec pectora movit.)

Non si fortuna bonos, malos per digna, indigna miscet, si ex homine animi ingenui servū facit, mentemq; liberalē addicto vestit corpore, propterea contagione illa etiam pectora moverit, naturāq; ipsam cum statu cōmutaverit. Seneca: *Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis: mens quidem*

sui

sui juris, quæ adeo libera & vaga est, ut ne hoc quidem carcere, cui inclusa est teneri queat, &c. *Corpus itaq; est, quod domino Fortuna tradidit: hoc emit, hoc vendit: interior illa pars mancipio dari non potest.* Idemque: *Refert, cujus animi sit, qui præstat, non cujus status. Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges & exules: non eligit domum nec causam: nudo homine contenta est. Quid enim erat tuti adversus repentina, quid animus magnum promitteret sibi, si certam virtutem fortuna mutaret?* ubi pœne eadem phrasis. nam *certa virtus* nihil aliud est, quam insita & stabilis, in sanguinem veluti & hominis partem conversa: *certam virtutem mutare*, quod Statio *pectora movere*. Quod ideo dicit, quia mox pietatem in Pileto erat prædicaturus, quæ supra servile ingenium. *Morit* figura poëtica pro moverit: ut in Epicedio in Glauciam, *porxit* pro porrexit. Silius lib. XI.

Tum Deus ut liquidi discusset stagna profundi,
Tellurisque globum media compage ligasset,
Ut celsum Superis habitare dedisset Olympum.

Ita scribimus ratione manifesta. Omnes editi; *discussit*. *Discusset*, ut *abscessem*, *affixet*, *evasset*, &c plura talia apud eundem. Illud obstare nostræ correctioni videbitur, quod parenthesis sequenti membro includi & post *sed* poni debuisset. Sed spernit Statius usitatum construendi modum: pariter ut in Protreptico Crispini:

nos fortior ætas
Iam fugit: hinc votis animum precibusque juvabo.
Hei mihi! sed solitos questus si forte ciebo,
Et mea Romulei venient ad carmina Patres,
Tu deeris, Crispine, mihi:

Ubi illud, *hei mihi!* post *sed* ponendum erat. Vide infra. In Thebaide de Parthenopæo:

At puer infusus sociis in devia campi
Tollitur (heu simplex ætas!) moriensq; jacentem
Flebat equum.

Nam exclamatio post *moriensque* debuisset inferi. Sic contra in parenthesin recipiunt nonnunquam Poëtæ, quæ ei extraria. Quod tenebras summis viris offudit in Lucano lib. II.

Te quoque, neglectum violatæ, Scævola, dextræ!
Ante ipsum penetrale Deæ semperque calentes
Mactavere focos.

Te quoque Scævola (heu pudor! sic negligi violatam illam dextram gentilis tui Porsenæ igne, ante focos præsertim Vestæ! tam vilem & nullam violatæ dextræ memoriam esse!) mactavere &c. Hæc mens Lucani est; quam implicat hoc solum, quod *Scævola* interseritur illis, *neglectum violatæ dextræ!* quæ exclamationem habent secludendam parenthesi. Ita Valerius Flaccus lib. V.

Tunc aderit victorque domos & sceptra tenebit,
Donec & Æeten inopis post longa senectæ
Exilia, heu magnis quantum licet, impia, fatis!
Nata juvet, Grajusque nepos in regna reponat.

Ubi τὸ *impia* prorsus extra exclamationem sensus ponit: quippe ita evolvenda oratio: *donec Æeten post longa exilia (heu quãtum licet magnis fatis!) impia nata & Grajus nepos in regna reponat.* Nepos iste Medus est. Historia apud Diod. Siculum lib. IV. Φασὶν αὐτὴν ἀναλαβοῦσαν τὸν ἐξ Αἰγέως Μῆδον εἰς Κόλχους διασωθῆναι. κατὰ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον Αἰήτην, ἐκ τῆς βασιλείας ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Πέρσου βιαίως ἐκπεπτωκότα, τὴν ἀρχὴν ἀνακτήσασθαι, Μήδου τοῦ Μη-

δέπας ἀνελθόντος τ̃ Πέρσου. Statius lib. III. Thebaid:

At nuptæ exanimes puerique ægrique parentes
Quiſque ſuas avidi ad lacrimas, miſerabile, currunt,
Certamen !

Miſerabile certamen non debebat interſtingui illo *currunt :* ſed diſcludi parentheſi ab reliqua oratione. Tacitus lib. IV. ann. *His, hautquaquam Nero pœnitentia flagitii, revocavit Octaviam.* Ubi τὸ *Nero* poſitum pœne, ut apud Lucanum, Scævola. Apertius enim eſſet: *his Nero, hautquaquam pœnitentia flagitii.* Bernartii tamen *novit* non ſperno illa mente, qua dixi, quaque ille procul dubio etiam voluit. Iterum hoc epicedio:

ne comprime fletus,
Ne pudeat ; rumpat frenos dolor iſte : Deiſq;
(Si tam dura placet) hominem gemis.

Bernartius prout didicerat a Domitio tollit parentheſin & *ſi* interpretatur ſiquidē. Gevartius eam retinet, & deeſſe aliquid per apoſiopeſin arbitratur. Incitatur enim Urſus ad dolendum, moneturque frenos laxare dolori & accuſare Deos, quod egregium puerū immatura morte abſtulerint. Itaque *Deiſq;*, ſubaudit, *convitia inferas*, aut quod ſimile. Vel deniq; legit: *rumpat frenos dolor iſte Deoſq;*, id eſt, invidiam Deorum contemne vel fer fortiter. Jucundiſſimus Emericus negat in toto Silvarum opere faciliorem ſe locū inveniſſe. quippe ita explicandū: *gemis, o Vrſe, ſi diis tam dura placent, tuum famulum.* Nota formula: *ſi Dijs placet.* Hoc ſapere eſt, ſi Diis placet.

Ψεύσομαι, ἢ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός.

Vera ſcriptura eſt:

Ne pudeat : rumpat frenos dolor iſte : Deisne
Hei tam dura placent ? hominē gemis! hei mihi! ſubdo

Ipſe

Ipse faces: hominem, Urse, tuum.

Summa ars excellentissimi Poëtæ est, quod periodos breves velut singultibus interstinguit & abrupta canit. *Ei* in vet. lib. scriptum fuerat, ut assolet, pro *Hei:* id in *Si* degeneravit. Insanum dolendo & plangẽdo invidiam Diis se facere credebant stulti gentiles. Ad hoc ergo Ursum hortatur Poëta & faces dolori subdit: omnem modum excedat ista comploratio, iste planctus. Videant Dii, quam ipsis dura placuerint, quam sævi fuerint, quam injusti. Quare nunc vires expromat dolor:

Sævite manus, pulsu vasto
Tundite pectus.

Hominem gemis: tuum hominem, cui dulce volenti servitium &c. *Placet hoc*, formula usitata in rebus indignis. lib. X. Thebaid. *placet hoc tibi, fulminis autor.* Martialis: *Hoc, Fortuna, placet.* Porro hoc epicedio:

vita modo carmen adulta
Nectere tentabat juvenum pulcherrimus ille;
Cum tribus Eleis unam trieterida lustris
Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu.

Quid est *vita adulta carmen?* Quid dein *vita adulta carmen nectere?* Certum immo τὸ *nectere* jungendum esse cum *trieterida*, non cum *carmen.* Quod miror non cogitasse hactenus interpretes, ut distinctionẽ mutarent. Sed illi somnum hic Epimenideum dormientes non tantum ita edunt, sed etiam allegant: aut docent me Piletum octodecim annorum a Poëta designari. Gruterus: Quid hic sibi vult illud *carmen?* an mutandum in *culmen?* Sic ille, quod nec tamen placet. An scripsit Papinius:

vitæ modo germen adultæ
Nectere tendebat juvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis unam trieterida lustris.

Tendebat a Senensi M S C. & Codice Romano est. Eleganter usus est verbo Horatiano:

Singula de nobis anni prædantur euntes:
Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum:
Tendunt extorquere poemata.

Sic alibi: *aqua tendit rumpere plumbum*. Hæc autem mens: ille pulcherrimus juvenum, modo adultæ vitæ germen, (id est, flos intratæ adolescentiæ,) tendebat nectere unam trieterida cum tribus Eleis lustris. An tolerari potius debet vulgatum, sed ita distinctum: & *vitæ adultæ carmen*, est, quem omnis vita adulta, omnes juvenes canebant? An verum est, quod conjiciebat vir maximus: *vitæ modo limen adultæ Nectere* &c. i. Nectere tentabat unam trieterida tribus Olympiadibus, quod est limen tantum & vestibulum vitæ adultæ? Quæ ad ultimum illum versum hic & in Electis affert Gevartius, prorsus nectarea sunt: sed requirunt, quod Martialis in suo coquo, *domini palatum & ingenuam gulam*; nec sapiunt tenebrionibus. Unum Senecæ locum excipio, ad quem maximi viri hæserunt, in Hippolyto:

Raris forma viris (secula prospice)
Impunita fuit. Te melior Deus
Tutum prætereat formaque nobilis
Deformis senii limina transeat.

Indignum illud ultimi versus, ut Lipsio apertum & verum videretur. Rectius vir illustrissimus, qui hic se Tiresiam fatetur. MSC. Lipsii: *Deformis senii monstret imaginem*. Quod ita explicat

cat Scaliger: dixit immenſam formam nunquam impune viris fuiſſe. Ne hoc Hippolyto accidat, optat ei meliores Deos: & potius, ut ſibi repræſentet deformis ſenii imaginem, ne ſuperbiat. Quemadmodum in triumphis, ne ex nimia gloria νεμεσητόν τι & invidioſum paterentur, ſervus publicus a tergo ad ſe redire & ſupra hominem nihil ſapere admonebat. Sic ille quidem ingenioſe. Vera MSC. lectio, ſed ejus hæc ſententia: Te triſtis Deus, melior & clementior tibi prætereat: & quoties ille, quoties Rhamnuſia te adſpiciet, non videatur forma tua, ut eſt, nobilis; ſed imaginẽ det ſenii triſtis, videatur inſtar deformis ſenectæ, ut illa non invideat tibi, nec aculeos ſuos erigat, μή σοι Νέμεσις θεόθεν χαλεπήνῃ. Non utatur tam perſpicacibus oculis, ut ſpeciem tuam, qualis eſt, apprehendat, ſed vero decepto viſu invenuſtum te ſenioque ſqualidum eſſe putet. Similis error, ſed in contrarium, quem vovet Martialis:

Diligat illa ſenem quondam: ſed & ipſa marito
Tunc quoque, cum fuerit, non videatur anus.

Sic de rivalibus, quos metuebat, optabat Tibullus:

Atque utinam poſſes uni mihi bella videri!
Diſpliceas aliis! ſic ego tutus ero.

Nullus dubito, quin Seneca ita & hac mente ſcripſerit. Qui ſumpſit hoc acumen & votum ex Hippolyti rediviui fabula, cui in Virbium commutato ætatem addidit Diana, ut tutius poſthac conſpiceretur & ſine invidia aut libidine. Ovidius:

Utque forem tutus, poſſemque impune videri
Addidit ætatem, nec cognoſcenda reliquit

Ora mihi.

Ipso fine epicedii :

alium tibi fata Pileton,
Forsan & ipse dabit, moresque habitumque decoros
Monstrabit gaudens similemque docebit amorem.

Primum MS. Flor. Ro. Venetusque Codex habent, *decoros*. Dein optima lectio & ipsius Statii, quam pro ultimo verbo habent Romanus & Venetus: *similemque docebit amari*. Neque enim dicitur: forsan ille alium dabit Pileton, & ei monstrabit mores habitumque decoros, docebitque eum amorem, quo ipse tibi serviebat: Sed hoc dicitur: dabit alium Pileton tibi, ejus mores habitumque decoros tibi monstrabit, & ostendet grande solatium, a te sui similē amari. Ita Epicedio in Glauciam :

Noverat effigiem generosique ardua Blæsi
Ora puer, dum sæpe domi nova serta ligantem
Te videt, & similes voluentem pectore curas.

Ita ex Aldina editiones. Sed MS. Flor. *tergentem*, Romanus Codex *regentem* habent pro *voluentem*. Unde procul dubio scribendum, *repetentem*. Hæc enim sententia est: dum te subinde videt serta ligantem Blæsi imagini & repetentem pectore grataque memoria similes sui, puta Glauciæ, curas, id est, veteres amores, delicias tuas Blæsum, in cujus erepti solatium ipse erat adscitus. Infra : *& amissi puerum solatia Blæsi. Curæ*, ut eodem epic.

Tu modo deliciæ, dulces modo pectore curæ.

Paucos hunc locum recte intellexisse puto, & me diu hercle torsit.

CAP.

CAP. XXII.

Statius sæpicule illustratus, bis correctus. Nemus pacis reclusæ. Quæ Poëtæ scribebant, ea facere dicebantur. Virgilius illustratus. Facinora carminum. Cyprianus correctus. Pax. Quies, quieti. Apulejo lux. Vana solatia imaginum. Manes noctu in terris oberrare, monere superstites suos, opinio veterum. Inscriptio vetus correcta. Plautus illustratus. Virgilius leviter, pulchre Ovidius emendati. Umbra debilis. Somnus securus, non securus. Lucano bis facula accensa. Hac; qua.

GEnethliaco Lucani:

Seu pacis meritum nemus recluse
Felix Elysiis tenes in oris.

Et hic locus non vulgares viros, sed primorum principes exercuit. Romana & Veneta editio: *merito.* Ut & MS.Flor.qui & *reclusi.* Magni viri scribunt e conjectura: *Sed paucis meritum nemus recludi.* Quod sane ipsorum elegantiam decet: sed aliud sensit, atque illi, Papinius. Scripserat magno cum ingenii plausu Lucanus Orphea, qualis ad inferos Eurydicen repetitum profectus & reversus fuerat. Quo allusit Statius supra, cum ait: *Et sedes reserabis inferorum.* Quę enim scribebant facta esse Poëtæ, ea ipsi facere vel gerere dicebantur, alluso ad ipsum nomen Poëtarum. Virgilius Ecl. VI.

Tum Phaethontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.

Martialis ad Silium:

Qui perjuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosque
Fastus Hannibalis levesque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis.

Claudianus:

hunc arbore figit,
Elevat hunc pluma, squamis hunc fabula vestit.

Idem alibi: *Hesperidum, quos ditat fabula, ramos.* Et rursum: *fabricataque vatibus arma.* Prudentius: *cum pulchrum poësis castraverit Attin.* Moxque:

cum Musa pudicum
Raptarit juvenem volucri per litora cursu.

Ita enim Egmondanus opt. MS. Statius in Ep. Domitiani:

Qui magnum Æneam Laurentibus intulit arvis.

Cyprianus epist. ad Donatum; *Cothurnus est Tragicus prisca carminum facinora recensere.* Sic legendum ex MSC. doctissimi Pontani & Pamelianis aliquot. Vulgo, *carmine recensere.* Inde eleganter Seneca lib. VI. Nat. Q. *Delos quam Virgilius stare jussit,*

Immotamque coli dedit & contemnere ventos.

Quod ipse de Phœbo scripserat. Ideo apud Philostratum Protesilaus Homerum οἰκιστὴν Τροίας appellat, ἐπειδὴ εὐδοκίμησεν ἐκ τῶν Ὁμήρου ἐπ' αὐτῇ θρήνων. Ibidemque Vlysses cum prohibet Homerum mentionem Palamedis facere, ait: μὴ δὲ ἄγε τὸν Παλαμήδη ἐς Ἴλιον, μηδὲ στρατιώτῃ χρῶ. Ex quibus manifestum est inane esse acumen Servii, Cerdæ aliorumque Virgilii interpretum, qui ibi miram fingunt laudem canentis Panis, ut quasi non rem factam cantare, sed ipse eam cantando facere videatur. Communem sensum docte posuit Maro, qui æque omnibus convenit Poëtis. Ita etiam dicitur Lucanus *sedes inferorum reserasse*, quando cecinit Orphea adeuntem inferos & in lucem reversum. Unde liquet,

quet, vehementer falli nobilissimum virum, lib. XXIII. adversf. c. III. ubi ex illis versibus;

Ac primum teneris adhuc in annis
Ludes Hectora Thessalosque currus,
Et supplex Priami potentis aurum:
Et sedes reserabis inferorum.

colligit Iliacôn Lucani librorum hanc fuisse seriem, ut primus de victo Hectore, alter de ejus lytris, tertius de inferis fuerit. Neque enim Orpheus cum Iliacis quicquam commune habere potuit. Porro eodem allusit noster in citatis primum versibus. *Reclusa pax* est reserata quies inferorum. *Quies* proprium vocabulum de campis Elysiis. *Ordines quieti* Horatio. Nemesianus: *si sentire datur post fata quietis.* Noster Epicedio Pileti: *carpsitque quietem Elysiam.* Apulejus lib. II. mil. *Desine jam, precor, desine: ac me in meam quietem permitte.* Non accurate docti viri hanc quietem cum requie sepulturæ, de qua Christiani Patres, confundunt. Valerius Flaccus:

nec tam merito tibi Typhi quietum
Ulla parens volet Elysium manesque piorum.

Pro quo Statius protreptico ad Crispinum: *pacem auferre rogis.* *Pacem* enim & *quietem* ἐκ παραλλήλου ponit. In Hercule Surrent.

Facundique larem Polli non hospes habebam,
Assidue moresque viri pacemque novosq;
Pieridum flores intactaque carmina discens.

Quod hic *pacem*, id *quietem* dicit in præfat. lib. III. *Polli dulcissime, & hac, cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime.* De quo infra pluribus. Hoc ergo Statius illis verbis expressit: Seu tenes beatum in campis Elysiis & bene meritum nemus

quietis, quam tu inducto & reducto Orphe● reclusisti. Eodem Genethliaco:

> *Ac solatia vana subministrat*
> *Vultus, qui simili notatus auro*
> *Stratis prænitet incubatque somno.*
> *Securæ procul hinc abite mortes:*
> *Hæc vitæ genialis est origo.*

Τὸ *ac*, non est mutandum. Seneca: *Imagines nobis amicorum jucundæ sunt, quæ memoriam renovant, & desiderium absentiæ falso atq; inani solatio levant.* Plin. in epist. *Virginium cogito: Virginium video: Virginium jam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio, alloquor, teneo.* Quænam autem *mors secura?* an venæ sectio, qua Lucanus obiit? Nugæ. distinguo & lego: *incubatque somno Securæ. Procul hinc.* Vel quod magno viro placebat: *Sint curæ procul: hinc abite.* Ita Gevartius. Vera scriptura est: *incubatque somno Securæ. Procul hinc* &c. Quæ ut recte intelligatur, sciendum persuasionem fuisse veteribus, manes noctu oberrare in terris, & in somnis apparere, præsertim biothanatorum, qui immerita morte & ante diem perierant: amicis quidem, ut eos alloquiis delectarent, aut si ignoraretur defunctos, fatum suum nunciarent, ultionem & si quid tale mandarent, denique de instantibus periculis aliisve rebus ad vitæ ordinem pertinentibus monerent; inimicis vero, uti eos inquietarent, terrerent & insequerentur sanguine suo. Quæ singula alii dudum latius exsequuti sunt. Apud Euripidem inquit Admetus ad Alcestim morituram:

> ἐν δ' ὀνείρασι
> Φοιτῶσά μ' εὐφραίνοις ἄν· ἡδὺ γὰρ φίλοις
> Κἂν νυκτὶ λεύσσειν, ὅντιν' ἂν παρῇ χρόνον.

Philo-

Philoſtratus in ἡρωικ. de Achille: ᾀδῆντι γὰρ τὰς λύγρας τῷ Παλαμήδῃ ἐπεποίητο, καὶ ᾔδει αὐτὸν, ὡς τοὺς ἀρετέρους τῶν ἡρώων. ἐδεῖτό τε ὄναρ ἐφίστασθαι οἱ, σπένδων ἀπὸ κρατῆρος, οὗ Ἑρμῆς ὑπὲρ ὀνείρων πίνει. Statius Epiced. in Glauciam:

Ades huc emiſſus ab atro
Limine, cui ſoli cuncta impetrare facultas,
Glaucia, (nam inſontes animas nec portitor arcet,
Nec dira comes ille feræ) tu pectora mulce &c.

Hinc petit illa in veteri lapide: COMMENDATUM. HABEATIS. CARUM MEUM. ET. VELITIS. HUIC. INDULGENTISSIMI. ESSE. HORIS. NOCTURNIS. UT. EUM. VIDEAM. ET. ETIAM. MI. FATU. (vel ADFATU) SUADERE. VELIT. UT. ET. EGO. POSSIM. DULCIUS. ET. CELERIUS. APUD. EUM. PERVENIRE. Ita ſcribendum eſt. Quamquam vetuſtior editio prodigioſe corrupta: COMMENDATÆ NOS HÆCATIS MEUM COMITEM. Rogat ut maritum videat nocturnis horis, ejuſque adfatu reficiatur & moneatur, quomodo feliciſſime hunc mimum vitæ citiſſimeque tranſigere poſſit, caroque ſuo conjungi. Plauto etiam lucem hinc fœnerabimur, Aſinaria:

P. *Quo tu abis? quin tu hic manes?* A. *Nox, ſi voles, manebo.*

Facile erat videre, *nox* legendum eſſe, quia verſu ſeq. mentio fit *operæ nocturnæ*. Sed merito quæritur, qui adoleſcens ædibus, amoribus expulſus, jamque nihil niſi properata fata & mortem cogitans

cogitãs potuerit ludere in spe impudicæ noctis? Hic nodus, cui vindices venisse oportuerat. At silent. Nec juvant ii, qui *mox* contra manifestissimam rationem retinent, & id interpretantur, sub vesperam. Vix enim id Latinum est. Sed Plautus *nox* pro noctu scripsit. Multis de se ut morituro loquitur Argyrippus. Eo auriguntur phrases illæ, *supremum dicere, funus acerbum, apud orcum videre. &c.* Hoc ergo dicit perditissimus amore juvenis: quoniam matris tuæ sævitia a te segregor & discidium mihi vastitiesq; omnis lusus mei venit, eaque de caussa constitui me a vita abjudicare, noctu saltim, si voles, hic manebo, & capient manes mei fructum amoris, in somnis te adeundo, quem viuo Fortuna invidit. Hæc sententia Argyrippi est. Jocus servuli, *opera ut largus est nocturna*, illusio est, non explicatio sensuum Argyrippi. Porro, qui non sua morte & tristi aliquo casu periissent, vestigia fati sui retinere credebantur. Virgilius lib. II. Æneidos:

In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumenteis,
Hei mihi! qualis, erat, quantum mutatus ab illo
Hectore.

Distinctio hujus loci, quæ omnes editiones occupavit, arguit nemini hactenus cum satis intellectum. Intricatior constructio est, sic evolvenda: *Visus mihi, ut quondam erat raptatus bigis, aterque pulvere cruento, & per pedes lora trajectus (hei mihi!) qualis? quantum mutatus &c.* Imitatio Valerii Flacci hoc satis docet lib. IV.

Ina-

Inachias errore etiam defertur ad undas,
Qualis? & a prima quantum mutata juvenca?

Sed ad notas illas fatique vestigia respexit Statius Soteriis Rutilii:

primusque insigne tributum
Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.

Atque ideo optime restituisse nos Ovidium puto lib. III. Trist.

At miser Elpenor tecto delapsus ab alto:
Occurrit domino debilis umbra suo.

Ita enim MS. Pirckhaimeri, & procul dubio ipsa Nasonis manus. Vulgo: *flebilis.* Quia ergo charis quoque tristes illas notas cæsi interdum aut trucidati ostenderent, eveniebat, ut illi quoque, quibus terrori esse nollent, inamibili facie commoverentur. Hoc arcet ab apparitione Lucani Statius. quippe astris mixtus *lucidus* adfuturus expectabatur & gratus visu. Seneca ad Marciam: *Parens tuus, Marcia, nepotem suum applicat sibi nova luce gaudentem.* Epist. LXXI. *aut in meliorem emittitur vitam lucidius tranquilliusque inter divina mansurus.* Aut Elysiis illatus campis, ut beatorum manes erant. Lactantius ad x. Thebaid. ibi:

Qualis erat: solos infecerat umbra jugales.
Ipse quidem tam clarus erat, quam fuerat vivens: equi autem ipsius inferorum fuerant obfuscati fuligine.

Quare imago Lucani (nam has thalamis applicabant, ut per eas concirent somnurnas illas) *incubat somno securæ Pollæ Argentariæ,* hoc est, non metuentis, ne apparitione alicujus diræ umbræ aut rupti corporis & venarum sectarum simulacro noctu exterreatur. Ita *non securi somni,* quos aut umbræ ingratæ, aut ingrata monentes reddunt

dunt infestos, Lucano lib. III. ubi Julia ad Pompejum:

Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos.

Vir doctissimus in Digressionibus cum *securos somnos* Juliæ defunctæ intelligit, non Pompeji, locum non inspexit: ut ipsum, qui descripsit ad Tertullianum de testimonio animæ. Similiter in illo Lucani lib. IV. connivit:

Hoc quoq; securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor.

non *pavor*. *Securi oneris* non sunt mortui, sed missionem adepti Petreji atque Afranii milites, non deducti coloni. Hoc ἰδὲ πάρεργον. Longe illa, quæ turbulentis insomniis quietem agitabant, a lectis amoliebantur. Tertullianus de resur. carnis: *gladium vero latrociniis ebrium, quis non a domo tota, nedum a cubiculo, nedum a capitis sui officio relegarit? Præsumens scilicet nihil aliud se quam inludia animarum somniaturum, urgentium atque inquietantium sanguinis sui concubinum.* Pollæ non istiusmodi metus, ne hæc imago tristia ipsi dormienti simulacra proponat: ideo vultus ille Lucani

Stratis prænitet, incubatque somno
Securæ. Procul hinc abite mortes:
Hac vitæ genialis est origo.

Ita præterea scribendum pro *hæc*. *Hac*, id est, per hunc vultum genialis vita conjuges iterum jungit. Elegans cumprimis usus particularum, *hac*, *qua*. Supra: *Qua surgunt animæ potentiores*. lib. XI. Thebaid.

Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax.

Ita

Ita Naso, Horatius, & quis non in optimis? Quæ autem claudunt hoc genethliacon, scribenda sunt, ut elegantissime Medicæus:

dolorque festus
Quicquid fleverit ante, nunc adoret.

Transsumpta sunt ex Lucano lib. VII.

Flere veta populos: lacrimas luctusque remitte:
Tam mala Pompeji quam prospera mundus adoret.

Elegantissime, inquam *festus dolor*: non secus ac si Adonia aut Hiacynthia agenda in natali Lucani diceret. Sic lib. VI. Thebaid.

Mox circum tristes servata Palæmonis aras
Nigra superstitio, quoties animosa resumit
Leucothoe gemitus, & amica ad litora festa
Tempestate venit.

CAP. XXIII.

Statii tribus locis lux affusa. Humeri gerentes. Humeris subigere. Claudianus illustratus. Hercules dolens exanimatos angues immissos ab noverca. Simplicitas infantium. Lucanus enarratus & a correctione defensus. Religionem secundis ventis prævertebant navigantes religiosi. Apulejus emendatus.

LIbro III. Silvarum, Hercule Surrentino:

Instratumq; humeris dimitte gerentibus hostem.

Et potest & debet ita legi, non *rigentibus*. *Gerentibus humeris* est non jam luctantibus, sed gestantibus modo & jam victoribus humeris. Ita de Erymanthio sue Libanius ἐκφερόμενος Ἡρακλέους βαστάζοντος

σάζοντος τὸν Ἐρυμάνθιον κάπρον. ἐπεὶ δὲ τῶν ὤμων ὁ κάπρος ἀνῃρημένος τέθεται, διήρτηται δ' οὐχ' ὡς ἔπεσεν· ἀλλ' ὥσπερ δεσμοῖς ταῖς Ἡρακλέους χερσὶν προσκατείληπται· καὶ φέρουσι κείμενον, αἳ μαχόμενον ἔκτειναν. Dimitte, inquit, hostem humeris, non quibus ille pugnans inhæret aut quibus tu adversus eum pugnas, sed qui instratum jam gerunt: quos vestit, non quibuscum luctatur. Virgilius: *Herculeoque humeros innexus amictu*. Latinus Pacatus Paneg. *capiti diadema decutitur, humeris vestis aufertur*. Quæ autem robore & viribus confiunt, *humeris* fieri, ut *manibus, lacertis, dextra*, dicuntur. Claudianus de bello Gildonico:

Ast ego, quæ terras humeris pontumq; subegi.

Non ex necessitate hic Rubenius & Gebhardus scribunt, *numeris*, Barthius *juvenis*. Respexit enim Claudianus trophæa Sesostris, de quibus Herodotus lib. II. ἑκατέρωθεν δὲ ἀνὴρ ἐγγέγλυπται, μέγαθος πέμπτης σπιθαμῆς, τῇ μὲν δεξιῇ χειρὶ ἔχων αἰχμὴν, τῇ δὲ ἀριστερῇ τόξον, καὶ τὴν ἄλλην σκευὴν ὡσαύτως· καὶ γὰρ Αἰγυπτίην καὶ Αἰθιοπίδα εἶχε. Ἐκ δὲ τοῦ ὤμου ἐς τὸν ἕτερον ὦμον διὰ τῶν στηθέων γράμματα ἱερὰ Αἰγύπτια διήκει ἐγκεκολαμμένα, λέγοντα τάδε· ΕΓΩ ΤΗΝΔΕ ΤΗΝ ΧΩΡΑΝ ΩΜΟΙΣΙ ΤΟΙΣΙ ΕΜΟΙΣΙ ΕΚΤΗΣΑΜΗΝ. Idem est ac si *lacertis* dixisset. Ut de bello Getico:

Creditur Herculeis lucem renovasse lacertis

Fœmina:

Eodem carmine:

cum prima noverca

Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.

Raptant hic se interpretes. F. Morellus hoc, *exanimata doleres*, nihil ἐμφατικώτερον esse notat ad magnitudinem animi pusionis Herculis expri-

exprimendam: quia Platoni ἡ πρᾳότης comes perpetua μεγαλοθυμίας. Non opportunam hanc obſervationem putat Gevartius, & ſimplicitatem Herculis infantis eleganter exprimi arbitratur. Optime. Omittamus nunc illa de draconibus infantum colluſoribus: quamquam ſciam illud Lucani: *donatis luſit ſerpentibus infans*; quæque Lucianus de Pellæis ſcribit. Nec profecto tales immiſit Herculi Juno, qui veneno carerent: nec Thebis forte ille luſus puerorum obtinebat. Omittamus prorſus ἀπροσδιόνυσον eſſe, hic allegare illum interfectorem Archemori; quem non pueri, ſed Nymphæ, Satyri, Fauni, ut famulum ſuum flebant. Sed nec advertant nos, quæ alius de puerorum ingenita in mortuas feras miſeratione fabulatur. Sed qui Statium intelligere vult,

τοὶ κἀκεῖνα ἐγὼ παραμυθησαίμην
Τῇ ἴμεν, ᾗ κεν δὴ σύ, Γεβάρτε, ἡγεμονεύῃς.

Veriſſimum eſt infantilem ſimplicitatem Herculis denotari, quaſi maluerit vivere venuſtas beſtiolas, quæ luſui ſibi eſſent: non quod ita in more poſitum eſſet, ſed quod ipſe puerilitter forma earum captus hoc optaret, ignarus veneni & ingenii ſerpentium, tum fraudis novercalis. Expreſſit hunc locum Sidonius epithalamio Polemii & Araneolæ, quod fugit interpretes:

Parvulus hic gemino cinctus ſerpente noverca
Inſcius arridet monſtris, ludumque putando
Inſidias, dum neſcit, amat, vultuque dolentis
Exſtingui deflet, quos ipſe interficit, angues.

Parrhaſius pinxit duos pueros, in quibus ſpe-

ctabatur securitas & ætatis simplicitas, teste Plinio. Nepos ejus lib. VI. epist. *Ipse est studiosus, literatus, disertus, puer simplicitate, comitate juvenis.* Et, ut res est, Poëtæ ætati teneræ ubique simplicitatem adjungunt. Naso de Proserpina:

Collecti flores tunicis cecidere remissis,
Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis:
Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.

De Parthenopæo noster:

(heu simplex ætas!) moriensq; jacentem
Flebat equum.

Lucanus lib. VII.

Te misto flessent luctu juvenesque senesque
Injussusque puer.

Puerorum ea incuria est, ut publicum luctum non capiant, neque lugeant, nisi imitatione & jussi. Ob crustula & conturnices mortuas vel ereptas & ludicra sua serio dolent. At in parentum funere ridere videas & tumultũ mirari & gaudere nonnumquam in veste pulla. Quare qui in judicium pueros adducebant, ut misericordiam advocatione & lacrimis innocentium annorum commoverent, jubere illis lacrimas solebant, & vellicatione, si nollent, fletum interdum exprimere. De quo lepida historiola apud Fabium. Glyconi puer quem in jus productũ, quid fleret, interrogabat, ex pædagogo se vellicari respondit. Quo artificio nunc quoque mendicæ fœminæ stipes corrogant. Declamator apud M. Senecam: *compone te in periclitantium habitum, profunde lacrimas, manus ad genua demitte, rea es.* Deinde pueri per se non flent, nisi veris

veris lacrimis, *quod amarissimum est*, ut Papinius in præf. hujus libri ait. Quis ergo non agnoscit hic sensus omnium fere Panegyricorum, teneros evicisse naturam suam; utque adventu Principis habeant sensum gaudii & exultationis publicæ, illius velut numine & genio excitatum; ita in casu tanti herois (cujus humeris nitebatur respublica; cujus virtutem narrabant filiolis matres; quem digito prætereuntem ostendere solebant, & adjicere illud Demostheni gratum: οὗτός ἐστι· cujus extra urbem

ignoto præclarum nomine vultum
Rustica sordenti genitrix ostendit alumno.)

veris & suis, hoc est, *injussis* lacrimis flere? Longe ergo infra Lucani sententiam conjectura illustris viri: *Investisque*: quæ præter verbum elegans nihil habet grati. Seneca de Brev. vitæ: *ad alienum comedunt appetitum: amare & odisse, res omnium liberrimas, jubentur.* Hercule Surrentino:

Da templum dignasque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint transire secundis.

scilicet religione prohibiti. Etenim & *religiosis viantium moris est, cum aliquis lucus aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, sertum apponere, paulisper assidere*, verbis Apuleji. Ubi *sertum* scribendū esse me docuit Cl. Salmasius. Mssc. habent partim *portum*, partim *servum*. Unde nulla temeritas facere *sertum*. Et sic jubent sequentia: *Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit aut ara floribus redimita aut spelunca frondibus inumbrata.* Patet has in itinere occurrentes esse ex illis *locis sanctis*, quæ viatorem advertūt &

 sub-

subsistere cogunt. Ubi enim conspicit aram aliquam floribus coronatam, religione & ipse motus, serta in eandem congerit. Idem in lucis aut arboribus sacris faciebant. Unde apud Ovidium: *pendentia vidi Serta super ramos.* Sed de toto hoc loco alias latius. neq; enim illa vox modo, quam nunc correximus, ὕπνλ@. Statius sua expressit ex Virgilio lib. III. Æneid.

Hic tibi, ne qua moræ fuerint dispendia tanti,
Quamvis increpitent socii & vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus explere secundos,
Quin adeas vatem precibusque oracula poscas.

CAP. XXIII.

Statius bis correctus, semel illustratus. Gravari assueta tecta. Fortia sacra, sæva, feralia sacra. Lucanus luce adspersus. Fortia lamenta. Vventes scopuli. Βρέχει. *Vvidus hiberna de glande Menalcas. Virgilius illustratus, & defensus. Silius Italicus bis emaculatus. Vvens, fumans, flagrans ruina. Vventia ora Annæ Sidonidis. Petronius emendatus. Vventes oculi.*

HErcule Surrentino:

Forte diem Triviæ dum litore ducimus udo,
Augustasque fores assuetaque tecta gravamur,
Frondibus & patula defendimus arbore soles.

Ita verat conjectura maximi Salmasii, quam nos ambabus ulnis amplectimur. Dum, inquit, diem festum Dianæ in udo litore ducimus & augustas Pollii fores tectaq; assueta gravamur, solis autem frondibus vel arborum opacitate solem arcemus. *Tecta gravantur*, quibus grave est

est tectis succedere. Suetonius Augusto: *ampla & operosa pratoria gravabatur.* Seneca ep. XXIV. *illi contemnunt vitam: hi gravantur.* M. Seneca contr. IX. *Si illi te fratrem gravabuntur, libentissime recipiam.* Seneca Thyeste: *Iam tuum mœstæ pedem Terræ gravantur.* Ut optime MS. Lipsii. Ita Græcis τὸν βαρύνεσθαι. Vetus Epigramma: Μὴ Ζεὺς ἀλγήσῃ τοῦ βαρυνόμενος. Rursum Hercule Surrentino:

Iam placidæ dant signa tubæ: jam fortibus ardens
Fumat arena sacris: hos nec Pisæus honores
Iupiter aut Cyrrhæ pater aspernetur opacæ.

Vir summus I. Lipsius & hunc secuti Bernartius & Cruceus emendant *sortibus:* quia in certaminibus (ajunt) sors usurpata: vel, quia fesso gladiatori aut victo alius atq; alius sorte sufficiebātur, qui cum victore certarent. Quod perquam frigidum hic & ineptum. Nihil enim hi ludi cum gladiatoriorum munerū moribus habent commune, Gymnici quippe, & ubi *insontes juvenum iræ:* neque satis bene illæ sortes *sacra* dicerentur. Non meliore judicio Demsterus ad lib. v. Rosini hinc probat ludos Circenses tuba commissos. Sed elegantissime Statius *fortia sacra* dixit certamina hæc palæstrica, quæ in honorem Herculis exercebantur: quod nomen dari potest omnibus virilibus ludis, ut decursibus equestribus &c. Contra *mollia sacra* sunt thiasi, epulæ, ludi florales, pergivilia Veneris. Et sic *crudelia sacra*, quæ fiebant Dianæ Tauricæ, Latiari Iovi, Cælesti Carthaginensi. Lucanus in Massiliensium luco: *structæque sacris feralibus aræ.* Sic & appellat idem, quæ aris umbrarum magicis inibantur:

ille supernis
Detestanda deis sævorum arcana magorum
Noverat, & tristes sacris feralibus aras,
Umbrarum Ditisque fidem.

Recte *Noverat*. Sequitur enim: *miseroque liquebat Scire parum Superos.* Valerius Flaccus: *Omnibus in Superos sævus honor.* Ita *sævas aras* Busiridis (ut *sævum sacrum* Busiridis Claudianus 1. in Eutrop.) in Hercule Vindicis: ubi ipsum *fortem* Deum & *fortissimum Divum* appellat, cujus merito *sacra fortia.* Hæc sacra sunt palæstræ. Quæ etiam *fortes.* Manilius:

Perque coloratas subtilis Græcia gentes
Gymnasium præfert vultu fortesque palæstras.

Diotimus in epigrammatibus Græcis:

Τὰν ἥβαν ἐς ἄεθλα πάλας ἤσκησε κραταιᾶς
Ἅδε Ποσειδῶνος καὶ Διὸς ἁ γενεά.

Hercule Furente:

Non Argiva membra palæstra
Flectere docti, fortes cestu,
Fortesque manu.

Ita *fortia lamenta* vocat Statius afflictiones corporis in luctu, ut cum plangitur pectus, secantur genæ, crines rumpuntur. In Epicedio in Glauciam: *tu planctus lamentaque fortia mavis.* Nec diverse *virilia scelera* crudelitatem & cædes dixit Tacitus, lib. 1. Histor. Hercule Surrentino:

Ipsæ pumiceis virides Nereides antris
Exsiliunt ultro & scopulis humentibus hærent.

MS. Senensis: *virentibus.* MS. Flor. Ro. Venetusque Cod. *viventibus.* Scio alibi *vivum saxum* dici. Sed nullum dubium est, quin scripserit

Papi-

Papinius: *ſcopulis uventibus hæret*. id eſt, βρεχομένοις. Ut *uvidus adſpergine multa deſilientis ex alto aquæ lacus* Ovidio lib. IV. Faſtor. & *uvidum Tibur* Horatio, quod, ut ipſe alibi ait, *aquæ præfluunt*. Eidemque *uvidi & modicis uveſcentes poculis*, qui Plauto *vino irrigati*. Nam & βρέχειν dixerunt veteres Græci pro πιεῖν, quod obſervavit Athenæus. Antiphanes: δεῖ γὰρ φάγοντας δαψιλῶς βρέχειν. Eubulus: ἐγὼ βεβρεγμένος ἥκω καὶ κεκωθωνισμένος. Alexis: Θασίοις καὶ Λεσβίοις οἰναρίοις τὸ ἡμέρας τὸ λοιπὸν ὑποβρέχει μέρος. Non diverſo modo Virgilius:

Vvidus hiberna venit de glande Menalcas.

Ubi βαλανηφαγεῖν merētur interpretes, qui βαλανηφάγον faciunt bonū Menalcum, & deinde caprarium, quaſi capræ ament querceta (ita enim loquuntur) arrodere. At Virgilius ab eo ruſtico officio recentem Menalcam facit, quod ipſe ſub hiemem præſtari præcipit lib. I. Georgic.

Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur.

Sed tamen & quernas glandes tum ſtringere tempus.

Plinius lib. XVIII. *Higinus ſuadet cerasa circa brumam ſeri. Bubus glandem tunc adſpergi convenit*. Vide Meurſium ad Truculentum Plauti. Nec igitur hæc glandis mentio arguit ſubulcum fuiſſe Menalcam: nec in præcedenti verſu mutandum τὸ *ſubulci*. Fruſtra etiam eſt Barthius lib. XVIII. adverſ. c. X. cum vindicaturus ab hoc ſtupore Servium, pro *pinguis* reponit *ninguidus*. Adverſatur manifeſte obſervatiuncula ejuſdem falſa, quando *uvidum* ait eſſe de humore, qui intrinſecus eſt, intelligendum. Sic *veſtimenta uvida* & *veſtes uveſcētes* Lucretio. Sed primū illud *uvens* verbum amatum illi ævo, ſed ubique fere

sciolorum morositate & audacia corruptum. Silius lib. III. Pun.

haurit hiatu
Nix resoluta viros, altoque a culmine praeceps
Vventi turmas operit delapsa ruina.

Hæc vera lectio est. Vulgo: *Viventes*. At Fr. Modius in MS. Colon. legi notaverat *Vmenti*. Ubi cum errasset typographi manus scripto, *Omenti*, vir optime de Silio meritus iniquorum cavillos pertulit. Sed memb. Oxonienses & Parisiensis vetusta editio cum notis Marsi, *viventi*, habent. *Vvens ruina*, ut *flagrans ruina* lib. I.

Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis,
Arma virosque simul pressit flagrante ruina.

Fumans ruina Statio Epicedio Pileti:
si vel fumante ruina
Ructassent dites Vesuvina incendia Locros.

Ardentes ruinæ Floro lib. I. c. XVIII. Ita Silius rursum lib. VIII. Pun.

Dixit & in nubes uventia sustulit ora.

Vulgo, *evanida*. Sed memb. Oxonienses, editio Romana quam primam fuisse reor & Parisiensis, *viventia*, repræsentant. *Vventia* ideo, quia inter cæruleas sorores Anna Sidonis. Lib. IV.

Cum Iuno in stagni numen conversa propinqui,
Et madidæ frontis crines circumdata fronde
Populea.

Ea vox aliquoties a C. Barthio plurimæ lectionis magnique ingenii viro ἀξιόχως Silio restituta est. Remansit autem lib. VII.

Vventi ferrum admovit tepefacta palato.

Sic legendum est apud Petronium: *Subsliti tristis, coepique*

cœpique uventibus oculis maris fidem inspicere. Quod manifesto ingerunt illa : *adhuc tanquam ignotum deflebam.* *Uventium* hoc oculorum est : non *vividorum*, non *niventium*, non *diligentium*, *liventium*, *nictantium*, & quæcunque homines ociosi pro *viventibus* finxere. Remotior vox prurire fecit librarios. Catullus : *Uvidulam a fletu.* Silius :

Vos quoque, quorum oculos atque ora uventia vidi.

Cap. XXIV.

Statius bis eleganter & vere correctus. Nodare, nodus. Palæstritarum ritus implicandi corpora lacertis, brachiis, digitis. Lucanus defensus. Etiam crura manibus interdum petebant palæstritæ. Lucanus rursum defensus. Alligare. Colla ferarum ligare. Claudianus explicatus. Libanius illustratus. Pulvis Antæi. Martiali lux. Lucanus denuo defensus & leviter correctus. Castigare. Castigatum ceroma. Martialis tribus locis dilucidatus. Incastraturæ. Ancones. Anconiscus. Glossæ Isidori bis emendatæ. Statius alibi correctus. Arta cutis. Perdere oleum. Palæstra non est septum aprorum. Palæstritæ olivo ungebant corpora. Horatius, Petronius defensi. Mos palæstræ. Legitimum oleum. Palæstritarum corpora speciosa, fortia, succiplena. Succus palæstricus. Apulejo lux. Gladiatorum tori sagina acquisiti. Cypriano facula accenditur. Statuariorum ars in succo corporis vivi repræsentando. Vivus liquor. Martialis luce perfusus. Arnobius & Papinius alibi clarati. Fœmineus liquor. Natantia membra.

HErcule Surrentino :

seu nubila disco

Findere, seu volucres zephyros prævertere telo,
Seu tibi dulce manu Libycas nudare palæstras.

Audivi quidem paullo ante *nudas palæstras, nudosque virorum Certatus*: & quis nescit ritum ex ipso Gymnadis & Gymnasii nomine noscendum? Sed quorsum hæc odiosa repetitio? Adeone indigens verborum Statius, ut implere versum non potuerit, nisi idem ter diceret? Dein quare *nudare manu?* Certum quidem, non arbitrarium est, relictum a Poëta: *manu Libycas nodare palæstras. Nodare* & *nodus* propria verba luctæ. Virgilius:

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos & siccum sanguine guttur.

Lucanus lib. IV.

Herculeosque novo laxavit corpore nodos.

Iul. Scaliger lib. VI. Poët. c. VI. eam fabulam Herculis & Antæi stilo, ut putat, Lucani conscribit, retentis, quæ proba & illum, ubi excusari potest, decentia crederet. Ubi meo quidem judicio pessime istum versum expunxit: mirorque, cur sive *Herculei nodi*, sive *novum corpus* ei displicuerint, cum utrumque sit elegantissimum. Et sunt plura ibidem, in quibus Lucanum superare conatus turpiter defecit. Quale illud, quod arguit, Antæi crura ab Hercule *manu* percussa dici. hoc qui potest, inquit? quare nos *genu*, non *manu* posuimus ibi. At non meminerat Statium eodem prorsus modo scripsisse:

Instat agens Tydeus ictumque in colla minatus
Crura subit.

Item: *vitantia crura lacessit.* *Crura* enim illis popli-

poplites designant; neque volunt aliud, quam quod Homerus ιλ. ψ.

κὰψ ὄπιθεν κώληπα τυχών.

Fatendum est de incomparabilis viri censionibus, eum nimia sui fiducia non raro se deserere. Quodque ipse alibi de Statio nostro, potuisset sæpe major esse antiquis, nisi major esse nimium voluisset. *Nodi* apud Statium lib. VI. Thebaid.

quamquam ipse videri
Exiguus, gravia ossa tamen, nodisque lacerti
Difficiles.

Aurelius Victor: *cum tamen alvi dolorem caussaretur, autore medico, principe factionis in palæstram perrexit: ibi per ministrum ungendi (nam forte is quoque e consilio erat) faucibus quasi arte exercitii brachiorum nodo validius pressis expiravit.* Ita in Achilleide:

Iam procul Oebalios in nubila condere discos,
Et liquidam nodare palen, & spargere cestus.

Ubi simili errore vulgo, *nudare*. Inepte, cum & disco & cestu æque nudati essent. At Statius cuique generi suum verbum munusque daturus, discum dicit *condi in nubila*, palem *nodari*, cestus hinc inde impingi, id est, *spargi*. Eadem ex re *catenatas palæstras* dixit Epiced. in Glauciam: *catenatis curvatus membra palæstris*. Et sensu contrario in epulo Domitiani *resolutum gymnade*:

sic lubrica ponit
Membra Therapnæa resolutus gymnade Pollux.

Etenim & *nexus* & *vincula* & *implicare* & *ligare* in eadem re dicunt. Glossæ: *Nexum* ἅμμα, ἐπὶ πάλης δεσμός. Plutarchus in Alcibiade: ἐν μὲν γὰρ τῷ παλαίειν πιεζούμενος, ὑπὲρ τοῦ μὴ πεσεῖν ἀναγαγών

χαλῶν πρὸς τὸ στόμα τὰ ἄμματα τοῦ πιεζοῦντος, οἷον ἦν διαφαγεῖν τὰς χεῖρας. Συμπλοκὴ apud Philostratum lib. 11. icon. Arrhichionis. Quem ritum etiam Homerus allusit ιλ. ψ.

Ἀγκὰς δ' ἀλλήλων λαβέτην χερσὶ στιβαροῖσιν.

Fabius lib. 11. instit. *Non si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo atque in his certos aliquos docebit, sed omnia, quæ sunt ejus certaminis*. Statius:

Interdumque diu pendent per mutua fulti
Brachia, nunc sævi digitorum vincula fallunt.

Iterum:

Nec mora, cum vinclis onerique elapsus iniquo
Circuit errantem, & tergo necopinus inhæret.
Mox latus & firmo celer implicat ilia nexu.
Poplitibus genua inde premens evadere nodos
Nequicquam & lateri dextram insertare parantem &c.

Et Lucanus:

Conseruere manus & multo brachia nexu.

Atque idem rursus:

jam terga viri cedentia victor
Alligat, & medium compressis ilibus arctat.

Ubi rursum Scaliger omittit τὸ *alligat*, & supponit suum *duplicat*. Quod egregium sane forteque probarem, nisi gloria esset pinguium Cordubensium poëtarum idem toties dicere. Hic dicendum quid sit apud Claudianum in Panegyrico Manlii Theodori:

Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent.

De quo Julius Bulengerus in de Venatione Circi: magna dubitatio est, quid sit *colla ferarum ligare*, nisi forte jugari ad jugum a mansuetariis acci-

accipias, aut injectu sagi capite obvoluto mitescere, & vincula pati. Hæc irridet Marcilius, & si Claudianum roges, scripsisse ita ut plebecula nunc habet, negaturum vaticinatur: sed, *qui colla ferarum Arte legant*. id est, ictui destinent, lectisque certo nisu imprimant venabula, ad librum spectaculorum Martialis ep. XXVII. Sed *arte ligent*, est arte luctandi nexu stringant, nodent colla, & domitas ita feras compressasque cultro venatorio conficiant; ut sequitur, *certoq; premant venabula nisu*. Statius Thebaid. lib. XII. de Theseo:

> *seque ipsum monstrosi ambagibus antri*
> *Hispida torquentem luctantis colla juvenci*
> *Alternasque manus circum & nodosa ligantem*
> *Brachia.*

Utitur Claudianus eo loquendi genere de bestiariis, quo Poëtę de heroibus, qui cum belluis luctati sunt. De Hercule & Leone Nemeæo:

> *Grandia corripiens eliso guttura morsu.*

Quin etiam erant bestiarum genera, quæ injectis circa caput cervicesque vestibus conficerentur, aut laqueis colla implicati ad terram deducerentur & sic venabula exciperent. Hoc est *arte colla ligare*. Ovidius de Venere & Marte: *illi jacuere ligati Turpiter*. Apparet autem *nodum* & *nexum* brachiorum, lacertorum, manus, digitorum esse, ut *supplantatio* pedis. Atque adeo etsi non dubitandum esse de emendatione nostra res ipsa edoceat: tamen præcipue evincunt duo verba LIBYCAS & MANU. Hoc quidem, quia manus proprie nodis & nexui adhibita; istud autem, quandoquidem ita vinctum exaltatumque Antæum elisit Hercules, ut apud Lucanum

Lucanum & Statium narratur. Libanus ἐκφρά-σει· Ἡρακλέους καὶ Ἀνταίου· τὼ δὲ χεῖρε περὶ τὸν Ἀνταῖον ἔχει συμπλέξας καὶ πιέζει λαβὼν καὶ καταβάλλειν ἀπειλεῖ πρὸς τὴν φύσασαν. Ubi inſigniter errat interpres, qui illa πιέζει λαβὼν reddidit, *arreptas comprimit:* quaſi de manibus Antæi, non de toto ipſo loqueretur Libanius, & non tum ad hæc, tum ad ea, quæ ſequuntur, ſubaudiendum eſſet vel τὸν αὐτὸν vel τὸν Ἀνταῖον. Immo manus Antæi non conſtrictas, ſed liberas fuiſſe ipſe autor teſtatur infra: τοῖν δὲ δὴ χεροῖν ἡ μὲν δεξιὰ λύειν πειρᾶται τὴν τοῦ Ἡρακλέους δεσμῶν πληγὴν &c. Sed & *nodatam* Libycam illam palæſtram eleganter oſtendit nummus antiquus:



Philoſtratus in Iconibus: συνείληφε τὸν Ἀνταῖον μέσον, ἄνω κενεῶνος, ἔνθα αἱ πλευραί· καὶ κατὰ τοῦ μηροῦ ὀρθῶς ἀναθέμενος, ἔτι τε καὶ τὼ χεῖρε ξυμβαλὼν λαγαρῷ καὶ ἀσθμαθέσῃ τῇ γαστρὶ ὑποσχὼν τὴν πῆχυν ἐκ-

ἐκθλίβει τὸ πνεῦμα. Hinc palæstra *Libyca* dicitur, simplici epitheto. Quod ut acumen inde epigrammatis captet, negat Diotimus:

Ανταίου τὸ πάλαισμα, πρέπει δ' Ηρακλέα νικᾶν
Τὸν Διός. Αργείων ἁ πάλα, οὐ Λιβύων.

Sed eadem (sumitur enim interdum pro Gymnasio) *Antæi pulvis* Martiali lib. XIV. *Harpasta:*

Hæc rapit Antæi velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Falsus est Turnebus, qui vel *draucum Antæi* (ut & Domitius, sed alio sensu) vel *colla Antæi* jungit lib. IX. advers. c. XXIII. Falluntur etiam, qui *labore Antæi* construunt. Etenim & Herculis Antæique lucta in arena. Propertius: *& luctantum in pulvere signa Herculis Antæique.* Lucanus:

Ille, parum fidens pedibus contingere matrem
Auxilium membris calidas infudit arenas.

Quæ verba cũ maximus vir ad Suetonii Octavium cotrahit, ut ad remedium volutationis in arena calida respexisse Poëtam scribat, ut minimum dicamus, a memoria sua, non inspecto autore, deceptus est. Ne per somnium id in mente Lucano fuit, cum ista meditaretur. Sed utrumque palæstræ ritum, Ceromatis puta & Haphes, luctationi huic additurus, & veluti dedicaturus, alterum Herculi, alterum Antæo tribuit, fictione eleganti, quasi Antæus non contentus spe dejiciendi se in Tellurem matrem ad vires recipiendas membris quoque spargere eam ex usu putaverit. *Calidas* autem, quia Libycas. Irridet hoc quoque Scaliger, quasi eventurum inde fuisset, ut nunquam vinceretur, quippe qui terram semper tetigisset.

Arguta-

Argutatur etiam & totam fabulam reprehendit: quod si Antæus in lucta terram pedibus contigerit, fuerit autem invictus, quam diu parentem tangeret, quomodo dejici vel tolli potuerit. Atqui isto Lucanus indicat, frustra ipsum & præsago velut metu sparsione subsidium quæsivisse. cadendum enim erat in terram. Nam ne statum quidem sufficisse dixerat jam ante:

Auxilioque diu virtus non usa cadendi
Terræ spernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat.

Ecce *cadendi auxilium* est, non standi aut statu tangendi. Quod enim dicit, *parum fidens pedibus contingere matrem*, non eo spectat, quasi in statu ipsi esset fiducia, sed quod stans facile cadere posset. Infra quoque *auxilium tactæ parentis*, intelligendum sc. casu. Nam sequitur mox: *standum est tibi, dixit, & ultra*
Non credere solo, sternique vetabere terræ.
Ita enim MSC. non *terra*. Vides quam apte omnia sibi respondeant. Ex eo ipso, quod stans tolli aut dejici potuit, argumentari debuerat censor maximus, statu solo aut tactu invictum non fuisse. Quamquam si nos quoque acuti esse vellemus, diceremus aliud esse vinci, aliud tolli aut dejici. Luctantes enim sæpe pendebant per mutua fulti brachia, verbis Statii: nec dum tamen transactum erat, aut ille, qui pendebat, hoc est, sublatus fuerat, victus. Tolli ergo Antæus poterat, & tum nondum erat victus, sed poterat facilius vinci, quod cadendi copia erepta ei esset. Sed non opus est hac sollicitudine.

Libycam palæstram dicit Martialis, quæ cum Antæo exercita; vel *ceroma palæstræ Libycæ:*

Et castigatum Libycæ ceroma palæstra.

Ubi plane non assequuntur mentem poëtæ, qui *castigatum ceroma* palæstræ, interpretantur insolentiam Antæi Libyci in provocandis hospitibus ab Hercule castigatam morte. *Castigatum ceroma* est destrictum qui enim luctabantur, stringebant invicem. Manilius: *in varias destringunt membra palæstras.* In epigrammate de rusticatione: *mollique palæstra Stringo libens.* Frustra dubitat Ramiresius, utrum stringo lucta corpus, an stringo palæstræ pulvere intellexerit. Ita stringendo *castigabant ceroma*, id est, destringebant. Eo Virgilius exerceri palæstras dicit, *oleo labente*, hoc est, *castigato ceromate.* Silius lib. XIII.

Insula fluctisono circumvallata profundo
Castigatur aquis.

hoc est, perstringitur, præcingitur, succingitur. Hoc enim proprie est *castigare*, stringere, vincire: non loro cædere aut cesto, ut putat vir summus ad Persium; sed loro cingere. Verum est *castigare* ἀπὸ τοῦ καστοῦ, quomodo Dores dicebant pro κεστοῦ, ut ὄκα, πόκα, τζάζω, appellatum. Vel ut ἀπὸ τοῦ βρέχειν *bractea*, a κέστρου *Incastratura.* Glossæ Isidori: *Ancones, incantatores vel vicini.* Valde errat vir doctus, qui emendat, *Angones, incantatores vel Cigeuni:* vel *Encores, habitatores, vel vicini.* Scribendum enim: *Ancones, incastraturæ uncini.* Quæ glossa integra est apud Papiam. Iterum Glossæ Isidori: *Anconiscus, incastrare.* Ubi Suartius legit, *Ancon, scius incastrare.* Sed legendum: *Anconiscus, incastratura.* Sic etiam apud Papiam corrigendum, ubi legitur *Antroniscus.* Glossa desumpta

ex Exodi cap. XXVI. *δύο ἀγκωνίσκους τῷ στύλῳ τῷ ἑνὶ ἀντιπίπτοντας ἕτερον τῷ ἑτέρῳ.* Versio vetus: *duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur.* Papias: *Incastraturæ, compaginationes tabularum.* Eucherius de expositione diversarum rerum: *Anconiscos, incastraturas: aspidiscos, uncinos.* Sic à *κεστὸς castigare.* Sed ut prior usus lori ad cingendum natura, quam ad cædendum; ita notio quoque illa, qua *castigare* est ligare, quam qua punire loris. Statius: *nodis castigata jubarum Libertas.* Eidemque: *riget arta cutis, durisque laborum Castigata toris.* Ita enim scribendum ex MSSC. & vett. ed. non *atra.* Pro quo Tacitus *strictos artus* dixit. Quod Martialis *castigare ceroma* dixit, id alibi appellavit *ceroma terere: Seu lentum ceroma teris.* Et *perdere oleum* lib. III.

Nec perdit oleum lubricus palæstrita.

Non possumus hic, ut lux fiat ingeniosissimo poëtę, dimittere sine nota interpretes. Quorum vulgus cum Domitio explicat, *non perdit oleum,* id est, aliquid utile, & frugiferum agit, ut putēt alludi ad parœmiam, *oleum & operam perdere.* Nec acriculus Ramiresius hic nasum habuit, cum scribit, in hac villa amplissimam illam familiam, quæ necessaria ad eam colendam erat, & palæstram habuisse & palæstritam: eum vero non, ut in publicis palæstris, totum diem occupatum fuisse in eo ministerio; sed ne ociosus langueret, iisdem exercitationibus, quibus caupo, detineri solitum, hoc est, ut ante explicuit, aucupio, piscatu & venatu. Sane palæstras in villis lautiorum fuisse notum est: notum quoque eosdem magnos palæstritarum greges

in

in famulitio habuisse. Quos utique intelligit Martialis hoc libro, cum ait:

At ipse retro flexus ad pedum turbam
Partitur apri glandulas palæstritis.

Cave *palæstritis* aliter, quam τοῖς παλαιστρίταις intelligas. Non magis *palæstritis* pro *palæstritæ*, ut *Orestis*, *Euripidis* accipiendum, quam audiendi maximi viri, qui *palæstritæ* correxerunt. Nempe *aprum palæstritam* dici ajunt a *palæstra*, quæ significet locum, ubi apri inclusi erant. Quod miror quomodo iis in mentem venire potuerit. Varronis verba sunt: *Nam quem fundum in Tusculano emit hic Varro a M. Puppio Pisone, vidisti ad buccinam inflatam certo tempore apros & capreas convenire ad pabulum: cum e superiore loco e palæstra apris offunderetur glans, capreis vicia aut quid aliud.* Atqui non dicitur hic in palæstra servatos clusosq; apros; ne quidẽ, fuisse in palęstra: quod tamen si legeremus, nondum certũ esset palæstram esse locũ, ubi apri stabulantur. *E palæstra* audio *glandes apris, capreis viciã offusam.* Ergo si valet observatio illorum, uno in septo apri custodiuntur & capreæ: & ratio danda, quare palæstra magis aprorum sit, quam caprearum capsum, quum utriusque generis hic fiat mentio. Ergo, si *e cenaculo* dixisset, aut *granario*, aut alio quocumque membro domus, exspecto ut summi viri cenaculum aut granarium locum esse dicerent, ubi custodiuntur apri. Sed ajunt, quid opus converti ad pedum turbam, ut palæstritis, non autem ipsi ad pedes turbæ, glandulas partiretur? Immo vero opus erat converti ad pedum turbam, ut palæstritis divideret glandulas, quia inter pedum turbam & palæstritæ. Non alii pa-

 læstritæ

læſtritæ quam pedum turba, niſi quod hæc appellatio latior, & tum illos, tũ alia ſervulorum genera comprehendit. Non igitur ignoratos Latio *apros palæſtritas* inferamus Martiali: ſed agnoſcamus pueros palæſtritas: quibus glandulas diviſit ipſe dominus, non in contemtum convivarum, ut vult Ramireſius; ſed quod gratiſſimi eſſent & plerique dominorum deliciæ, (qualis Glaucia Melioris) & eorum præſertim, qui in ceromate totos dies ipſorum rixantium ſpectatores ſedebant. Illud autem prorſus ineptum de uno palæſtrita villæ Fauſtini ejuſque & cauponis exercitationibus. Verba ſunt:

Non ſegnis albo pallet ocio copo;
Nec perdit oleum lubricus palæſtrita:
Sed tendit avidis rete ſubdolum turdis, &c.

In quibus non, plures cauponis & palæſtritæ procurationes eſſe, ait Martialis: ſed negat prorſus ullum cauponem aut palæſtritam in hac villa, in qua omnia frugalia & ad uſum cõpoſita, ali. Non, inquit, ex ſervis aliquis, quales erant caupones & palæſtritæ in villis, caupo eſt, marcetque ocio, aut palæſtrita, & oleo abutitur, oleum perdit: ſed unuſquiſque aut turdis tendit rete, aut piſcem ducit, aut damam venatur, &c. Seu ille, qui in aliis villis copo aut palæſtrita eſt, cujus numerum facit, cujus locum ſortitur copo aut palæſtrita, hic utili alicui operi dicatus eſt. Marcet ocioſuſque eſt copo in medio opere ſuo, ſeu cum tabernam ſuam curat. *Perdunt oleum* palæſtritæ, quod perit, & in terram deſtrictum labitur: perdunt oleum, cum opus faciunt. Notiſſimus mos palæſtritarum oleo, & poſtea ceromate, corpora inungendi.

gendi. Unde *unctas*, *nitidas*, *liquidas* (quod Lucano, Statio Claudianoque uſurpatum, cur ut ambitioſe dictum traducat Scaliger, cauſſam nullus video) *palæſtras* vocant. Cujus Mercurium autorem ſtatuunt, quem *inventorem olei palæſtrici* vocat Cicero in Verrinis. Theagenem nominat Heliodorus γυμνασίων ἀνέρα, καὶ ἀλοιφῆς ἐκ νέων ἀσκητὴν, τὴν τε ἐναγώνιον Ἑρμοῦ τέχνην ἀκριβωκότα. Horatius:

Mercuri facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus & decora
More palæſtræ.

Optime, *more palæſtræ*, nec fruſtra eodem modo locuti Lucanus & Statius. Ille quidem:

perfudit membra liquore
Hoſpes, Olympiacæ ſervato more palæſtræ.

Ille vero:

pinguique cutem fuſcatur olivo:
Hoc Idas, hoc more Dymas aliique nitescunt.

Mira conniventia docti viri, qui in Lucano & Horatio *morem palæſtræ* de pulveris inſperſione accipit lib. LVII. adv. c. XVI. Hinc apparet, quam eleganter apud Petronium dictum ſit, quod hactenus nemini, quantum ego ſcio, interpretum viſum; *Intraverunt palæſtricæ quamplures, & nos legitimo perfuſos oleo refecerunt. Legitimo oleo* eſt ex lege & more palæſtræ. At illi *lecythino* aut *lentiſcino* correxerunt. Ita hoc verbo utitur Cicero ad Trebatium: *In omnibus meis epiſtolis, quas ad Cæſarem aut Balbum mitto, legitima quædam eſt acceſſio commendationis tuæ.* hoc eſt, ſolennis, velut ex lege aut more.

Mercurius *formavit feros cultus hominum more decora palæstra*, id est, more & ratione eleganti addita, quæ prius ignorabatur, palæstram decoram reddidit: vel potius, cum insulsę pugnę inconditæque luctæ essent, invento traditoque illis decorę palęstrę ordinata ratione (ut totum inventum palæstræ Mercurio asscribat, quod Diodorus Siculus, Philostratus & alii interdum faciunt, æque ut Herculi) feros hominum cultus expolivit. Cęterum ipsa unctio quantum nitorem decusque palęstrę conciliaverit, vel ex proverbiali illo apud Ciceronem, qui nitidum quoddam genus verborum lętumque *palæstra & olei plenum* appellat, manifestum est. Paullo aliter, doctissime tamen, nec ut nostra potiora habeam, illustrat Horatii locum P. Faber lib. I. Agonist. c. XVI. Quę qui noverit, faxo ne posthac quicquam mutandum censeat. Non assentiri possum eruditissimis & magnis viris, qui ex unctura olei, quod cutis cum sole velut imbiberit, explicant Apulejum in Apologia: *En vides, quā facies ejus decora & succi palæstrici plena sit, quam hilaris Dei vultus.* Apulejus expressit Terentianum illud: *corpus solidum & succiplenum.* Id ut augeret, non cōtentus est simplicem succū posuisse in Mercuriolo illo, quo bene cōpacta corpora pollent; sed talem, qualis palæstritarum: quorum solidissima & sanissima corpora, & pulchra ut plurimum exercitatione erant. Diodorus Siculus in Ægyptiorum indigitamētis de Mercurio: καὶ παλαίστρας εὐρυθμίας καὶ τῆς περὶ τὸ σῶμα πρεπούσης πλάσεως ἐπιμεληθῆναι. Elegans locus Polybii apud Fabrum, τοῦ ἐν θαυμασίοις in eruditissimo illo opere Agonisticorum,

ubi

ubi & pleraq; notavit ad nexus, quos diximus, pertinentia. Quintilianus: *Statuarum artifices pictoresque clarissimi, cum corpora quam speciosissima fingendo pingendove efficere cuperent, nunquam in hunc inciderunt errorem, ut Bagoam aut Megabyzū aliquem in exemplum operis sumerent sibi: sed Doryphorum illum, aptum vel militiæ vel palæstræ aliorumque juvenum bellicosorum & athletarum corpora, quæ esse decora existimaverunt.* Philostratus de vita Apollonii Thyanensis: γνώμης δὲ ἱκανῶς ἔχων, καὶ τὸ σῶμα δὲ κατεσκευασμένος· ἐῴκει οὖν ἀθλητῇ καλῷ καὶ ἐλευθερίῳ τὸ εἶδος. Hinc illud apud Plautum, *athletice & pancratice valere.* Erat enim in Rhetris Lycurgi constitutum, ut decimo quoq; die ephebórum corpora ab Ephoris inspicerentur. Quę si pulchra, fortia, habilia, εὔχροα, εὔσαρκα καὶ εὔρωστα, ut Xenophontis; εὐπαγῆ, ἐῤῥωμένα, καὶ ἐκ τῶν γυμνασίων οἱονεὶ διαγλυφθέντα, ut Æliani verba sunt, essent, laudabantur: sin, verberabantur & multabantur. Eandem ob caussam in gladiatoribus apud Romanos sagina ab lanistis instituta, ut corpora pinguia nitidaque, lati humeri, cervix ampla, tori celsi, firmata latera ostenderentur: quamquam ad sanitatem decoremque palęstritarum non accederent. M. Seneca in controvers. *quod juvenum miserorum simplicitatem circumveniunt, & speciosissimum quemque maxime idoneum castris in ludum conjiciunt.* Quare *cibis in succum fortioribus* alebātur, ut apposite Cyprianus in Epist. ad Donatum: *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet: impletur in succum cibis fortioribus corpus & arvina toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat.* Ubi impliciti sunt editores. Eras-

mus, *arvina nitoris assidui* contra MSC. legit. Pamelius *Arvinæ toris* idem esse dicit, quod *cibis fortioribus* ante. *Tori* enim pulpa carnis musculosa, ut sunt partes membrorum nervosæ callosæque. Male. Ita autem construendum, *&* *membrorum moles robusta toris arvina pinguescit*, id est, ad toros arvinæ, ut *tori* & *arvina* sint corporis gladiatorum, non cibi. Seneca: *cum tibi feliciter sagina cesserit & tori creverint*. Statius epicedio in Piletum: *Ac primum implevitque toros.* Nec placet, quod *insuccum corpus* legunt summi viri, quasi ἔγχυλον. Igitur crassa quidem eorum corpora erant nitidaque & spaciosa, sed nequaquam sana, fortia, durabilia: quibus nec opus habebant, qui ferro plerumque aut mortem aut desidiosam vitam a valitudine imminentem occupabant. Quatenus conveniunt, his præstabat sagina, quod palæstritis exercitatio: non cibus, qui parcus erat apud Spartanos, ne corpus gravaretur, & ut tolerare penuriam consuescerent. Etenim Lycurgus, καὶ ὑγιεινοτέρως ἂν διάγειν, καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι, τὴν ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιοῦσαν τροφὴν μᾶλλον συλλαμβάνειν ἡγήσατο, ἢ τὴν διαπλατύνουσαν τῷ σίτῳ, ut testatur Xenophon de republ. Lacedæmon. Non ignoro tamen xerophagian athletarum. Ergo corpus tam sani coloris, succi, sanguinis, quam palæstritarum sunt, dicitur *corpus plenum succi palæstrici*. Illum succum ut exprimeret & imitaretur statuarius in opere, præcipuæ erat artis. Quam jactat nō tam artificis laudandi, quam sui defendendi caussa Apulejus in hoc signo. Quod cum præsidem palæstræ exhiberet, non debuit minus pulchrum,

minus

minus ſucciplenum corpus oſtendere, quam ipſorum erant palęſtritarum. Apollonius apud Philoſtratum: *εἰπέ μοι, μειράκιον, μὴ γλαυκὸν εἶναι ἡγεῖταί σε ὁ βασιλεὺς, καίτοι μελανόφθαλμον, ὡς ὁρῶ; ἢ στρεβλὸν τὴν ῥῖνα, καίτοι τετραγώνως ἔχοντα, καθάπερ τῶν Ἑρμῶν οἱ γεγυμνασμένοι.* Gonſalius vertit: *artificioſe fabricata Mercuriorum ſimulacra*. Debuerat, *Mercurii palæſtrici*: aut, *Mercuriorum corpora palæſtra caſtigata*. Et rurſum Philoſtratus in *ἡρωικ. γυμνοῦ δὲ ἐντυχεῖν ἥδιστον· εὐπαγὴς γὰρ καὶ κοῦφος, ὥσπερ οἱ δρομικοὶ τῶν Ἑρμῶν.* Ex iſto Apuleji loco clara lux affulget Martialis verſui:

Condida non tacita reſpondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore liquor.

Vivus liquor, eſt ſuccus ille & ſanguis faciei, qui ſplendet e viventi, viva veraq; facie: ille fulget in hac ſtatua: loqui putes & vivo ſucco os accendi. Quem ſuaviſſime deſcribit Statius in Achilleide: *niveo natat ignis in ore Purpureus*. Quem quia nimium in vetuſtionibus ſtatuis minuerat & paullum detraxerat Lyſippus, *corpora graciliora ſiccioraque* feciſſe dicitur Plino. Cui ab una parte opponitur habitus hominum aridorum, macilentorum, *male vivorum*, ut appellabant veteres; qui *corpora habent ſicciora cornu*, verbo Catulli; quibus *avida cutis ſiccis hæret oſſibus*, Egeſippi: ab altera corpora laxa, *fæmineo liquore diffluentia*, ut ait Arnobius. Apud quem male emendant; ſed pejus *fæmineum liquorem* interpretatur vinum vir nobiliſſimus lib. LVIII. ad. c. xv. Calliſtratus in ſtatua

 Dio-

Dionysi: οὕτω μὲν ἁπαλῶς, ὡς πρὸς σάρκα μεταρρυθμίζεσθαι τὸν χαλκόν. οὕτω δὲ ὑγρὸν καὶ κεχαλασμένον ἔχων τὸ σῶμα, ὡς ἐξ ἑτέρας ὕλης, ἀλλὰ μὴ χαλκοῦ πεφυκός. ἀψαμένῳ δέ σοι, πρὸς τὴν ἀκμὴν ὑπεξίστατο (sc. ὁ χαλκὸς) καὶ ὄντως μὲν ὁ χαλκὸς ἦν στεγνὸς, ὑπὸ δὲ τῆς τέχνης μαλαττόμενος εἰς σάρκα ἀπεδίδρασκε τῆς χειρὸς τὴν αἴσθησιν. Quale idem facit in ære τὸ Ἔρωτος ἄγαλμα: εἶδες ἂν τὸν χαλκὸν θρυπτόμενον, καὶ εἰς εὐσαρκίαν ἀμηχανῶς χλιδῶντα. Antipater in epigrammatibus Græcis de puella Antiodemide:

Ὑαλίνης φορέουσα βραχίονας, ἣ μόνη ὀστοῦν
Οὐ λάχεν' ἦν γὰρ ὅλη τοῖσι ταλάροισι γάλα.

Diodorus Siculus de Hermaphrodito lib. IV. καὶ τὴν μὲν εὐπρέπειαν καὶ μαλακότητα τοῦ σώματος ἔχειν γυναικὶ παρεμφερῆ. Quę ὑγρότερα ὑποδύσεως καὶ ὑπαναφυομένης διὰ τὴν ῥαθυμίαν πιμελῆς, ut Ælianus. Quorum

Luxuriant artus, effusaque sanguine laxo
Membra natant.

verbo Papinii, quod male P. Faber de unctione explicat, ceu membra oleo sive ceromate madida intelligerentur, lib. II. ag. c. V. Item *corpora valitudine inflata*, quę vocat Fabius. Ad. Turnebus *liquorem* interpretabatur fœmineam mollitiem & teneritudinem. Quod qui magis probabit, a nobis non dissentiet. quemadmodum enim modicus succus virile, ita laxior & fusior muliebre secus decet, ut ostendimus, qui in forti virilique vitium est: & de Julia est Martialis epigramma. Sed errant, qui simpliciter splendorem resultantem ex statua Juliæ per τὸ *liquor* accipiunt: magis etiam illi, qui verissimam & pulcherrimam lectionem, reti-

nentes

nentes τὸ *decor*, quod a sciolis insertum est, spreverunt.

CAP. XXVI.

Statius quater emaculatus, illustratus. Augustinus correctus. Abire pro ambire positum vitio librariorum. Æsculapii ambitio. Epigramma Meleagri editum. Annus Pharius, pinguis sine imbribus. Valerius Flaccus, Statius Thebaïde emendati. Tepida Pharus. Fertiles anni, hora. Tibullo lux. Gravis, gravida navis. Petronius defensus. Molybdis explorans alta. Lucilius emendatus. Inde. Tacitus correctus. Monere, monitus. Mœstitia præsaga, Lacrima præsaga. Iuvenalis luce perfusus. Vt & Tibullus.

HErcule Surrentino:

Indulge sacris, & si tibi poma supersunt
Hesperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ:
Nam capit & tantum non dedignatur honorem.

Facile fuit videre ineptias hujus sermonis. Scilicet cujus maritus tanta cum religione Herculi fanum erexerat & ludos instituerat, ea *non dedignatur*, non pro vili habet, & ceu se minorem repudiat honorem pomorum ab Hercule Deo offerendorum. Immo *capit* & *cupit* dicendum erat. Domitius explicat, *non dedignatur*, id est, non est indigna. Quo sensu de *dignandi* verbum nusquam legisse memini. Politianus jam olim legendum esse monuit: *non degeneravit honorem*. Procul dubio ex MS. Codice. unde illud quoque pulcherrimum:

Tu quoque muta feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
Terga premas.

Pro

καίτοι καὶ τούτοις ἡμέας οἴομαι χρὴ δοκεῖν κατ' αὐτὸ τὸ λαβεῖν αὐτοὺς τοὺς θεούς· ἀλλὰ τοῦτο μεῖζόν ἐστιν, ὅτι ἀπ' αὐτῆς τῆς Ἐπιδαύρου δεῦρο ὁρμισθεὶς ὁ θεὸς ἐράσθη δὴ μάλιστα, ὡς δῆλόν ἐστιν, ὅτι ἑλόμενός τι αὐτοῦ ἐγκαθήμενος τὸ λοιπὸν καὶ προκρίνας τῶν ἄλλων. Propemptico Metii Celeris: *atque animæ partem super æquora nostræ Majorem transferre parat*. Videtur ob oculos habuisse epigr. Meleagri Gadarensis, quod quia hactenus ἀνέκδοτον est, asscribemus:

> Ουριος ἐμπνεύσας ναύταις νότος, ὦ δυσέρωτες,
> Ημισυ μεῦ ψυχᾶς ἅρπασεν Ανδράγαθον.
> Τρὶς μάκαρες νᾶες, τρὶς δ' ὄλβια κύματα πόντου,
> Τετράκι δ' εὐδαίμων παιδοφορῶν ἄνεμος.
> Εἴθ' εἴην δελφὶς, ἵν' ἐμοῖς βαστακτὸς ἐν ὤμοις
> Πορθμευθεὶς ἐσίδη τὴν γλυκύπαιδα Ῥόδον.

Sequitur mox: *antennæ gemino consistite cornu Oebalii fratres*. MS. Flor. *considite*. Sic Seneca lib. 1. Nat. Quęstionum: *In magna tempestate apparent, quasi stellæ velo insidentes. Adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine*. Plinius lib. II. c. XXXVII. de iisdem: *sedem ex sede mutantes*. Ubi tamen & *insistere* eos dicit. Eodem poëmate:

> *modo nam trans æquora terris*
> *Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum.*

Gravem dicit *ratem*, quæ Pharia messe onerata erat. Ut Petronius: *gravidis freta pulsa carinis Iam peragrabantur*. Frustra alii *Grajis* suppofuere. Dein docent hęc verba recte scribi apud Valerium Flaccum:

> *Arsinoen illi tepidæque requirunt*
> *Ocia læta Phari pinguemque sine imbribus annum.*

id est, fœcundam messem. Nugantur, qui

amnem malunt. Vulgo etiam pessime editur a Carrione *trepidæ*. Horat. *Memphin carentem Sithonia nive.* Latinus Pacatus: *illos tepens Pharus & mollis Canopus, leviumque populorum altor Nilus emiserat.* *Pinguis annus*, ut alibi eadem in re *pinguia arva*. Lucanus de tellure infæcunda: *immotis annum non sentit arenis.* Ita *magnum annum, quem Libye tulit*, pro annona. idem dixit. Ejusque imitatione Papinius: *magnumque inducat messibus annum.* Rursus Lucanus:

curvoque soli cessantis aratro
Agricolæ raptis annum flevere juvencis.

id est, spes suas & messem interceptas. Hanc enim ut plurima alia ad vitam tuendam & humanas necessitates tempus annuis vicibus nunc parcius, nunc liberalius producit & maturat: Athenæus lib. v. in descriptione pompæ Ptolemæi Philadelphi: μέσου δὲ τούτων ἐβάδιζεν ἀνὴρ μείζων τετράπηχυς ἐν τραγικῇ διαθέσει καὶ προσώπῳ, φέρων χρυσοῦν Ἀμαλθείας κέρας. ὃς προσηγορεύετο ἐνιαυτός. Quare merito *fertilem annum* dixit Tibullus ad Messalam, qui omnia fert ista: *oriente die duce fertilis anni*. Et *horas fertiles* ibidem. Ubi fallitur doctissimus vir, qui magno conatu *vertilis* vocē illi ævo prorsus non cognitam substituit. Quasi non eodem carmine *fœcundos annos* dixisset Tibullus:

Centum fœcundos Titan renovaverit annos.

Claudianus quoque *annum Pharium* dixit, & eadem figura, quadrigas Solis *vere coronatas*. Et *australem annum* lib. I. in Eutrop.

Australem Eois pensasset frugibus annum.

Neque

Neque sane ad messes producendas opus est, ut amnes accipiant imbres, & imbribus pingues fiant, sed annus, hoc est, illa anni tempora, quibus Nilus superfusus agros fœcundat. Ille annus, quem alibi terrarum imbres fertilem faciunt, cum pater Æther in lætæ conjugis gremium descendit, in Ægypto pinguis est *sine imbribus*. Eodem modo legendum lib. IX. Thebaidos ex MSSC.

At pater arcano residens Ismenos in antro
Vnde auræ nubesque bibunt, atque imbrifer arcus
Pascitur, & Tyrios melior reddit annus in agros.

id est, fertilitas, annona, messis. Vulgo: *amnis*. Vel hæc condocefaciunt vehementer abuti ingenio suo disertissimum virum, qui in Genialium Sermonum libro secutus impetum Græculi (quorum etsi doctissimorum hominum in Romanarum vocum etymis nugas nemo est, qui nescit) *annonam* a Nonis dictam censentis, & febriculosum Isidori commentum, *annonam* dici putat tamquam *ad nonam*, quę cænę hora, paratam. Est enim proprie *annona* unius anni fructus, ut *pomona* proventus pomorum, (quod recte vidit vir incomparabilis ad Solinum) sed κατ' ἐξοχὴν de frugibus accipitur: ut isti, quos allegavimus, *annum* ipsum accepere, a quo sine dubio vocabulum *annonæ* descendit. Iterum Propemptico Metii:

Sint, quibus exploret rupes gravis arte molorchus.

Hunc locum plane desperaram. Sed opportune nos sublevavit Varro ille & Eratosthenes seculi nostri Claudius Salmasius, cujus verba ex epistola ipsius hic repræsentabo. In Propemptico Mettii Celeris versus est, de quo quæris, gravis-

graviſſima menda inquinatus, & quam vix ullo quantumvis ſagacis ingenii lomento elui poſſe exiſtimo. Senſum tamen hunc videre videor. Cum pleraque miniſteria nautica enumeraverit, nunc puto voluiſſe exprimere hujus officium, qui altitudinē maris explorat. Quod inter præcipua & magis neceſſaria munia nautarum numerandum eſt. Βολὶς Græcis vocatur, qua id faciunt, linea nempe, cui plumbum in extremitate adfixum. Gręci hoc inſtrumentum καταπειρατηρίαν vocant aut καταπειρατῆρα, Herodotus καταπειρατηρίαν. De quo hoc verſu Statii intelligendum conjicio:

Sint, quibus exploret rupes gravis arte molorchus.

Nunquam enim viris doctis aſſenſum commodare potui, qui *Molochum* urinatorem ſibi hic imaginati ſunt. Dictio *rupes* mihi ſemper ſuſpecta fuit. nec enim rupes explorantur, ſed fundus maris & ipſius altitudo. At cum ſubſunt rupes, magno in periculo eſt navis & ſerum eſt explorare tunc, quanta ſit maris altitudo. Bene igitur mones in Florentino legi *primo* pro *rupes*. Vocabant olim hoc inſtrumentum mari explorando μολυβδίδα, quia plumbum habebat aſſutum in extremo. Sic igitur emendamus:

Sint, quibus exploret plumbo gravis alta molubdis.

Sint, quibus molybdis plumbo gravis exploret alta, id eſt, profunda maris. *Arta* pro *alta* deinde *arte* correctum eſt. Sic & *plumo* ab initio ſcriptum fuerit pro *plumbo*, quod in *primo* per correctores degeneravit. Sic in vet. Gloſſis πλεῦμος pro πλεῦμβος. *Moluptis* autem pro *molybdis* videtur olim ſcriptum fuiſſe, quod facile fuit in *molorchus*

mutari-

mutari. Nam *P* & *R* invicem mutantur in libris & *T* & *C*, ut *D* & *T*. Lucillius voce Græca usus fuit in exprimendo hoc explorandi maris instrumento, quod & Latine interpretatur his versibus, qui vulgo apud Isidorum valde contaminati circumferuntur:

Et catapirateras eodem deferat, uncum
Plumbi pauxillum rodus linique metaxam.

pauxillum plumbi rodus uncum cũ lini linea, cui adsutum est, catapirater est. Sic ille; quę nemini non prę aliorum interpretum commẽtis placere possint. Nisi quod *primo*, ut in MS. Codice est, malim mutari in *lino:* quo scilicet molybdis in mare demittitur. Nam cum *I* & *N* in *M* coaluissent, hoc modo: *lmo* ineptus librarius τὸ *l* pro nota vel compendio Latini numeri accepit, & *primo* reddidit. Profecto veritatem habemus & scripserat Statius:

Sint, quibus exploret lino gravis alta molybdis.

Hoc carmine:

Audimur: vocat ipse ratem nautasque morantes
Increpat: ecce meum timido jam frigore pectus
Labitur, & nequeo, quamvis movet ominis horror,
Claudere suspensos oculorum in margine fletus.

MS. Senensis, Ro. & Venetus Codex: *Increpat. inde meum.* Eodemque alludit Flor. qui *unde*. Probo sane. Perquã elegans usus particulæ pro nunc vero, ab hoc momento, enimvero jam. Sic Tacitus in vita Agricolæ: *Nos integri & indomiti & libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu inde ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Vulgo: *unde.* Lipsius: *prima statim congressione.* Pichena: *congressu non ostendemus.* Virdungus: *congressu mundo ostendamus.* Scaliger &

Rutgersius, *vivide. Primo congreßu inde* locutio vocibus brevis, sensu copiosa, pro a primo congressu incipientes cōtinenter postea ostendamus. Ita *hinc* apud Valerium Flaccum:

At memor Æsonides nimium jam vera locuti
Phineos, hinc alios rapto pavet Idmone luctus.

Dein scribendum: *quamvis monet ominis horror. Monere, monitus* propria verba de auguriis, oraculis, prodigiis, ominibus, somniis. Silius: *huic superos sentire monentes Ars fuit.* Lucanus: *monitus volitantis in aëre pennæ.* Valerius Flaccus: *monitu prænoscere divum Omina.* Hic tamen paullo aliter metu se ominis moneri ait, ut fletu abstineat. Infra de usu hujus verbi latius. Lacrimæ autem inter discedentes ominosæ, & ubique si exciderent invitis & fundere nolentibus. Virgilius lib. XII.

ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere.

Apud Silium Hannibal ad uxorem:

Ominibus parce & lacrimis, fidissima conjux.

Seneca in Thyeste: *Quid flere jubes Nulla surgens dolor ex causa?* Qui plerumque ante rem mentem occupat & est quasi divinatio animi præsagientis. Unde clarus evadet Juvenalis locus, ad quem ingeniosi homines jamdudum ferrum & ignem expediunt, cum omnia sana sint:

Nimirum summi ducis est occidere Galbam
Et curare cutem summi constantia civis,
Et pressum in faciem digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœsta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.

Mœsta, hoc est, præsaga mali futuri. Desumptum

ptum ex Virgilio lib. VIII. Æneidos, ubi in Æneæ clipeo

Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jamdudum immittere funes.
Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis & Iapyge ferri.

Non compsit se & exornavit isto modo Cleopatra, nec mœsta licet ante pugnam & præsaga pallensque futuro periculo genas fuco & tectoriis correxit, ut constare suis & fiduciam habere videretur. lib. IV. de Didone:

maculisque trementeis
Interfusa genas & pallida morte futura.

Livius lib. XXV. *Ad Romanos quidem nondum fama tantæ cladis pervenerat, sed tamen mœstum quoddam silentium erat, & tacita divinatio, qualis jam præsagientibus animis imminentis mali solet esse.* Lucanus:

multorum pallor in ore
Mortis venturæ est, facieque simillima fato.

Statius: *jam certa malorum Mentis ab augurio.* De lacrimis Claudianus de raptu:

Heu quoties præsaga mali violavit oborto
Rore genas? quoties oculos ad tecta retorsit?

Qui bis præterea in eodem opere ad hanc superstitionem alludit. Hinc intelligitur Tibullus:

Cuncta dabant reditum: tamen est deterrita numquã,
Quin fleret nostras respiceretque vias.

Neque *deterrita* est terrore levata, ut accipit H. Stephanus: neque simplex sensus est: quamquam addiceretur cunctis ominibus reditus meus, tamen non potuit discessui meo non illacrimare, ut Gebhardus. Sed hoc vult; tamẽ non potuit se metu mali ominis continere, ut non

fleret & sæpe respiceret. Nam utrumque ominis minus secundi. Itaque vereri & hac cura moneri debuisset, ne tot bonis signis mala scæva interveniret, lætisque triste quidpiam misceret. Sic enim loquuntur interdum superstitione devincti, ut omen caussam, nō indicium, rei per se futuræ credere videantur.

CAP. XXVII.

Statius tribus locis illustratus, bis emendatus. Animantia, pro terrestribus animalibus. Anima. Spiritus. Persius illustratus. Inclusi numeros. Hiantes pro respirantes. Strangulare divitias. Plauto lux. Comere pro ornare. Comere divitias, arma, genas, cingula, ripas, convivia. Comptissima divitiæ. Cicero correctus.

PRopemptico Metii Celeris:

Quis rude & abscissum miseris animantibus æquor
Fecit iter? solidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus pelagoque immisit hiantes?

Omnes autores & præsertim poëtæ domesticas phrases habent, quę non cuivis prima lectione, ut canes ad Nilum, vaganti se produnt; sed occultatę & velut alto in recessu conditę accurate inspicientibus, & ut Arbiter ait, oculos ad arcessendos sensus longius mittentibus eruuntur. Sed P. Papinium hoc jure suo uti sæpe isto cumprimis loco dixisse opportunū fuit. Quem cum omnes eruditi ceu facilem & promptum transmiserint, & bene cepisse sibi visi sint, parum abest, quin jurem nemini intellectum

fuisse,

fuiſſe. An enim adeo vulgare eſt, ut notatu dignum non eſſet, *animantia* poni pro terreſtribus tantum animalibus? Quo privilegio hoc illa nomen præ aquatilibus merentur? Deinde *hiantes* cum Domitio interpretari cupidos & avaros ęque languidum ac flacceſcens, quam *animantes* explicare mortales. Primum ergo *animantia* proprie dicuntur, quę ſpiratu utuntur. Spiritus enim quicunque fere *anima* dicitur: ut ventorum *animæ Thraciæ* Horatio: *& liquida anima canens Phrygius cornus* Varroni; & *fœtet anima uxoris*, Comico: & *ſuavis anima fæcis Falernæ Phædro*; & *ſpiritus quem Græci Latinique eodem nomine aëra appellant*, Plinio; denique *pulmo animæ prælargus*, Perſio Sat. I.

Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.

Ubi errat ὁ τρισμέγιστος Caſaubonus, cum notat *incluſi* dicere Poëtam, quia ſecreto & libero loco ab arbitris opus ſit ſcribentibus, & propria laus eruditorum, quæ matronarũ τὸ οὐ φιλέξοδον. Orta conniventia a diſtinctione, quę talis eſſe debet:

Scribimus incluſi numeros ille, hic pede liber
Grande aliquid,

Incluſi numeros ſcribimus, eſt poëtamur, verſibus ſcribimus *grande aliquid*. Ovidius lib. IV. de Ponto: *numeris nectere verba*. Horatius: *Concludere verſum*. Seneca ep. XXXIII. *Facilius ſingula inſidunt circumſcripta & carminis modo incluſa*. Statius ecloga ad Marcellum: *incluſa modis verba*. Epicedio in Patrem: *ſive orſa libebat Aoniis vincire modis*. *Incluſi* reſpondet τῷ *ſcribimus*, non τῷ *ille*, quia ſe una ibidem poëta trahit: quaſi dictum

 eſſet:

esset: scribimus inclusi ego & ille, hic pede liber: aut scribendum *illi*. In ista explicatione tantum pede liber grande aliquid scribere dicitur, non vero Poëta, qui numeros, contra Persii mentem: quæ, ipso Casaubono interprete, est notare Poëtarum ac Oratorum vitium, qui cum grandia & sublimia scribere affectarent, tumida inflataque ederent. Nugantur & σολοικίζουσι, qui nescio quos *scribas numerorum* & *pede liberos* duplex Poëtarum genus faciunt. Piget hæc referre. Sed Cornutus mentem Persii vidit, cujus hoc scholion: *Aut ordo est verborum, cum ad canitiem venerimus, tunc scribimus inclusi; aut ad poëticam artem retulit, quod ait, inclusi, ac si dicat, ab omni cura remoti: aut certe inclusi, metri lege coartati.* Hoc obiter. Certum est, etiam inter illos, qui piscibus respirationem assignant, pauca aquatilia pulmonem habere. Aristoteli utique lib. II. Histor. animal. c. XV. & ipsi Plinio lib. IX. c. XXXVI. Si carent pulmone, etiam vera & proprie dicta respiratione: cujus ille officina est, attrahens ac reddens animam, idcirco spongiosus ac fistulis inanibus cavus. Uti autem alia organa habent, quæ huic muneri destinata a natura videntur, suntque loco pulmonis: ita & respiratio illorum analogica magis & ad similitudinem quam vera. *Animantia* ergo spirantia, quæ spirando se animant: quia sola spirantia hoc significatu animam habent & instrumentum animę pulmonem. Spirantia ergo terræ & aëris animalia: quæ duo elementa propria sunt eorum, quæ terra carere non possunt, ut nitantur, nec aëre, ut se animent, respirent, animam adducant reddantque. Ideo κατ'

ἐξοχὴν

ἐξοχὴν *animantia*, quæ alias ſpirantia, ſeu ſupra terram nitentia: quoniam horum nulla ſunt, quæ *anima*, hoc eſt, ſpiritu carent. Neq; enim ignorabat doctiſſimus ſcriptor Ariſtotelem lib. III. de gener. Animal. c. x. τῶν ζώων pro elementorum ratione tria facere genera, quorum terræ velut incolæ plantæ ſint, aquę τὰ ἔνυδρα; aëris τὰ πεζά, ut loquitur, quo nomine continentur, quæ ſupra terram moventur. Quorum ex omni numero his proprie reſpiratio competit, atque proinde *anima*, ſeu ſpiritus, & hinc ducta *animantium* appellatio. Ne recenſeam ſacerdotum Ægyptiorum opinionem, exiſtimantium τὴν θάλατταν οὐδὲ μέρος οὐδὲ στοιχεῖον, ἀλλὰ ἀλλοῖον περίττωμα διεφθορὸς καὶ νοσῶδες, teſte Plutarcho in lib. de Iſide & Oſiride. Ergo *abſciſum æquor animantibus* eſt pręcluſum & prohibitum τοῖς πεζοῖς: vel ſi mavis *abſciſſum æquor factum iter animantibus*, eſt, iis, quos terra & aëre provida natura contentos eſſe voluerat, nec conceſſerat ſub aquis durare poſſe, *ſolidæ telluris alumnos*, ut mox loquitur. *Abſciſum* deſumptum ab Horatio, cujus eſt:

Nequiquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates transſiliunt vada.

Ubi notandum, verbum *diſſociabile* eodem poſitum modo, quo Tacito, quum ait, *Principatum ac libertatem res diſſociabiles. Animatu carere*, pro reſpiratione dixit Plinius lib. XI. c. III. Lucanus:

Prima fretum ſcindens Pegaſæo litore pinus
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

Seneca lib. I. Nat. Q. *Quid est autem, quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes.* Florus de Pompejo victos piratas agris quasi obligante: *& usum maris navibus recuperavit, & terræ homines suos reddidit.* Eadem ratione, *pelagoque immisit hiantes*, est respirantes. Antecedens positum pro consequenti. Est enim *hiare* proprie recludere os ad respirandum: neque sine hiatu, qui vel fit ore, vel est in naribus, attrahitur aut emittitur spiritus. Unde Chamæleon hianti semper est ore: quia *solus animalium nec cibo, nec potu alitur; nec alio quam aëris alimento*, ut Plinius ait. Quem idcirco *oscitantem vesci* dicit Tertullianus; plane ut Statius *hiantes*, pro spirantem, aërem ducentem. *Hiare* autem pro oscitari vel pandiculari Silius de Campanis: *hiantem Desidia populum.* Ut Aristophanes ἱππεῦσι· κἂν τιν' αὐτῶν γνῷς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα. Cicero lib. III. in Verrem: *Huic homini si cujus domus patet, utrum ea patere, an hiare ac poscere aliquid videtur?* Belle ad institutum, illudit enim in ambitionem largitionesque Verris, qui omnium, præcipue nobilium, favorem pecunia, quam e provincialibus male conciliaverat, coemebat. Hinc demum liquida evadet vera ratio illius locutionis, *strangulare divitias*, in Surrentino Pollii:

Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias.

Quemadmodum enim *hiare*, quod generice est hiatum facere, aperire, strictius viam & iter spiratui præparare, denique pro ipso

actu ſpirandi & reſpirandi ponitur: ita *ſtrangulare*, quod anguſtiſſime eſt ſuffocare, fauces præcludere & ſpirationem inhibere; late hiatum claudere, nec locum exeundi dare, quomodo ſemina frugifera a cacto, lolio & ejuſmodi *ſtrangulari* dicuntur; denique media notione eſt artiſſime claudere, nec tantum concedere fiſſuræ, per quod ſpiritus res tenuiſſima meare poſſit. Lepide de avaro jocatur Comicus:

Quin quum it dormitum, follem obſtringit ob gulam.
C. *Cur?* S. *ne quid animæ forte amittat dormiens.*

Quo in loco miror, viros doctos genuinum ſenſum autoris non pervidiſſe. Nam ut omittam illos, qui *follem* pro ſuſcitabulo ignium, *gulam* pro fiſtula follis accipiebant, nec increpem doctiſſimum virum, qui *tolem*, id eſt, tonſillas, pro *follem* ſubſtituebat; qui multum videre viſus eſt, I. Duſa, gulam obſtringi ab Euclione notat, quod per eam ſibi imprudenti (id quod per ſomnum evenire ſolet) animæ ſpiratui exitum aut effugium eſſe nullus velit callidus: metuens videlicet, ne de ea ipſa inter dormiendum deperdat quidpiam. Hoc profecto certare eſt, utri magis non riſum commoveant, ſed ridiculi ſint, ſervus & cocus Comici, an interpretes. Euclio quoties cubitum ibat, ſacculum nummarium, ſeu cruminam vel follem non in ſcrinio aliquo ſecludebat, metu furum, ſed collo ſuo adnectebat adſtringebatve, ne detrahi poſſet, quin excitaretur, & grande illud depoſitum ſervaret. Hoc dicit intelligitque ſervus, cum infit:

Quin quum it dormitum, follem obstringit ob gulam. Cum non satis perciperet Congrio, quid significaretur, & rogaret, *cur?* illudens stupori ejus Strobilus respondet περὶ προσδοκίαν, *ne quid animæ forte amittat dormiens*: ita se tantum non strangulat, ne plus animæ amittat, quam respiratu retrahere possit. Quæ mera vernilitas est. Quare non accuratus vir doctus, cum τῷ *strangulare divitias* opponit τὸ *fœnerari*: quasi *strangulata pecunia* dicatur, quia infœcunda sit, suffocata, ita ut novam pecuniam generare non possit. Ita Polla, quę pecuniam non strangulat, fuerit fœneratrix. Sed accuratus Papinius, qui ei opponit *censum expositum*; quia tam arcte septæ & inclusæ (hoc est, *strangulata*, ut *claudere rem familiarem* dicit Cicero lib. II. de Offic. *nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus.* quod prorsus idem cum illo est, nisi quod Statius audaciore figura usus) usus publicus ad humanam societatem ereptus, nec idoneis hominibus indigentibus se impertit, & velut aëre ac luce, qua nihil communius natura prodidit, exulat, nigrantibus abdita antris perpetuisq; tenebris damnata. Ut cōtra *expositus census* apertus est, unde benefit indigētibus, ad lucē admotus, & liberrimo velut aëre utens. Philostrat. lib. v. Apollonium ita inducit Vespasiano monitorē: Πλοῦτον ἡγοῦ, μὴ τὸν ἀπόθετον. τί γὰρ ἂν βελτίων οὗτος τοῦ ὁπόθεν δὴ ξυνενεχθείσης ψάμμου; πλοῦτον δ᾽ ἂν ἄριστα βασιλέων χρῷο, τοῖς μὲν δεομένοις ἐπαρκῶν, τοῖς δὲ πολλὰ κεκτημένοις παρέχων ἀσφαλῆ τὸν πλοῦτον. Lucianus Timone: ἄλλοτε δὲ τοὐναντίον ἠγανάκτεις κατὰ τῶν πλουσίων κατακεκλεῖσθαι, λέγων πρὸς αὐτῶν ὑπὸ

μοχλοῖς καὶ κλεισὶ καὶ σημείων ἐπιβολαῖς, ὡς μηδὲ παρακύψαι σοι εἰς τὸ φῶς δυνατὸν εἶναι. Quę contumelia Pluti eſt dehoneſtatioque divitiarum: quas ille demum exornat, qui in publicum, in ſe, in bonos viros indigentes diligenter ac moderate largus eſt. Rurſum Lucianus: τοὺς δὲ αὖ κατακέκλεισον ἐν θυρέαις καὶ σκότῳ φυλάττοντας, ὅπως αὐτοῖς παχύτερος γενοίμην καὶ πιμελὴς καὶ ὑπέρογκος, ἐπιμελουμένους, οὔτε προσαπτομένους αὐτοὺς, οὔτε εἰς τὸ φῶς προσάγοντας, ὡς μὴ δ' ὀφθείην πρός τινος, ἀνοήτους ἐνόμιζον εἶναι καὶ ὑβριστάς. Et Herodes Atticus, ut in ejus vita Philoſtratus, τὸν πλοῦτον ἀσύμβολον καὶ φειδοῖ κεκολασμένον ἐκάλει νεκρὸν πλοῦτον. Ex quibus apparet veram ſcripturam Statii in arbore Atedii eſſe, quam ſervarunt Ro. Venetaque editio & MSC. Senenſis:

Idem auri facilis contemptor & optimus idem
Comere divitias, opibuſque immittere lucem.

Non *condere*, quod ineptiſſime inſeritur. Animus Atedio magnus & contemptor divitiarũ, ſplendentiſque luti: ſed idem ornare ſcit divitias vero honore, lucem immittere opibus, & imbre largior *innumeras hominum ditare catervas.* *Comere* generaliter Statio pro ornare. Ut *comere arma* lib. XI. Thebaid. *& lucida comunt Arma manu.* *Comere genas,* epithal. Stellæ & Violantillæ, & epicedio in Glauciam. Fabius *comere corpora* dixit: *ſed eadem ſi quis vulſa atque fucata muliebriter comat.* *Vngues incomptos* Cicero in fragmentis Academicorum. Auſonius in Moſella: *alternas comunt pretoria ripas.* Et alibi:

Come ſerenatam duplici diademate frontem.

Claudianus in VI. Conſ. Honorii: *veſteſque & cingula comit Sæpe manu.* Sidonius in Burgo Pontii Leon-

Leontii: *resultāti non comet malleus ictu Saxa*. Idem verbum restituendum in Vindicis Herculo epitrapezio:

Nec post Sidonii letum ducis are potita
Egregio plebeja domus: convivia Sullæ
Ornabat.

Romana editio: *Cænabat*. MS C. Senensis: *Cænebat*. Unde scribendum quemadmodum & Scaligeri manus ad oram libri conjecerat: *convivia Sullæ Comebat*. *Ornabat* glossa est, ab Aldo profecta: cujus editiones ut sæpe integerrimę sunt; ita sæpe fons corruptionum. *Incompti epularum apparatus* apud Tacitum de moribus Germanorum. Ita quoque *comere divitias*: qui honor illis minime contingit, cum sepositas infelix arca strangulat & æternum conclusas tenet. *Strangulatum* enim arte clausum, cui usus communissimi, & quo minime omnium anima, τὸ ἐσπῶδες animantium, & in quo vita habitat, quę in illis rebus usus est, & accommodatio ad id, cui eas ars aut natura servire voluit, ex universitate mundi carere potest, aëris præcisus est. *Comptissimæ divitiæ* pro splendidissimis, nitidissimis apud Ciceronem in Paradoxis, quamvis ex alia caussa: *Contentum vero suis rebus esse maximæ sunt comptissimæque divitiæ*. Ita legimus ex optimo & emendatissimo codice MS. Caroli Langii. Vulgo, *certissimæ*.

CAP.

CAP. XXVIII.

Statius illustratus. Stagnare. Silius & Columella explicati. Stagnantes ripæ. Stagnata ripa Nili. Nilus limum advehens. Trogus Pompejus eleganter illustratus. Impensa. Manilii locus difficilis correctus & illustratus. Ægyptus Nili donum. Eruere rura. Cicero & Tacitus, uterq; bis, defensi & illustrati. Ellipsis genus. Plinius defensus. Rostrum, lingua.

STatius Propemptico Metii Celeris:

Cur vada desidant & ripa coerceat undas
Cecropio stagnata luto?

Stagnata ripa, inquit Beroaldus, est munita nidis hirundineis: Gevartius, quia Nili aqua ea continetur nec effluere potest. Ita & Silius lib. x. *stagnantes ripas* dixit. C. Barthius: *stagnata* est inundata, stagno Nili pulsa, lib. XXI. adverſ. c. VII. Errant. *Stagnans aqua* proprie est, quæ non liquide manat, sed stat, paludosa, multo limo crassa & turbida. Seneca lib. III. nat. q. c. III. *in devexo fluit, in plano continetur & stagnat.* Deinde *stagnare* dicitur, si, verbis Maronis,

amnis abundans
Exit & obducto late tenet omnia limo.

Quare paludibus assignatum id verbũ. Livius: *cingunt paludes inexsuperabilis altitudinis æstate & hieme, quas restagnantes faciunt lacus.* Ovidius:

Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hument.

Columella lib. x.

Nam neque sicca placet, nec quæ stagnata palude
Perpetitur querulæ semper convicia ranæ:

Stagnata non est, in qua perpetuus latex subjicitur, irremisso fonte profluens, ut putat Bar-

Barthius lib. XXXVII. adv. c. VII. sed simpliciter limosa aqua inundata. Naturam soli, ubi hortus colitur, vult neque siccam, neque paludosam, sed habilem, pinguem. Propterea Nilus *stagnare* dicitur, cujus *aqua limosa & turbida*, ut ait Hirtius de bello Alexandrino: qui *lutosus & turbidus fluit*, ut Seneca lib. IV. Nat. quæst. c. II. Limum enim vehit, quo & agri augentur & aggeres vi fluctuum, qui nocere possent, oppositi. Quod adeo ubique obvium, ut nisi necessitas esset, repetere pudor foret. Trogus Pompejus face indiget lib. II. *Ægyptum, quæ tot regum, tot seculorum cura impensaq; munita sit adversum vim incurrentium aquarum; tantis structa molibus, tot fossis conscissa, ut cum his arceantur, illis recipiantur aquæ* &c. Non accipienda *impensa* cum vulgo pro sumptibus: ut apud Livium lib. XXXII. *curam impensamque sationis me præstaturum:* sed pro limo illo, quem inundatione Nilus adducit, & farcit aggeres manufactos. Est enim illud verbum architectonum, pro fartura illa, qua hiatus parietum aut pavimentorum explentur & æquatur. Palladius lib. I. c. IX. *Inducto itaque rudere vel testaceo pavimento congestos & calcatos spisse carbones cum sabulone & favilla & calce permisces & hujus impensæ crassitudinem sex unciis jubebis imponi.* Idem alibi: *Deinde impensa pumicea inducemus.* Symmachus lib. X. epist. XXXIX. *Post hæc alterius loci exploratio hiulcam compagem lapidum deprehendit: quam Cyriades Comes & Mechanicus consilio suo & ratione artis ita positam suggerebat, ut infuso postea impensarum liquore hiantia stringerentur.* Ergo τὸ *cura* τῶ *regum*, τὸ *impensa* τῶ *seculorum* attribuenda. Plane illa *cura regum* & *impensa seculorum* (etenim tempus

pus ut alibi ambedit, ita hic ſarcit & adjicit) explicantur a Trogo, ſive Juſtino in iſtis, quę ſequuntur: *ſive ex aggerationibus regum, ſive Nili trahentis limum. Aggeratio regum; cura regum* dicta erat; *aggeratio Nili, impenſa* tot annorum. Gemmula hęc ſermonis eſt ipſius procul dubio Trogi. Ita fere Polybius de tempore loquitur lib. IV. Cum enim dixiſſet τὰ ῥεύματα εἰσφέροντα εἰς τὰ κοιλώματα πολὺν καὶ παντοδαπὸν χοῦν, ſubjungit: ὅταν γὰρ ὁ μὲν χρόνος ἄπειρος ᾖ, τὰ δὲ κοιλώματα πάνυ ἢ πάντως ὡρισμένα, &c. Suetonius Augusto: *Ægyptum in provinciæ formam redactam, ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet, foſſas omnes, in quas Nilus exæſtuat, oblimatas longa vetuſtate militari opere deterſit.* Hinc, inquam, *ſtagnare* Nilus dicitur. Virgilius:

qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum.

hoc eſt, multo cum limo fluentem. Utroque enim modo, tranſitive & neutraliter, verbum hoc uſurpatur. Lucanus:

Non minor hic Nilo, ſi non per plana jacentis
Ægypti Libycas Nilus ſtagnaret arenas.

Prudentius:

Audio per Pharios Nilum decurrere campos
More ſuo, viridiſque ſata ſtagnare Canopi.

hoc eſt, limo permixta aqua inundare. Neque Silio *ripæ ſtagnantes* aliter dicuntur, nempe turbida aqua ex pulveris globis arenaque per tumultum pugnantium excitata perfuſæ. Ergo *ripa ſtagnata coercet undas Cecropio luto*, eſt vel, quæ modo turbida & limoſa aqua ſuperfuſa fuerat, jam coercet undas hirundineo opere; vel *ſtagnata ripa* eſt, quam ſtagnando fecit, induxit,

limo

limo auxit Nilus. Ita per similitudinem *flagnatæ ripæ* dici possent Echinadum insularum & Acheloi, de quibus sic Thucydides lib. II. extremo: κεῖνται δὲ καὶ τῶν νήσων τῶν Ἐχινάδων αἱ πολλαὶ καὶ ἀντικρὺ Οἰνιαδῶν, τοῦ Ἀχελῴου τῶν ἐκβολῶν οὐδὲν ἀπέχουσαι. ὥς τε μέγας ὢν ὁ ποταμὸς, προσχοῖ αἰεί. καὶ εἰσὶ τῶν νήσων, αἳ ἠπείρωνται. ἐλπὶς δὲ καὶ πάσας οὐκ ἐν πολλῷ τινι ἂν χρόνῳ τοῦτο παθεῖν. Quæ omnia si bene teneantur, panditur facilis nobis saltus per difficillimum Manilii locum, ubi maximi viri expediendo se nihil egerunt aliud, quam ut acrius implicarent. Lib. IV. ubi singulas regiones sub certis Zodiaci signis ponit:

Inferius victæ sidus Carthaginis arces
Et Libyam, Ægyptique latus, donataque regna
Tyrrhenas lacrimis radiatus Scorpius arces
Eruit, Italiæque tamen respectat ad undas,
Sardiniamque tenet fusasque per æquora terras.

Gemblacensis: *donataque rura.* Sequemur lectionem. Ipsammet Ægyptum vocat agros donatos eruditissime, memor nimirum Herodoti qui Ægyptum vocavit δῶρον ποταμοῦ. Nam quod Bonincontrius de Numidia Masinissæ a Romanis donata dicit, quam multis castigandum est? Hujus quoque aliam rationem afferre possumus: Nam Lucanus Ægyptum vocat *regnum donatum*, quod Ptolemæus Auletes penultimus Ptolemæorum in regnum a Senatu, Pompejo autore, restitutus sit: tanquam non restitutus esset, sed regnum illi a Senatu donatum videatur. Hæc interpretatio melior altera. Ille versus, *Tyrrhenas lacrimis*, insertus ab illepido homine, qui putavit deesse nomẽ Scorpii. atqui apposuit, quum dixit: *Inferius victæ sidus.* Scorpius

pius ſcilicet, qui eſt libra inferior. Deinde, quid hoc monſtrum loquutionis, *radiatus lacrimis?* &c. Ita Joſ. Scaliger, & pluribus, quæ in commentariis videantur. At C. Barthius: Ego *donata regna* Lucani & Auſonii hic non capere ſententiam arbitror. Suſpicor Manilium reliquiſſe:

Et Libyam, Ægyptique latus, damnataque rura
Æternis lacrimis, Sardoas Scorpius arces
Eruit.

Æternæ lacrimæ ſunt unicum Ægypti ſignaculum, quæ Oſirim ſuum ſolenni & perpetuo planctu celebrabat. Lib. XXIV. c. XIX. Quæ non nos, ſed confutabit veritas. Divine animadvertit illuſtriſſimus vir illum verſum: *Tyrrhenas lacrimis*: emblema inſulſi magiſtri eſſe. Et ſufficiunt ad hoc probandum cuivis ſano ejus rationes. Sed legendum *donataque rura*, non *regna*: & recta eſt prior interpretatio. Quo magis miror ſiniſtro judicio uſum eſſe ἄνδρα θεοείκελον in illis, quæ dexterrime ipſi acre illud ingenium ſuppeditabat. Legendum ergo:

Inferius victæ ſidus Carthaginis arces
Et Libyam Ægyptique latus donataque rura
Eruit.

Donata rura ſunt a beneficio Nili advecto limo quotannis augeſcentia: quum præcipuum Ægypti miraculum ſit ἡ τοῦ Νείλου ἀνάβασις, καὶ ἡ πρόσχωσις τοῦ πελάγους. Omnino autem alluſum eſt ad Herodoti dictum. Strabo lib. XII. Διεκβαίνων δὲ τὰ ὄρη τοσαύτην κατάγει χοῦν ἐπὶ τὴν θάλατταν, τὴν μὲν ἐκ τῆς Καταονίας, τὴν δὲ ἐκ τῶν Κιλίκων πεδίων, ὥς τε ἐπ' αὐτῷ καὶ χρησμὸς ἐκπεπτωκὼς φέρηται τοιοῦτος.

Ἔσσεται ἐσσομένοις, ὅτε Πύραμος εὐρυοδίνης
Ἠϊόνα προχέων ἱερὴν εἰς Κύπρον ἵκηται.

Παραπλήσιον γάρ τι κἀκεῖ συμβαίνει καὶ ἐν Αἰγύπτῳ τοῦ Νείλου ἀεὶ προσεξηπειροῦντος τὴν θάλατταν τῇ προχώσει· καθὸ καὶ Ἡρόδοτος μὲν δῶρον τοῦ ποταμοῦ τὴν Αἴγυπτον εἶπεν. Sic Lucanus : *hu rura colonis Accedunt donante Pado.* Bene autem *Ægypti latus* & *donata rura* ponit poſt *Libyam*. Non tam quia non toti Ægypto æqualiter is titulus competit. Strabo lib. 1. ὥστε εἰκότως ὑπὸ τοῦ Ἡροδότου τε τὴν ὅλην Αἴγυπτον τοῦ ποταμοῦ δῶρον λέγεσθαι, κἂν εἰ μήτε τὴν ὅλην, τήν γε ὑπὸ τῷ Δέλτα, τὴν κάτω χώραν προσαγορευομένην. Quam quod illam partem quę verſus Æthiopiam vergit, ſub ariete poſuerat. Hoc eſt enim, quod dictum erat ante: arietem colit

Nilusque tumeſcens
In Cancrum & tellus Ægypti juſſa natare.

Nilus tumeſcens in Cancrum, eſt in eam partem Ægypti, quæ Æthiopiæ adjacet, quæ ſub Cancro a Manilio cenſetur. Non accurate igitur Scaliger, ubi tutelas regionum ſignis adſcriptas ordine Manliano proponit, Ægyptum ponit ſub ariete, in Scorpii vero cenſu omittit: cum utrique partem adjudicet Manilius. Porro notandum eſt Manilium in diſpoſitione harum tutelarum interdum, quod cujuſque regionis commodum eſt, id attribuere ſigno, quod oſtendere vult dominari eidem. Sic:

Virgine ſub caſta felix terraque marique

Es Rhodos.

Eodem modo hic Scorpium ait *donata rura eruere.* Quam ſolum phraſin ſi cogitaſſent interpretes, non potuiſſent errare. Neque enim ulli alii ſigno hac ſignificatione convenit, quam illi, ſub quo Nilus limum ſuperducit & diſcedens relinquit; itaque ex aqua, cui permixtus & qua tectus ferebatur, *eruit*. Neque impediat quemquam, quod τὸ *eruere* etiam ad *arces Carthaginis Libyamque* referendum videatur. Quod fieri non debet, ſed ſubaudiendum ad illa verbum *tenet*, aut *regit*. Frequens ellipſis eſt, ut conjunctis aut poſitis duobus, quę diverſam conſtructionem aut ἀπόδοσιν requirunt, una defungantur veteres, quę poſtremo tantum apta eſt, alteram intellectui ſervent. Cicero pro Roſcio Amerino: *Neque enim mirum, cum eodem tempore & ea, quæ præterita ſunt, & ea, quæ videntur inſtare, præparet.* Male illi, qui audaci conjectura, *quæ præterita ſunt conſtituat, & ea quæ.* Male etiam corrigit Lambinus, *reparet.* Quod vel ſi maxime accipiamus, figuram tamen non effugit. Pro Sextio: *quocunque venerat, quod judicium cumque ſubierat, damnabatur.* Fallitur P. Manutius, qui magno niſu poſt *venerat*, inſerit, *repudiabatur*, vel *repellebatur.* Pertinet huc illud Taciti lib. XI. Annal. *nam poſtquam tormentis dilaniabatur, de ſe Novius, conſciis non edidit.* Fruſtra hiatum hic ſtatuunt Lipſius & Pichena. Nihil deeſt, ſed quod illi deeſſe putant, ſubintelligitur. Fruſtra in vocabulo *Novius*, & cęteris etiam ſe vexat acriculus Acidalius. Nec audiendus vir doctus, qui delet τὸ *de* lib. XLV. adv. c. III. Ita lib. XII. annal.

Satis cognitam Armeniorum perfidiam, nec aliud præsidis quam castellum commeatuum egenum. ne dubitaret armis, quam incruentas conditiones malle. Utrumque recte dicitur: *malo armis*, ut Floro: *statim desperavit armis.* & *malo arma*: sed utrumque defectivum, sive ellipticum. Conjunxit utrumque Tacitus, alterum simplicius & vulgarius dictum, alterum doctius, utrumque perpetuam ejus exquisitamque brevitatem decens. *Ne dubitaret malle armis experiri, quam incruentas conditiones accipere.* Hoc est, ne deliberaret, an potius ferro & fortunæ res esset committenda, quam incruentę conditiones ineundæ. Sine caussa hic impliciti sunt Lipsius & Pichena. Fere sic Virgilius:

nec jam amplius armis;
Sed votis precibusque jubent exposcere pacem.

Ubi videndus Servius. Homerus: σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες. Eadem ἔλλειψις ἐξ ἀναλόγου a Manilio usurpata: & τὸ *eruit* respondet tantummodo illis, *Ægypti latus donataque rura*; ad cætera vero, ut diximus, *tenet*, vel *regit*, subaudiendum est. Quod autem Gevartius, ubi apud Plinium legitur, *palea & stramento rostrum ejus firmantes*, legit, *ostium ejus*; poterat hac medicina supersedere. Quis enim unquam dixit *ostium* ripam, qua aqua alludit? At illa tralatio elegans. Cicero lib. II. de Legibus: *hac vero* (insula) *nihil est amœnius: ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit.* Et cur non *rostrum* diceretur eodem modo, quo *Lingua?* Livius lib. xxxvii. *inde in altū lingua mille passuum excurrens.* lib. LXIV. *Eminet namque in altum lingua, in qua sita est.* Lucanus: *tenuem producit in æquora lin-*

linguam. Ammianus lib. XIV. *in prominenti terrarum lingua.*

CAP. XXIX.

Statius pluries illustratus, semel defensus, alibi correctus. Pandere. Vexatissimus Valerii Flacci locus emendatus. Plura fulmina, plus posse, plus vidisse. Cicero luce perfusus. Tacitus defensus. Praeceps morum. Mores ferre, pati, accipere. Lucani correctio asserta. Neronem & Orphea protulit in theatris Lucanus. Seneca illustratus. Mare probum. Tertullianus assertus. Improbitas. Manilius emendatus explicatusq;. Currere salum. Ennodius emendatus & defensus. Fabricatus, infabricatus. Effectus. Poëtarum παραλογίζεσθαι. Ovidius defensus. Anubis quomodo Lethaeus janitor. Romanorum conjecturae de exterarum gentium diis. Servare. Pagina. Petronius Arbiter illustratus.

PRopemptico Metii Celeris: *si vestras amor est mihi pandere Thebas. Pandere* poëtarum verbum proprium est. Nemesianus Cyneg. *securi prelia ruris Pandimus.* Fuge quicquam hic emendare. Valerius Flaccus:

versam proles tua pandet Idumen:
Iamque potest Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.

Ita legendum est. Scribebat hęc Valerius Flaccus, quo tempore Vespasianus cum Domitiano ad urbem erat, Titus obsidebat Hierosolymam. Itaque auguratur jam de illa capienda & evertenda, tum de magnifico hoc facinore Domitiani carminibus ad memoriam posteritatis

transmittendo. Frustra And. Schottus supponit, *panget. Iamque potest*, scilicet, pandere. Eversam, inquit, canet; & jam ei copia est scribendi obsidionem tam potentis urbis, inque ea premendi fortitudinem & vigilantiam fratris non indecoro illo campestri pulvere (neque enim palæstricus erat, nec ludus in re tantæ molis) sordidati. Videatur jam, quomodo locum illum Aldus, Carrio, Giffanius, Schottus, Barthius & nuperi interpretes vexarint: & apparebit, quantum monstrum confecerimus. Propemptico Metii Celeris:

Inde furor ventis, indignataq; procellæ,
Et cœli fremitus, & fulmina plura Tonanti.

Domitius: Nam cum novem sint dii, qui singuli jaciunt fulmina, ut Tuscorum literæ docent, Jovem trina jaculari existimant, verbis Plinii. Inepte. *Plura fulmina*, id est, frequentiora, quam si mortales nunquam æquor intrassent. Usus comparationis, defecta parte, inprimis amatus Statio & reliquis illius ævi. Sic *plus posse* in equo max. Dom. *Miratur plus posse manus.* Et lib. XI. Theb. *hominumque dolent plus posse furores.* Ita *minus audere* in Surrentino Pollii: *Hic praceps minus audet hiems.* Tale *plus vidisse* apud Tullium in Philipp. *cum me vidiße plus fateretur, se speravisse meliora.* Ubi facetum se facit nonnemo commentatorum, qui notat: Hellenismus est, si vera est lectio, vel quod me plus vidisse, vel meo meliore adspectu, quod Latine durius est. Dicit enim conspectum suum Pompejo spem attulisse, quoties ab eo visus esset. Vere hoc durissimo durius, insci-

inscitissimo inscitius. Pro L. Manilia: *sin autem vos plus in republ. vidistis.* De Senectute: *atq; ad extremum det manus vinciq; se patiatur, ut qui illusus sit, plus vidisse videatur.* Complete ad Atticum: *Me autem, de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de urbe, de pecunia, de Piceno occupando plus vidisse quam se.* Varro:

Qui pote plus, urget: pisces ut sæpe minutos
Magnus comest; ut aves enecat accipiter.

Nesciebat versum esse G. Stewechius, cum pro *plus pumilos* scriberet. Sic *plus facere* Julius Capitolinus Gordianis: *ne quid, ut solet, militaris turba plus faciat.* Simili ellipsi Tacitus lib. 1. Historiar. *Sævitiam militum plerosque ad pœnam exposcentium sæpius approbat, pari simulatione vinculorum frustratur.* Ubi Lipsius *partim* scribit, quod in textum recepit Pichena. At Tacitus intelligit Vitellium pari ac Othonem simulatione frustrasse milites. Vel potius in utroque tam in vacationibus e fisco solvendis, quam in frustranda militum sęvitia, æque in hoc quam in illo, Othonem imitatum. De quo sic ante: *Ita Marium Celsum simulatione iræ vinciri jussum, & majores pœnas daturum affirmans, præsenti exitio subtraxit.* Et mox: *ex fisco suo vacationes annuas exsoluturum promisit: rem haud dubie utilem, & a bonis postea principibus, perpetuitate disciplinæ, firmatam.* At hic: *Vacationes centurionibus ex fisco numerat. Sævitiam militum plerosque ad pœnam exposcentium sæpius approbat, pari simulatione vinculorum frustratur.* hoc est, ut in illo, ita & in hoc Othonem imitatus. Sic de L. Aruntio: *promptum artibus egregiis & pari fama.*

Ita Polybius cum Xanthippum dicit τῆς Λακωνικῆς ἀγωγῆς μετεσχηκότα, ϗ τριβὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἔχοντα σύμμετρον, hoc eſt ex Tacito: *& pari rei militaris uſu.* Quod recte contra maximum interpretem vidit vir vere magnus M. Berneggerus. Hoc libello:

quis cuncta paventi
Nuntius, an facili te prætermiſerit unda
Lucani rabida ora maris? num torva Charybdis
Fluctuet? aut Siculi populatrix virgo profundi?
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores?
Quæ pax Carpathio? quali te ſubvehat aura
Doris Agenorei furtis blandita mariti?

Ita ſcribendum eſt, jubente MSC. Flor. & Romana Venetaque editione. Vulgo: *Nuntiet.* Sed illud impendio elegantius & dignius Statio. D.Heinſio, incomparabili viro, cujus inexhauſtam eruditionem & ſtupendum ingenium ut ſemper ſuſpexi, ita humanitatem, quam nuper hoſpitii interveniente cæremonia teſtatiſſimam habeo, nunquam prædicare deſinam, non placebat illud, *ferre mores.* ideo corrigebat:

Quod tibi currenti præceps furat Adria morum.

Ut lib. IV. *Ah miſeri morum!* Gevartius *mores Adriæ* explicat naturam & affectiones ejus maris, ut Græcis ἤθη dicuntur. Ita Tibullus *morem Charybdis*, Virgilius *varium cœli morem*, Plinius *cœli mores ſolique ingenia*, Lucretius *ventorum mores.* Ita quidem Gevartius. Sed exquiſitius Poëta noſter *ferre mores* dixit, pro in ordinem redigi, legem pati, quietem, tranquillitatem, modeſtiam aſſumere. Ita Plinius *pati mores: Quid lapidis rigore pigrius? ecce ſenſus manuſque illi tribuit* (natura.) *Quid ferri duritia pugnacius? ſed cedit & patitur*

titur mores. Accipere mores Papinius in Achilleide:

Vt leo, materno cum raptus ab ubere mores
Accepit.

Atque ita Lucanus lib. x.

Hic montes natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyæ te, Nile, negant: quos inter in alta
It convalle tacens jam moribus unda receptis.

ex certissima MSSC. & τ πάνυ Grotii restitutione: quamquam aliter G. Canterus lib. III. Novar. lect. c. 11. *Tibi currenti* est in tui currentis gratiam. Ut in illo: *tibi præferetur Orpheus.* Siquidem politissimũ Gevartium audimus. Quamquam Gruterus ex principe, ut ait, editione, *proferetur.* Nempe cum enumeret libros opusculaque Lucani Poëta, existimat inter alia Lucanum composuisse poëma nomine Neronis, ut alterum nomine Orphei. Et verum est. Autor vitæ Lucani: *prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine.* Hoc ipsum opus designat Papinius. *Ingratum* autem vocat Neronem, qui nequaquam vicem ei reddidit, laudatorem suum primo æmulatus, mox refrigerans deprimensque, denique occidens. Sed unde abiimus, Manilius: *jam ventri longius itur, Quam modo militiæ.* Plinius: *Alvi gratia præcipue avaritia expetitur: huic luxuria conditur: huic navigatur ad Phasin: huic profunda vadis exquiruntur.* In Achilleide:

Ipsaque jam trepidis nutant tibi Pergama muris.

Qui locus interpres est illi apud Senecam Troadibus:

Illo remoto, dubia, quo caderet, stetit.

hoc est, certa quidem sui casus, sed dubia, per quem caderet, quandoquidem nondum ille

 adess-

adesset, ad Scyron & Lesbon moratus, stetit & se sustinuit. Ubi vulgo male haberi Senecam ab interpretibus monuit me primum rarissimę doctrinę & virtutis juvenis, Franc. Levius de Gouda. Hoc ergo ait Poëta: Quis nuncius veniet mihi, ferens, quomodo ut te salvum pręstaret, pręceps Adria, dum transveheris, quietem passus sit? quomodo placidum fuerit tibi Carpathium mare. Omnia enim pene consonant: *Lucani maris unda facilis*; *Charybdis* aut *Scylla* (alterutri enim propinquior erat futurus) *fluctuant*, hoc est, movent modo fluctus, flustris temperata sunt: non illa dirissimum vorticem intorquet, neque hęc latrat: (male enim *fluctuet* explicat Domitius, absorbeat fluctus & revomat.) *Adria mores patiens: pax Carpathii & aura Doridos*. Hęc, inquam, omnia tale fere mare volunt, quod *probum* appellat Tertullianus de Pallio: *Sic & mari fides infamis, dum, & flabris aqua mutantibus, de tranquillo probum, de flustris temperatum, & de decumanis inquietat*. Ubi male *pronum*, *prohibum*, *procum* corrigunt: male nescio quid Afri latitare suspicantur. *Probus* proprie quietum, moderatum signat, non efferentem se ultra modum suę naturę, fortunę, meriti, dignitatis, decoris. Curate Tertullianus in Apolog. precari Christianos imperatori ait *imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum*: hoc est, populum modestum & parere facilem, qui jugum non quatit. Sic eodem libro, *Probitas: Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat: Christianus*

stianus nec in pauperem superbit. Et rursus: *cum probi coëunt.* id est, nihil novi molientes. Statius:

Nec tamen hic mutata quies, probitasve secundis
Intumuit.

Et sic *improbus* pro audaci, impudente, inquieto. *Improba vota*, quę modestiam nostrę sortis egrediuntur. Ita *improbitas* Manilio, pro vehementi impetu mentis:

Ipse sibi lex est, & qua fert cumque voluntas,
Præcipitant vires. laus est contendere cuncta,
Et si forte bonis accesserit impetus ausis,
Improbitas fiet virtus, & condere bella
Et magnis patriam poterit ornare triumphis.

Ita enim Gemblacensis, non *Præcipitat.* Quod miror silentio sprevisse illustrissimum virum. Ut Cicero pro Rabirio: *præcipitantes impellere certe est inhumanum.* Et alii plurimi. Mox, quid est *impetum ausis accedere?* inquit Barthius lib. VII. adv. c. VII. Emendat: *successerit.* Et impetum a Manilio huic homini contra omnes ait tribui. Falso: *bona ausa* sunt bona cœpta. Quod si, inquit, ille calor & acris animi perficiendi, quæ susceperit, destinatio in bona inciderit cœpta, improbitas illa, vis illa vehemensque contentio virtus erit, & egregiis meritis maximam gloriam pariet. Talis ingenii Cæsarem, Curionem fuisse & alios istius generis notant historiæ. *Improbum*, nimium, magnum. *Improba natura vires, improba subtilitas* Plinio. *Improbus mons, labor* Maroni. *Improbum lumen* Senecæ. *Improbum Phœdrum* dixit Martialis, id est, audaculū; tum quod arbores ferasque,

ut ipse in principio ait, loquentes induxerat; tum quod sub ista persona potentium ævi sui mores traduxerat. Nam quod *jocos Phœdri* dixit, quis non videt manifesto allusum ad illud: *Fictis jocari nos meminerit fabulis. Seditiosam & improbam orationem* conjungit Cæsar lib. I. de bello Gallico. Seneca de benefic. *improbe tollere animos. Improbi* Tacito aliisque interdum dicuntur *nimii*. Sic, *præferoces initio & rebus secundis nimii.* Ita Claudianus lib. de bello Getico:

Sed qui maturo vel læta vel aspera rerum
Consilio momenta regens. nec tristibus impar,
Nec pro successu nimius.

Ergo *mare probum* est modestum, quietum & patiens facillimumque tractari. Statius: *Stagna modesta jacent.* Seneca lib. V. nat. quæst. *Sic tranquillum mare dicitur, cum leviter commovetur, nec in unam partem inclinatur. Itaque si legeris: cum placidum ventis staret mare: scito illud non stare, sed succuti leviter & duci. Tranquillum est, quia nec huc nec illo impetum capiat.* Non sine caussa & mare & populum *probum* dixit Tertullianus. Nempe gnarus, ut mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari: sic & populum Romanum sua sponte esse placatum; hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus concitari, verbis Tullii pro Cluentio. Sic maris *pacem quietam* Silius lib. XVII. contra *seditionem* dixit Statius lib. IX. Thebaidos. Quod vero ait *tibi currenti*, notatum non semel eruditis, *currere* pro navigare poni. Nos inde emendamus Ennodium lib. I. Epist. I. *Dum salum curris verbis in statione compositis, & incerta liquentis elementi placida oratione describis;*

bis; dum ſermonum cimbam inter loquelæ ſcopulos rector diligens frenas & curſum artificem fabricatus trutinator expendis. Ita legendum eſt; & apparet ſatis acumen antitheti. Vulgo: *ſalum quæris.* quod videbat Barthius aliquid monſtri alere, ſed corrigere non poterat, lib. XIX. adv. c. VI. *Fabricatus* autem male idem mutat in *fabricæ catus.* Ita *fabricata ingenia* lib. I. ep. XV. *fabricata ars* controv. VIII. & IX. *verba infabricata* lib. II. Ep. VI. lib. I. carm. VII. Quod aliis *Exactus*, Plinio, *effectus.* Et Martiali: *Effecte, graviter, cito, nequiter.* Fabius lib. VI. *Tum ſi qua minus fuerint effecta iis, quæ levius adhuc afflicti cœperamus, imperitiæ aut fortunæ remittantur.* Revertimur ad Propempticon Metii Celeris:

Cur ſervet Pharias Lethæus janitor aras?

Merito ſugillat Domitium Morellus, quod portitori Charonti janitoris officium addidiſſet. Adeo periculoſæ aleæ plenum eſt nunc ſero novos Deos fabricare, aut nomenclatorem diſſignatoremve inter eos agere. Sed ipſe non expedit ſatis, quare Anubis *Lethæus janitor* dicatur. Quia, inquit, Deorum cuſtos eſt, non hominum. Admitterem, ſi inferorum. Eruditius paulo Cruceus, qui *Lethæum janitorem* interpretatur ex Plutarcho, apud quem docetur, Oſiridem eundem eſſe cum Diti. Et profecto hic ſe ſuperavit, σωφρονέστερόν τι ἑαυτȣ̃ γνȣ̀ς. Nam quod mox *oras* pro *aras* conjectat, ad ingenium redit. Ego tamen aliam ſententiam Poëtæ eſſe puto. Poëtarum eſſe παραλογίζεσθαι docuit Ariſtoteles. Sic Ovidius παραλογίζει, cum canit:

Penelope vires juvenum tentabat in arcu.

Sic Papinius ſupra, cum dicit, poſt navigatio-

nem

nem ortas procellas, ventorumque turbines. & plura fulmina. Non commisit παραλογισμὸν Naso, quando scribit:

Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri :
Et solet hic pueris virginibusque legi.

ut παραλογίζονται viri magni. Neque enim dicit Ovidius, amoris caussa Menandrum legi: neque argumentatur aut edicit caussam, cur Menander legatur. Sed refutat illud, quod objici poterat suis libellis, legendos non esse, quia amores traderent. Ενστασις Nasonis est: Menander immo legitur etiam pueris virginibusque, cujus nulla fabula non amores exhibet. Non ergo signat αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον, quare legatur Menander, sed ait αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον, cur rejiciatur, esse, quod amores fabulis suis inseruisset. M. Seneca: *Peccaverunt ergo sacerdotes, qui tabulam receperunt? quare tamen non reciperent? Deorum adulteria picta sunt: posita sunt picturæ Herculis liberos occidentis.* Eodem modo, ut Ovidius. Non est rejiciendus Parrhasii Prometheus: nam nec Deorum adulteria & turpitudinem exhibentes tabulę damnantur. Minime dicit, ideo tabulas positas, quia Deorum adulteria redderent. Sed Papinius hic παραλογίζεται. Quia enim Anubis erat facie canina, canis autem Romanorum vulgo inter Deos nullus nisi Cerberus, Lethæus seu Orci janitor (forte & Sirius & Hecate, unde αἱ κύνες Εκάτης ἀγάλματα apud Hesychium: Εκάτης ἀγάλματα τὰς κύνας οὕτω φασὶ διὰ τὸ ἐκφέρεσθαι Εκάτῃ κύνας. ἔνιοι δὲ καὶ αὐτὴν κυνοκέφαλον πλάττουσιν. Et ante: Αγαλμα Εκάτης, τὴν κύνα, διὰ τὸ ἐκφέρεσθαι τῇ Εκάτῃ κύνας, ἢ διότι καὶ αὐτὴν ἔνιοι κυνοκέ-

νοκίφαλον πλάτλυσι. ſed iſte notiſſimus) ideo calumniatur Ægyptios Cerberum colere & Deum illum latratorem Cerberum appellat. Judæos ſeptimum diem, qui Saturni dicitur, feriatus autem Judæis eſt eratque, Saturno ſacrum celebrare putabant Pagani, ſeu principia religionis tradétibus Idæis Dactylis, quos cum Saturno pulſos & conditores gentis conjiciebant, ſeu quia e ſeptem ſideribus altiſſimo orbe & pręcipua potentia ſtella Saturni, ut eſt apud Tacitum lib.v.Hiſtor. Eoſdem Liberum patrem colere ſuſpicabantur, quia ſacerdotes tibia tympaniſque concinebant, hedera vinciebantur, & aurea vitis in templo reperta, ut ſibi perſuaſerant. Quod ergo in hiſce fecit conjectura & ignoratio, id in Anubi Statius calumnia facit & irriſu. Proprius uſus verbi *ſervare* de cuſtode, qui adſidet & intentus obſervat. Seneca Hippolyto:

Caniſque Stygias dirus obſervet fores.

Tullius pro Roſcio: *nihil mali eſt, canes ibi quamplurimos eſſe, ubi permulti obſervandi, multaque ſervanda ſunt,* Valerius Flaccus Amycum dicit *effera ſervantem ponti loca.* Statius lib.x.

Argolicas hinc auſi obſidere portus?
Hi ſervare viros?

Unde & pro adſtare, obſidere ponitur in iis rebus, quę proprie non ſervant, nec ſervare poſſunt. Statius lib. IX. *carpit putres ſervantia ripas Arbuſta.* Inde quoque locutiones illæ, *ſervare limen, atrium, thalamum, ſervare domi,* quę conciſa eſt. Anubis aris colitur: Anubis facie canina:

canina: canum proprium ſervare. Hinc Anubis *ſervat aras*, id eſt, aris, quibus colitur, ut canis obſervans impoſitus eſt, aras Pharias cuſtodis ritu obſidet. Hercules quoque Surrentinus Statio *parvæ cuſtos inglorius aræ:* hoc eſt, parvam ſervat aram, parvæ aræ impoſitus eſt. Longe ergo a Propemptico, quod Metio Puteolis, aut quaſi Puteolis, Statius ſcripſit, *Oræ Phariæ*, quas commiſcitur Emericus: ſed Anubis uſque ſervet *aras Pharias.* Sub ipſo fine:

Aſt ego, devictis dederim quæ buſta Pelaſgis,
Quæve laboratas claudat mihi pagina Thebas.

Domitius notat promittere Poëtam, ſe narraturum ei rationem Achilleidos & Thebaidos. *Quæ buſta dederim.* id eſt, quam finem impoſuerim Achilleidi meæ. Perperam. Nihil hic de Achilleide. *Devicti Pelaſgi* ſunt qui ad Thebas occubuere, quos cum ſepultura arceret Creo, Theſei armis impetitus & cæſus eſt; illi juſta acceperunt. Quæ materia finit lib. XII. Thebaidos. Statim loquitur, ut Petronius:

Mox ubi ridendas incluſit pagina partes.

Includere enim claudere eſt. Ut Horatio: *tempora quæ ſemel notis condita faſtis incluſit volucris dies.* Atque hinc apparet falli Gonſalium, cum *paginam* apud Arbitrum interpretatur fabulam. Ejus rei inſigne teſtimonium ſe daturum promittit ex Donato in prologũ Adelphorum: *In dividendis actibus fabulæ identidem meminerimus, primo paginarum dinumerationem neque Græcos neque Latinos ſervaſſe.* Scire velim, quæ Donati ſententia ſit, ſi hic *paginæ* ſunt fabulæ. Acutus aliquis ſenſus expecto ut eruatur, quem ipſe qui eruerit, non intelligat. At mihi Donatus dicere videtur, non

obſer-

obſervaſſe Comicos, ut unicuique actui certum paginarum numerum attribuerent. Sequitur enim: *quum ejus* (ſc. dinumerationis, vel numeri) *diſtributio hujuſmodi rationem habeat, ut ubi attentior ſpectator eſſe potuerit, longior actus ſit; ubi faſtidioſior, brevior atque contractior. Pagina* igitur Petronio non magis fabulam ſignificat, quam Statio epos: ſed cujuſcunque ſcripti eſt. Cicero ad Tironem: *Varie ſum affectus tuis literis: valde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus. Quæ pagina mihi claudat Thebas,* eſt, quid in eſchatocollio Thebaidos ſcripſerim, quid cecinerim in ſumma ſcheda, quo modulamine finierim Thebaida. *Cum pagina incluſit partes ridendas*, eſt, cum ea pagina acta eſt, finita eſt, quæ ridendas partes inducit, in qua exodium ſcriptum eſt.

Cap. XXX.

Statius correctus & illuſtratus. Stelligerum dimiſſus in axem. Nero longus nepos Claudii. Nepos habet longus, pro longum. Salluſtius, Propertius explicati. Fama ex jugo ducta. Iugum. Iuga montium. Claudianus correctus, idemque & Ovidius explicati. Exitus.

LAcrimis Hetruſci:

> *Præcipuos ſed enim merito ſurrexit in actus*
> *Nondum ſtelligerum ſenior demiſſus in axem*
> *Claudius,& longo tranſmittit habere nepoti.*

Scio illa: *in cœlum deſcendere juſſit*, quodque huic geminum ex Seneca affertur. Sed phraſes ſunt Satiram olentes,qui naſus hic Papinio longe. Scribe; *dimiſſus.* Ne in lugubri argumento exo-

 dium

dium desideraremus, fecit pagina Crucei, quæ per *stelligerum axem* tartara, seu cœlum inferorum intelligit, qui, ut est apud Maronem, *sua sidera norunt*. Dein disputatur, quid sit *longo nepoti*. Longus fuit suo sensu homo, qui Neronem divo isti parem esse voluit. Gevartius emendat *longum*: eo quod Nero longo temporis spatio (annis enim XIII imperavit) Hetruscum domesticum habuerit. Sed tutius retinetur vulgatà. Amicus explicabat *longum nepotem* non proximum. *Nepos* patrui aut avi propius & proprie dicitur, non propatrui. At Claudius frater fuit Germanici, qui avus maternus Neronis. lib. V. Thebaid.

Dic quis & ille pater? nec enim tibi numina longe. Etiam *longe* scilicet essent, nisi pater numen. Lib. XI. *nec tu mihi sanguine longe*. Tacitus: *jam fratres, jam propinquos, jam longius sitos cædibus exhaustos*. Curtius lib. IV. *Abdalonymum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiæ annexum*. Non assentior. Vera vulgata, cujus sensum vidit Gevartius, dictionem non assecutus est. *Nepos habet longus*, idem est, quod nepos habet longum, usitatissimo Græcismo. Sallustius: *divitiarum & formæ gloria fluxa & fragilis est; virtus clara æternaque habetur*, h. virtus gloriose, & æternum possidetur. Virtutis clara & æterna possessio est. Vulgus magistrorum hoc non intelligit. Sic *haberi* eidem: *audacia pro muro habetur*. hoc est, qui audaciam habet, murum ante se habet. Illoque modo: *quoniam, quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant*. h. nequiter expetiverant. Propertius: *Æternusque tuam pascat, aselle, famem.* Idem lib. III. el. VIII.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta:
Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.

Lipſius emendat: *una:* ut ſenſus ſit, ne ex pari quidem & ſimili arte eandem famam gloriamque artificibus veniſſe. Quod cupide probarunt Paſſeratius & Gebhardus. Hic etiam ut novi quid addat, *jugum* fontis eſſe caput & ſcaturiginem notat. Unde Claudiano lib. I. in Eutrop. *Prona petent retro fluvii juga.* Ita enim MSSC. Ovidius lib. XI. met. Errant. *Iugum* duorum eſt: *æquum jugum*, cum æquales veniunt ad aratra juvenci: *nec æquum*, cum inæquales. *Ex æquo jugo ducitur fama*, quando duabus ex rebus, duplici ex arte æque magna gloria provenit. Quod contingere quamlibet magno artifici negat Propertius, & rei eidem clariſſima exempla adducit. *Vlla* ſervant ſcripti Codices. *Nec ulla fama ducitur ex æquo jugo*, eſt, nec unquam fama par exiſtit ex geminata ſcientia. Lucanus:

nullus ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.

id eſt, nunquam. Nec recte etiam *jugum* trutinæ intelligit Scaliger. In Lipſiana conjectura quod veri ineſſe videbatur, inepta Gebhardi explicatione ſpeciem perdidit. Non poteſt *jugum* dici de initiis fontium, niſi per metonymiam, quia plurima flumina ex montibus deſcendunt. Valerius Cato precatur, ne parturiant *ſilvæ frondes, non flumina montes. Iugum* autem montium. Sic *Scythiæ juga, Oetæa juga, Cythorium jugum.* Ita apud Claudianum: *Prona petent retro fluvii juga.* Quę vera lectio eſt: nobis quoque inventa in duobus MSSC. nec intellecta magis Gebhardo, quam, quem nominat, Delrio. *Iuga*

enim & hic montium ſunt, unde deſcendunt & provolvuntur velut ſupini fluvii. Sic Ovidio etiam *jugum ripæ.* Etenim Pactolus fluvius, quō de ſermo, e Tmolo monte deſcendebat. Utraque igitur ripa attollebantur juga montis, quæ ſcandere & perſequi debebat Midas, ut eorum ductu ad caput fontis perveniret. Aperte ibidē Naſo *jugum ripæ* ab *ortu fluminis* diſtinguit. Ergo, ut eo revertamur, *transmiſit habere longo nepoti*, eſt longum. Virgilius: *Æneas ſe matutinus agebat.* i. mane. Nihil frequentius Grę̨cis poëtis. Rurſum his lacrimis:

vigilis te animique ſagacis
Exitus evolvit, quantum Romana ſub omni
Pila die, quantumque tribus, quid templa, quid alti
Vndarum curſus, quid propugnacula poſcant
Æquoris.

Neſcio quomodo totiens culpanda mihi incuria interpretum, niſi quod aut illi nimium, aut ego nihil ſapio. Quis enim omnium hunc locum ſuſpectum habuit, aut obſcurum eſſe faſſus eſt? Nemo, Hercule, nemo. Omnes ſilent: omnes agunt de compacto, quaſi in Velabro olearii. Utique poſt febriculoſum commentum Domitii, qui ſic notat: Hactenus de reditibus Papinius locutus eſt: jam laborem, curam & prudentiam Hetruſci laudat in his diſtribuendis pro ratione expenſarum. *Exitus* ſcilicet impenſę faciendę. *Evolvit*, verſat, angit cum cura, quicquid vel militiæ vel in urbanis ædificiis reſtaurandis impendendum eſt. Homo acutus cum nihil inveniret, quo ſe evolveret atque his ex tricis exiret, quia videbat ex œconomia libelli, pręcedentia de accepti, ſe-

quentia de expensi rationibus agere, persuasum venit *exitus* impensas esse, ut reditus vectigalia, & *evolvere*, angere & versare. Quorum neutrum Latinum est: & o nihil sapientes, qui in hoc acquieverunt! Quid ergo *exitus animi?* & quid *exitus te evolvit?* Gruterus: omnino distinguendum: *evolvit. Quantum.* Putarim dicere, exitum ostendere & liquido probare, quam fuerit animo vigili & sagaci, cum sequentia omnia rite curarit. Ego quidem non unam conjecturam proferre possem, qua deploratissimo loco medicinam facere tentavi. Sed cum nulla sit, quę mihi ipsi plene satisfaciat, pessime autem oderim laborem ineptiarum; satis habeo, quod vexillum eruditis ad exercendum ingenii mucronem tollo, & convoco omnes augures, aruspices ad hoc portentum procurandum. Quod unum tamen a me desiderari posset, adii Cl. Salmasium, quem in admirando opere ad historiam Augustam quędam hujus loci illustrasse memineram. Ille in hęc verba rescripsit. Sequitur alter locus, qui mihi videtur longę portentiosius deformatus, ex lacrimis Etrusci. quem ne te teneam aut pluribus circumagam, sic emendandum puto:

Hibernos citius numeraveris imbres
Silvarumq; comas, vel aquas quot in amne sequaces
Exitus evolvit.

Exitus amnium dicuntur ostia eorum, quibus in mare aut in alios fluvios excurrunt & sese exonerant. Virgilius: *celsis caput urbibus exit.* Et iterum: *quocunque solo pulcherrimus exis.* Pomponius Mela: *& nusquam manifesto exitu effluit, ut alii amnes, sed deficit. Evolvi* etiam dicuntur, cum

 exeunt

exeunt per illa ostia. Ita loquutus politus scriptor Curtius. de Marsya: *at cum extra munimenta se evolvit*. *Aquas sequaces in amne* eleganter appellat, quia unda sequitur undam. Posset tamen etiam legi, *fugaces*. *Lympham fugere* dixit Horatius. Iterum hoc libello:

Quis sublime genus formamque insignis Hetrusca
Nesciat? Haudquaquam proprio mihi cognita visu:
Sed decus eximium formæ par reddit imago,
Vultibus & similis natorum gratia monstrat.

Ita distinctio ponenda, non post *Vultibus*. Dein pro *haudquaquam* scribendum: *haud quanquam*. Romanus codex: *haud nunquam*. Τὸ *sed* non vulgari usu pro *tamen* ponitur. Ut in Hercule Surrentino:

Quamvis innumeræ gaudentia rura superne
Insedere domus, & multo culmine dives
Mons nitet: instantes sed proxima quærere nimbi
Suadebant.

CAP. XXXI.

Statius illustratus. Mandata signa. Mandare odia. Seneca defensus. Iussus, jubere verba summæ potestatis. Paulus VVarnefridus assertus. Marpais. Claudianus emendatus & explicatus. Romani imperii genius. Dux jussus. Lucanus explicatus. Signa publica. Iterum Lucanus defensus. Publicum quid proprie. Fortuna publica. Habere in consilio publicam fortunam. Seneca illustratus. Iubere & Senatus interdum dicebatur. Seneca defensus.

LAcrimis Hetrusci:

mandataq; fidus
Signa tulit.

Mandata

Mandata signa eleganter dicuntur, quę feruntur alienis auspiciis, & pro ultione alterius. Sic lib. IX. Thebaid. *miserum sociis opus & sua mandat Prælia.* Et lib. XI.

usque adeo geminas duxisse cohortes
Et facinus mandasse parum est?

Seneca lib. III. de ira: *nec mandat ultionem suam, sed ipse ejus exactor, animo simul & manu sævit.* Sic *mandare ubera* dicit Papinius matrem, quę nutricis opera in lactando infante utitur, lib. VI. Thebaid. Hinc apparet, quid sit *mandare odia* in Hercule Furente:

Congredere, manibus ipsa jam lacera tuis:
Quid tanta mandas odia?

Falluntur magni viri, qui hęc ἀσύστατα dicunt, & *tacita* vel *lenta* rescribunt. Nam quod sequitur:

Titanas ausos rumpere imperium Iovis
Emitte.

ejusdem odii est & non mandantis modo, sed manum adhibentis. Ut & illud: *Siculi verticis laxa specum.* Florus: *non mandata expeditio, sed sumpta est.* Claudianus de bello Gildonico: *Vindictam mandasse sat est.* Sidonius Panegyr. Anthemii:

modo principe nobis
Est opus armato, veterum qui more parentum
Non mandet, sed bella gerat.

Sic Statio *mandata signa*, quę auspiciis ferebantur Imp. Romani. Ad Crisp: *Thulen Intrarit mandata gerens.* Apud quē illa tunc erant ex potestate propria, olim mandata & data a populo, qui in

libertate proprie dicebatur *mandare* & *jubere*, verbo majestatis, quę Populi. Sallustius: *Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, darent operam Consules, ne quid Respubl. detrimenti caperet. Ea potestas per Senatum more Romano magistratui maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque civis, domi militiaque imperium summum habere: aliter sine populi jussu nulli earum rerum Cōsuli jus est.* Unde formula rogationum: *velitis, jubeatis, Quirites.* Ut Patrum, *censere, decernere.* Unde millies apud scriptores Romanos: *bellum & Patres censuerunt*, & *Populus jussit.* Et *autoritas* proprie Senatus, *jussus* populi. In XII Tabulis lex erat, ut *quodcunque postremum populus jussisset, id jus ratumque esset: jussum populi & suffragia esse.* Vel *potestas* populi, Senatus *autoritas*, ut Cicero in III. de legibus. Item Senatus *consulta*, populi *jussa*, ut idem in Vatinium. De quo multa possent dici, nisi vulgata essent. Quare quod ait Tacitus, *omnes jussa principis aspectasse*, innuit penes principem fuisse imperium & rem summam. Et Lucanus hinc acumen captavit, ubi Cęsarem inducit potentiam suam jactantem:

Iussa plebe tuli fasces per bella negatos.

Etiam verbum imperii in voce Germana, quę huic respondet, agnoscitur ex vocabulo *Schuldhais*, qui jussionem & imperium habet in culpas, seu debita, per quę quis legi obligatus est. Unde docti viri emendant, quod apud Paulum Warnefridum lib. II. de gestis Langobardorum: *Gisulfum, qui eidem frator erat, quem lingua propria Marpais appellant.* Scribunt viri docti, *Marhais*, quasi qui jussionem habet in equos. Sed

Marpais

Marpais compositũ est ex τῶ *Mar*, quod equum sonat, quod illi recte etiam adverterunt, & *Page*, quod servum nobilium, honorarium puerum etiamnum Gallis notat, paullo aliam in terminationem dialecto corruptum. Nec dubito recte observasse Lipsium, *Paigios* corrupte pro *pædagogiis*, vel *pædagogianis* dici. Ego *Marpau*, qui equum admovet regi, nobilis minister ad sternendum equum regis. Hoc obiter. Cęsares tamen interdum iis phrasibus, quę libertatẽ decebant, utebantur in illis, quę in favorem domus suę decernerentur juberenturve, aut quę conciliandę plebis gratia ipsi procurarent, vel denique si quando umbra libertatis civibus subactis illudere lubitum esset. Tacitus lib. XII. annal. *Nec ante omissa contatio, quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. Percontatusque Cæsarem, an jussis populi, an autoritati senatus cederet? ubi ille, unum se, civium & consensui imparem, respondit, opperiri intra palatium jubet, ipse curiam ingreditur &c.* Ita distinguendum est. Eodem libro inferius: *Obvii inter se Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere. Quod ut discordiæ initium, Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionem, quæque censuerint Patres, jusserit Populus, intra penates abrogari.* Ita Nero in prima oratione ad Senatum lib. XIII. *teneret antiqua munia Senatus: Consulum tribunalibus Italia & publicæ provinciæ assisterent: illi Patrum aditum præberent: se mandatis exercitibus consulturum.* Et nunquam sane ita respublica in Principis (nisi sub Tiberiis, Caligulis, & ejusmodi prępudiis, non principum modo, sed hominum postremissimis) potestatem venit, ut non maxima & populi reverentia esset.

Claudianus in VI. Consul. Honorii:

O quantum populo secreti numinis addit
Imperii præsens genius, quantamq; rependit
Majestas alterna vicem, cum regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus;
Consensuq; cavæ sublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor, unaque totis
Intonat Augustum septenis arcibus Echo!

Ita elegantissime MSC. membranæ. Scio quidem *Genium Augusti, Genium Domitiani* apud Statium & similia plurima. Sed aliud dixit Claudianus, quod non possunt capere, nisi gnari magnitudinis Romanæ, & qui indolem istius incomparabilis reipublicę politicis speculationibus intrarunt. Facem allucebit Tacitus lib. I. Histor. in gravissima oratione Galbæ ad Pisonem: *Neque enim hic, ut in cæteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & cæteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem. Genius* sumitur pro natura, indole. Ut ad Serenam:

Quid non efficeret scribentis voce Serenæ
Vel genius regni, vel pietatis amor.

Genius hic non Deus est, ut volunt Demsterus & Barthius: sed insita vis & potentia regni. Nisi etiam *amor pietatis* Deus est. Hic ergo erat imperii genius Romani, hęc indoles atque ingenium, ut præcederet omnes summumque fastigium teneret quidem Imperator; sed nec despectus nec servitutis barbaræ capax esset illustris ille populus. Eum genium, eam indolem admirabili specie depingebat illa dies, qua mutuam venerationem sui ipse imperator

& dominus gentium populus experirentur. Glossa ergo *genius* est *species*, quod vulgo habetur. Illud autem, *Consensuque cavae*, tam male mutat Bulengerus, ut ne oratio quidem in illo quod supponit, *Consensu caveae*, constet. Posset & *consessu* scribi. Sed ex iis, quae initio diximus, patet vera mens Lucani lib. VII.

Si duce te jusso, si nobis bella geruntur,
Sit juris, quocumque velint, concurrere campo.

Dux jussus est, quem populus jussit: *nobis* autem corpus Senatus significat, cujus pars & magna Tullius, cui hęc verba dat Lucanus. Si dux es, si imperator, qualem esse oportet in libertate, qui jubetur a Populo, a Senatu decernitur. Etenim Senatus & ipse videri volebat

non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.

Itaque Cæsarem *imperatorem* dicere dedignabantur heroes illarum partium, quia injussu po. Romani arma tenebat. Hirtius: *Quo simul atque captivus pervenisset, literasque, ut erat mandatum, Considio porrigere cepisset: priusquam acciperet ille, unde, inquit, istas? Tum captivus a Cæsare imperatore. Tunc Considius, unus est, inquit, Scipio imperator hoc tempore po. Romani: deinde in conspectu suo captivum statim interfici jubet.* Quare etiam Pompeji signa appellantur *publica* Lucano:

Usque ad Thessaliam Romana & publica signa.

Quod recte interpretatur maximus Grotius. Et miror inventum postea doctum virum, qui corrigeret: *Romana, hinc publica signa:* & explicaret *publica*, quę universum genus humanum

manum sua clade traxerint. Quasi non Lucanus lib. II. *quin publica signa ducemque Pompejum sequimur.* Et quid est *publicum?* quod populi est. Sic *Fortuna publica,* non quia nihil a providentia sua curaque alienum habet: sed quę populi certi, de quo agitur. *Fortuna Siculorum* apud Ciceronem lib. IV. in Verr. *Fortuna urbis Romanæ* apud Livium lib. II. *Volscorum* lib. V. *Samnitium* lib. VIII. *Carthaginis* lib. XXVII. *Athenarum urbis* Aristidi panathenaico. *Smyrnæ* Philostrato in vita Aristidis. *Fortuna publica Albanorum* Livio lib. I. *Fortuna publica Atheniensium* Trogo lib. V. Ita *Mars publicus* Larinatium indigetatur a Cicerone pro Cluentio. Sic *loca publica* apud JC. & Imperatorem de R. D. Sed κατ' ἐξοχὴν *Publicum,* quod populi Romani. Ut *publicum jus* in definitione Imperatoris. Ut Valerius *Publicola,* non cujusvis populi, sed Romani cultor. Et sic *Fortuna Publica* simpliciter in nonnullis inscriptionibus Livioque lib. XXVIII. *duabus navibus po. Romani imperator fortunam publicam & majestatem imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti.* Seneca lib. I. de ira: *Habuit in consilio publicam fortunam & æstimatis viribus, ex quibus jam perire nihil sine universo poterat, dolorem ultionemque seposuit.* Quo in loco doctissimi viri hærent: cum sensus sit planissimus phrasi bene intellecta: pensitavit diligenter, quid fortuna po. Romani ferret, quid exigeret præsens status. Cicero pro Cluentio: *non se putare esse solutu, neq; sibi, quodcunque concupierit, licere: sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem.* Post reditum in Senatu: *quem P. Servilius & autoritatis & orationis divina quadam gratia ad sui generis communisque sanguinis*

guinis facta virtutesque revocavit, ut haberet in consilio & fratrem (ab inferis) socium rerum mearum & omnes Metellos præstantissimos viros pœne ex Acheronte excitatos. Ubi illa *ab inferis* glossam esse puto, suprascriptam olim illis: *ex Acheronte.* Nec multum differt, quod in epistola quadam: *adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem.* Publius Syrus: *Etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem.* Curtius lib. III. *Darius ergo, cum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit.* id est, prævidit, quis mihi casus, quod fatum impenderet. Qui utitur & lib. v. Ut & Livius lib. XXXVI. alibique *metum in consilio habere.* Ita *habere in consilio fortunam publicam* est salubriter expendere, quæ ratio sit præsentis status, quidque ille requirat. Quæ Livio, Ciceroni, Tacito, aliis infinitis dicitur *Fortuna populi Romani*, aut *Fortuna reipublicæ.* Equidem non ignoro, ut est aliquod omnium hominum inter se jus, connexio cognatioque & sic respublica universalis: (καὶ ὁ κόσμος οἱονεὶ πόλις ἐστίν, ut inquit Arius Didimus) ita etiam *publicum* interdum esse, quod est omnium hominum, prout accipit JCtus Neratius l. XIV. p. I. D. de Adquir. rer. domin. Sed hæc notio ad Fortunam præcipue in Inscriptionibus non potest pertinere. Cum enim unicuique populo, unicuique etiam homini, genium suum, suam fortunam esse crederent, non utique fortunæ omnium, etiam illarum gentium, quarum malo ipsi essent felices, vel a quibus imminentibus essent servati, sed suæ fortunæ seu privatæ seu publicæ votum solvebant. Eodem ergo modo non generis humani sunt *signa publica*, sed populi Romani jussu

mota: aut etiam Senatus, vice populi. Apud Lucanum inquit Conſul ad Senatum: *Magnumque jubete Eſſe ducem.* Nam etiam in libertate aliquando id verbū, *jubere*, Senatui datur. Liv. lib. VI. *Dictator exercitum in ſtativis tenebat, minime dubius bellum cum his populis Patres juſſuros.* Et alibi: *P. Licinius Conſul Senatuſconſultum recitari juſſit; primum, quo bellum Senatus Perſeo juſſiſſet: deinde* &c. Seneca lib. v. de Benef. *Qui ne triumphaturi quidem intrare urbem injuſſu Senatus deberetis, quibuſque exercitum victorem reducentibus curia extra muros praberetur.* Claudianus:

Neglectum Stilico tot jam per ſecula morem
Retulit, ut ducibus mandarent prælia Patres.

Quare cauſſę nihil Lipſio, quare aut Senecam notaret, aut argumenta excuſandi eam phraſin conquireret. Ratio manifeſta eſt: interdum enim ſine lege Curiata ſolo Senatuſconſulto magiſtratibus ſumma poteſtas imperiumque mandabatur: quod vel unus ille Salluſtii locus condocefacit, quem allegavimus. Quare etiam controverſia nonnunquam orta, utrum populi juſſu indiceretur bellum, an ſatis eſſet Senatusconſultum. Livius lib. IV. Ne dicam, quod proprie Senecæ locum illuſtrat, reſpexiſſe nempe eum antiquiſſimum Senatus jus, quod explicat C. Claudius, (ſalvo ſcilicet unicuique ordini jure ſuo) *nunquam de triumpho per populum actum*, dicens; *ſemper æſtimationem arbitriumque ejus honoris penes Senatum fuiſſe*, apud eundem Livium lib. III. Non ignoro, quę de mixtione formarum in auguſtiſſimo Romano imperio πολιτηχωτάτως & pulcherrime diſputat

disputat Polybius lib. VI. Sed hic majestatis populi insignia quędam dare constitueramus.

CAP. XXXII.

Statius varie enarratus & correctus. Ferre, conferre de donis in rogum conjectis. Celse nati. Equites celsi. Celse natorum honori æquari. Vellejus & Martianus Capella emendati. Pompejus pro partibus optimatium. Auxilia Senatus. Floro lux. Statius in Thebaide & Lactantius correcti. Æquitus. Plinius eleganter correctus.

LAcrimis Hetrusci:

Illa sagittiferi circumvolitastis Amores
Funera, maternoq; rogos unxistis amomo.
Nec modus aut pennis, laceris aut crinibus ignem
Spargere: collectaq; pyram struxere pharetræ.

Legendum: *collataque*. Studium & felicitas Papinii perpetua in quavis re propria & sua phrasi explicanda. Tales *ferre*, *conferre* de muneribus functo aut rogo donatis. Item: *quos nunc ego confero questus*. In Epicedio in Patrem allusit: *Quæ lamenta tuli*. Hic supra: *nos non arsura feremus Munera*. In Glauciam: *egomet cantus & verba medentia sævus Confero*. Male vulgo: *Consero*. Ibidem: *cupit omnia ferre Prodigus*. Ita Petronio *rogus inimicis manibus conlatus*. Tertullianus Apologetico: *quid omnino ad honorandos eos* (Deos) *facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis*. Jac. Gutherius de jure Manium,

non inspexit autorem, cum hæc Statii verba ad ritum accommodavit, cujus Herodianus in Pertinace meminit: ubi narrat in funere Pertinacis visum puerum eleganti forma, qui muscas ceu dormienti abigeret flabello plumeo. Apparet satis τὸ *laceris* commune pennarum & crinium epitheton esse, & subaudiendum ad alterutrum: indicatque Poëta, Amores rogo Hetruscæ ruptas præ dolore pennas & crines injecisse. Infra:

Mutavitque genus, leveq; ignobile ferrum
Exuit, & celso natorum æquavit honore.

Corruptissimum locum sanavit divina emendatio maximi Salmasii: *& celse natorum æquavit honori. Celse nati* Equites, quorum perpetua laudatio *Celsus*. Soteriis Rutilii:

Non labente Numa timuit sic curia felix;
Pompejo nec celsus eques, nec femina Bruto.

Quem locum cum docti viri exagitarent vexarentque, aliud egisse credibile est. Neque enim obitu Numæ *felix* curia dicitur: sed *felix curia*, quia imperium vi & injuria occupatum religione & justitia gubernabatur: *felix* & vivente Numa, & post mortē, quamdiu sapientissima ejus instituta tenuit: nequaquam per mortem aut in morte: ideo enim quamvis felix fundataque timuit. Quam iniqui in principem Romanorum Pompejum sunt, qui Celsi Equitis præter cæteros insignem luctum ipsius Manibus eripiunt? quam prodigi in Brutum, cui cum matronarum præcipuas lacrimas (annum eas ut parentem luxisse Brutum testatur historia) assignasset modo Papinius, Celsi ordinis complorationem addunt. De qua nusquam

insignite

insignite præter cæterorum luctum historia. Contraria doceri facilius fit. Ex hoc enim ordine erant, qui populo libertatem datam ægre ferebant, patritii juvenes, malebantque regem, experti mox severitatem Bruti in factionem suam. Quis autem nescit Pompejum semper optimatium & sic nobilitatis partes tueri, videri voluisse? Itaque Eutropius diserte in acie Pharsalica *totam nobilitatem* locat. Cicero in Philippicis: *illos ego præstantissimos viros, lumina reipublicæ vivere volebam, tot consulares, tot prætorios, tot honestissimos Senatores, omnem præterea florem nobilitatis ac juventutis.* Hæc præcipue *auxilia Senatus* Florum intellexisse arbitror. Nam etsi totus exercitus Pompeji ex Senatu, parte populi & nationibus constaret: numquam tamen una castra tot Senatus membra exceperant. Quibus adde, quem quisque magnificentissimorum virorum comitatū secum traxerit. Nam Domitium DCCC ex servis suis pastorumque suorum confecisse scribit Cæsar. Seneca ad Martiam: *Vidit legiones in conspectu suo cæsas: & ex eo prælio, in quo prima acies Senatus fuerat*, &c. Idem in Epist. *optimates & prima acies Pompejanarum partium Senatus ferens arma.* Vellejus: *Alterius ducis caussa melior videbatur, alterius erat firmior: hic omnia speciosa, illic valentia: Pompejum Senatus autoritas, Cæsarem militum armavit fiducia. Consules Senatusq; caussæ nomine Pompejo summam imperii detulerunt.* hoc est, ut ipse caussam Senatus tueretur, subintellige, non ut imperaret, vel potius dominaretur: cum contra Cæsarem sui dominum afferrent. Ita scribendum est. Vulgo: *causæ, non Pompejo.* Quod ex compendio scribendi ortum. Ita apud Martia-

num Capellam lib. IX. *astreantemq; Vranien certe Libyssen apparuiße rati.* pro, *Astream, Themimve, Vranien certe Libyssen.* ut in scripto cod. nobilissimi & doctissimi viri, I. Ulrici reperimus: nisi quod unam literam delendam censuimus præterea. *Themimque* enim ibi exstabat. Scio illa apud Tacitum lib. XIII. ann. *ideo nondum ipsum Vologesen commotum, quia caussa quam vi agere mallet.* & lib. XV. *equitate quam sanguine, caussa quam armis retinere parta a majoribus malueram.* Non tamen consentio Grutero, cui vulgatum placet: multo minus Lipsio, qui *caußa nominis* conjectat. Quod vero alii semper in hac caussa *Senatū* crepant, de eo cautius Cæsar lib. III. de bello Civili: *sed potestatem se nullam habere, propterea quod de consilii sententia summam belli rerumque omnium Pompejo commiserint.* *Consilium* illum Senatum ὑποκορίζει. Et similiter Cicero ad Atticum: *Sane a multis audio constitutum esse Pompejo & ejus consilio in Siciliam me mittere, quod imperium habeam. Id est ἀσυνήθης ἀπηχόν. neque enim Senatus decrevit, nec populus jussit me imperium in Sicilia habere.* Ita *societatem publici consilii* minoribus illis Hetruriæ populis dat Livius lib. IV. quasi *Senatus* nomen invidens. Quod notabile est, cum alias & magnifica satis interdum & honestissima illa vox sit. Omnino ergo *celsum Equitem* Pompejo labente timuisse scripsit Papinius: ut Bruto matronas, quod pudicitiæ violatæ ultor reges ejecerat: ut Numa curiam, quę per Numam felix, nunc gloriæ illius tituli labem metuebat. Ut igitur ad primum locum revertamur: Hetruscus fuerat libertinus; cui genus mutavit imperator & pro libertino equitem fecit, proq;

terreis

ferreis annulis, quales libertini ſtatus homines gerebant, aureos dedit; qui equitum proprii. *Celſe nati*, ut dictum, equites ſunt, equeſtribus orti: quorum honori is æquatur, cui donatur ordo equeſtris, qui exutis annulis ferreis aureos induit a Principe conceſſos. Qua phraſi lib. III. Thebaidos:

licet aridus Hammon
Invideat, Lyciæque parent contendere ſortes,
Niliacumque pecus, patrioque æquatus honori
Branchus.

Ita enim ſcribendum ex Lactantio ad lib. VIII. Thebaid. ubi Poëta: .. *& intonſi cludet penetralia Branchi. Branchus Apollinis eſt filius, & ipſe futurorum peritiſſimus deus. ut ipſe alibi: patrioque æquatus honori Branchus.* Male vulgo in Lactantio: *honore.* Sed illic etiam male, *æqualis.* Ita hi duo loci mutuas ſibi preſtant vices: nec dubito facile aſſenſurum quemvis, *æquatus* genuinum eſſe, qui genium Poëtæ percepit. Similiter fere peccatum in Plinii panegyrico c. LXXI. *Contigit ergo oculis noſtris inſolita facies, Princeps & candidatus æquitus & ſimul ſtantes.* Ita enim ille ſcripſerat. Duo dicit, primum utrumque ſtetiſſe, dein, utrumq; in plano ſtetiſſe. Poterat enim Princeps altiore loco ſtare: ſed auget illud ſubmiſſionem ejus. Ideo ante: *devexus in planum.* Vulgo: *æquales & ſimul ſtantes.* Livineius voluerat, *Equitis ſimul ſtantis,* non conſiderans ſe in v. c. reperiſſe. *equitus & ſimul ſtantis.* pro *ſtantes.* Ut apud Statium, *herois labores, & vias reducis.* Itaque ubique R. codex, ſine dubio a MSSC. *Æquitus*, ut *primitus, planitus* apud Tertullianum. Vox elegantiſſima & eo amabilior, quia adhuc ignorata.

CAP. XXXIII.

Statius pluries illustratus & correctus. Fortuna regressum maluit. Fulmen, incendium, flamma pro damnatione. Damnatione ambustus. Ora Campaniæ relegatis destinata. Taciti vexatissimus locus emendatus & explicatus. Ars rhetorum formidine acerbare crimen. Sententia. Consultare sententiæ alicujus. Impellere pœnam suam. Sententiæ Senatorum nonnunquam egrediebantur relationem. Ingratus. Lucida saxa. Circumlitio. Simulacra nitentia cera. Iuvenalis & Prudentius explicati. Senior. Exemplo pietatem meritus.

LAcrimis Hetrusci:

Tu seu tarda situ rebusque exhausta senectus
Erravit, seu blanda diu fortuna regressum
Maluit; attonitum & venturi fulminis ictus
Horrentem &c.

Fortuna regressum Maluit, id est, maluit referre pedem, inquit Domitius. Non pervidit acumen sententiæ. *Maluit regressum*, puta, quam continuationem. Maluit redire fortuna, scilicet intercapedine quadam digressa (nec enim regreditur, nisi qui abierat) quam manere: qui jusus divæ inconstantis credebatur. Tale est, quod de Pompejo Tullius ad Atticum: *ille restituendi mei, quam retinendi studiosior*. Et quod de Attico Cornelius Nepos, cum *nunquam cum matre eum in gratiam rediisse* scribit, quam scilicet nunquàm perdiderat. Deinde ad postrema verba notat Gevartius: Exilium veteres solenni verbo *fulmen* appellabant. Non accurate. non enim

enim exilium proprie *fulmen* appellabatur, sed damnatio, sive ad exilium illa, sive pœnam capitis. Artemidorus: *καὶ γὰρ τοὺς καταδικασθέντας ἐν τῇ συνηθείᾳ κεραυνοῦσθαι φαμέν*. Strabo lib. XIV. *ὡς δ' ἀπείχοντο ὕβρεως οὐδεμιᾶς, ἐχρήσατο τῇ δοθείσῃ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίᾳ, καὶ ἐξέβαλεν αὐτοὺς, καταγνοὺς φυγήν. οἱ δὲ πρῶτον μὲν κατεστιχογράφησαν αὐτοῦ τοιαῦτα,*

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, πορδαὶ δὲ γερόντων.

ἐπεὶ δ' ἐκεῖνος ἐν παιδιᾶς μέρει δεξάμενος ἐκέλευσε παρεπιγράψαι, βρονταὶ δὲ γερόντων. Juvenalis:

quam fulmine justo
Et Capito & Numitor ruerint damnante Senatu.

Plinius in Panegyr. *Vtrumque nostrum ille optimi cujusque spoliator & carnifex stragibus amicorum & in proximum jacto fulmine afflaverat.* Quid opus dividere hic illa, *strages amicorum* & *fulmen jactum in proximos,* ceu non utriusque eadem sententia sit: & addere, loqui Plinium de amicis suis in exilium ejectis? Verba satis aperta sunt & ab ipso Plinio explicantur lib. III. Epist. unde verba mutila adducendo fallit & fallitur vir doctus. Ita enim integra ad sententiam sunt: *atque ita hoc feci, cum septem amicis meis aut occisis aut relegatis (occisis Senecione, Rustico, Helvidio; relegatis Maurico, Gratilla, Arria, Fannia) tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurarer.* Sic *damnatione ambustum* Livius etiam dixit lib. XXII. *L. Æmilium Paullum, qui cum M. Livio consul fuerat & damnatione collegæ & sua prope ambustus evaserat.* Idem *incendium* infra: *se populare incendium priore Consulatu semiustum effugisse.* *Flammam* dicit Cicero in Bruto de Galba: *isque se tum eripuit flamma, propter*

 puero-

pueros misericordia populi commota. Et *conflagrare* pro damnare idem in Verrem: *Ille miser cum esset, tum proditione istius nefaria, tum improbo & falso ejusdem testimonio, tum multo etiam ex maxima parte istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit.* Livius lib. XXXIX. *ne incendio alieni judicii conflagraret.* Lacrimis Hetrusci:

hic molles Campani litoris oras
Et Diomedeas concedere jussus in arces.

Oræ Campaniæ alibi quoque leguntur relegatis destinatæ. Tacitus lib. XIII. Annal. in deliberatione de ingratis libertis: *Ille autor constitutionis, fieret, ut inter paucos & sententiæ adversos: quibusdam coalitam libertate licentiam eo prorupisse frementibus: vi an æquo cum patronis jure agerent? sententiam illorum consultarent, an verberibus manum ultro intenderent, impellerentve pœnam suam dissuadentes? Quid enim aliud læso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?* Occisum hunc locum jurat Lipsius: religio! Vir magnus in commentario ad leges Atticas nondum desperat, itaque explicandum censet: Illa, *vi an æquo,* &c. verba habentur ad eos, qui contra hanc sententiam differebant. Volunt igitur, ut sententiam libertorum ipsorum consultent, vi an æquo cum patronis jure agant: an cum liberti manus ultro intentent patronis suis, patronos quoque ut & sibi verbera intentent non impellant, atque ita re ipsa pœnam suam dissuadeant, quę admodum levis est: *Quid enim,* inquiunt, *læso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem, moram Campaniæ, libertum releget?* Ita enim emendat, tum quod absurdum videretur omnes in unum eos locum relegari, intu-

tissimo consilio, tum quod Campania tractus Italiæ mollissimus esset. Sic ille. Nobis aliter videtur. Distinguendum est ita: *frementibus:* (& scilicet dicentibus) *vi an æquo cum patronis jure agerent?* (scilicet liberti. Invidiæ plena interrogatio: quasi in ipso judicio metuant vim ab libertorum libertate. Sic ille apud Virgilium *formidine crimen acerbat:*

Dicam equidem, licet arma mihi mortemq; minetur.

Quali ostentatione metus Ciceronem Catilinæ invidiam quæsivisse & fecisse curate notavit Dio lib. XXXVII. καὶ οὐκ ἐτόλμησεν ἁπλῶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν εἰσελθεῖν, ὥσπερ εἰώθει, ἀλλὰ τούς τε ἐπιτηδείους συνεπήγαγε παρεσκευασμένους ἀμύνειν οἱ, εἴ τι δεινὸν γένοιτο, καὶ θώρακα τῆς ἑαυτοῦ ἀσφαλείας καὶ τῆς ἐκείνων διαβολῆς ἕνεκα, ὑπὸ μὲν τὴν ἐσθῆτα, παραφαίνων δὲ αὐτὸν ἐξεπίτηδες, ἐνέδυσεν. Idque artificium in alio ridet ipse Cicero pro Flacco: *deprehensus, convictus, fractusque discessit: ambulat cum lorica: metuit homo doctus & sapiens, ne L. Flaccus nunc scelere se alliget.* Et fuit nonnunquam non inanis ille metus. Pro Roscio Amerino: *Caussam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum judicium cum præsidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur.* Nota historia est, cum *Pompejana reum clauserunt signa Milonem.* Tacitus XVI. Ann. *Aditum Senatus togatorum globus obsederat, non occultis gladiis) sententiæ illorum* (libertorum. ita autem scribimus, non *sententiam. Sententia* autoritas est, existimatio. Sic apud Comicum Epidico: *qui in tantis positus sum sententiis.* Rudente: *Paupertatem heri qui & meam sententiam Tolerarem.* Frustra *servientiam* conjectat magnus vir; frustra aliter interpretantur. *Sententiæ consultare*, ut Sallustius: *Delecti,*

quibus corpus annus infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublica consultabant.) *consultarent, an verberibus manus ultro intenderent*, (i. an manus libertorum ad verbera armarent, erigerent in patronos.) *impellerentve pœnam suam dissuadentes ?* Horum trium commatum interrogatio est ad eos, qui secundum libertos sententiam dicebant, & eorum autoritatem tuebantur. *Impellerent pœnam suam* elegantissime dictum est; pro accerserent ultro malum sibi jumento suo & quam libertatem libertis defendissent, eam ipsi mercede magna citius experirentur. Thucydides lib. I. Εἰ γὰρ τοὺς κακόν τι δρῶντας δεχόμενοι τιμωρήσετε, φανεῖτε καὶ ἃ τῶν ὑμετέρων οὐκ ἐλάσσω ὑμῖν πρόσεισι, καὶ τὸν νόμον ἐφ' ὑμῖν αὐτοῖς μᾶλλον, ἢ ἐφ' ἡμῖν θήσετε. Livius lib. I, de Tarquinio: *Conscius male quærendi regni ab se ipso exemplum capi posse.* M. Seneca lib. IV. Cont. *Ejus qui eam in scripta Labieni sententiam dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta sunt : jam non malo exemplo, quia suo.* Petronius : *Quod ad me attinet, non sum crudelis : sed vereor, ne quod remisero, patiar.* Sen. ep. VII. *Age, ne hoc quidem intelligitis, mala exempla in eos redundare, qui faciunt.* Tacitus lib. VI. *quo lætius acceptum sua exempla in consultores recidisse.* Justinus lib. XIV. *Nec Antigonum, nec quemquam ducum sic velle vincere, ut ipse in se pessimum exemplum statuat.* Hæc omnia explicant, quid sit, *impellere pœnam suam*, qui libertos fovebant. Sive enim *pœnam* accipias pro supplicio infelicis cōsilii aut sententię, sive pro molestia, labore, calamitate, eadem sententia exurget. *Impellere pœnam* est accelerare, *mala accersere*, ut Seneca ep. XXIV. Sic *impellere fata* dicunt veteres. Nec illa, *in oram Cam-*

paniæ

paniæ, mutanda ſunt. Invidioſa enim oratio & indignitatẽ rei quærens lenitate pœnæ definit, quod erat indefinitum. Itaque ſufficit, ſi pauci, ſufficit, ſi unus, immo ſi nullus libertus eo relegatus ſit. modo hic tractus ſit ultra viceſimum lapidem: oſtenditur tam propinquam relegationem pœnę nomen non mereri. Nunquam in ejuſmodi orationibus, quæ crimen parant, ad ſubtilem veritatem omnia exigenda. Ne dicam de illo ipſo loquendi genere, *moram Campaniæ*, quod me non intelligere fateor. Quo magis hæc conſidero, eo clariora mihi videntur, & miror, quid ſummum virum cum ſuis, quos vocat, veſpillonibus implicuerit. Nam ineptos homines, qui cogitabant, *ut jam æquo cum p. j. a.* deinde, *pœnam ſumi diſſuadentes*, ſi morer, vereor, ne eruditos lectores offendam. Iidem in præcedentibus, ubi exſtat: *Nec deerant, qui cenſerent. Sed conſules incipere relationem non auſi:* ajunt: atque jam erat cenſitum. ergo relatum: corriguntque: *incidere*, vel *inſculpere*, vel *perficere*, vel *ſuſcipere*. Omnia imperite. Neſciebant quippe *conceſſum in Senatu fuiſſe egredi aliquando relationem, & quod in commune conduceret, loco ſententiæ proferre*, ut ait Tiberius lib. 11. Quem ritum ſupra notat eodem libro: *Exceſſit Fronto ac poſtulavit modum argento, ſupellectili, familiæ.* Id eſt, egreſſus eſt relationem. Inferius his Lacrimis:

tantique orbatus muneris uſu
Ad Manes ignare fugis.

Repone ex Senenſi MSC. & Romana Venetaque editione: *Ad Manes, ingrate, fugis.* Ita enim in hac comploratione loquitur, quaſi volens

pater se relinquat & properet fugiatque ad Manes. *Ingratus* ergo, qui non agnovit utendo beneficium Cæsaris. Verba impatienti dolore expressa. Neque aliter scribendum in epicedio in puerum vernam: *munera nostra Ridebas ingratus adhuc.* ex iisdem codicib. quod est, beneficium meum nondum intelligebas, nec gratus esse poteras. Prorsus ut ille ajebat factum esse amici beneficiis, *ut viveret & moreretur ingratus.* Vulgo etiam, *ignarus.* Porro in his lacrimis Hetrusci:

immitem potuit Phryga vincere supplex.

Ευστοχ@ conjectura Crucei, *Styga,* confirmatur a MSC. Senensi. Igitur veram hanc lectionem esse puto. Inferius:

te lucida saxa,

Te similem docta referet mihi linea cera.

M SC. Senensis & Romanus codex: *Dulcia.* Sed nihil mutem. *Lucida* enim *saxa* picta sunt, lumine figurata. Plinius: *Hic est Nicias, de quo dicebat Praxiteles interrogatus, quæ maxime opera sua probaret in marmoribus: quibus Nicias manum admovisset. tantum ejus circumlitioni tribuebat.* Ubi nolim *circumductioni* scribere. Ita enim Seneca: *nisi Alexandrina Numidicis crustis distincta sint; nisi illis undique operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur.* Quam circumlitionem Senecæ Plinius hac phrasi explicat, *lapidem pingere. Villam oblitam tabulis pictis* dixit Varro. Tralatitium est, umbram & lumen propria picturæ: tum etiam adjectum esse splendorem, aliud quam lumen & inter hoc & umbram, ut ait Plinius. Quin & *lumina* pro coloribus dicuntur. *Luces* Manilio: *Tyrias imitata papavera luces.* Statius in Tibur-

Tiburtino Vopisci: *picturata lucentia marmora Luna.* Pietate Abascantii: *Lucida Cnossis.* Hinc apparet quid sint Juvenali, *simulacra nitentia cera,* Ubi vulgus interpretum e cera fabricata; Rutgersius, incerata deorum signa, id est, quibus Juvenalis ob reditum Catulli vota affixerat, intelligunt. Sed *nitentia cera* sunt encaustica pictura exornata, ceris inusta. Neque aliter accipio illud Prudentii adversus Symmachum, in quo item fallitur vir amplissimus:

saxa illita ceris
Viderat unguentoque Lares humescere nigros.

id est, viderat saxa picta & Lares nigros, fumo sordidos, inungi. Iterum hoc libello:

Salve supremum genitor mitissime patrum,
Supremumque vale.

Poëtæ hęc verba sunt, non Hetrusci filii. Conjeceram, *senior mitissime patrum:* & puto sat habebam caussæ, cum ita plane habuisse MS. Florentinum deprehendi. Denique in ipso fine:

Nostra quoque exemplo meritis tibi carmina sancit.

Alii hæc intellexerint, nec ne, ipsi videant. Domitius quidem explicando implicitum se prodidit: *exemplo meritis,* ut inde esset exemplo meritorum tuorum, voluit me tibi dicare hoc carmen. Mihi constat, *meritus* scripsisse Statium. Claudius Hetruscus filius dicat tibi, o senior, vel senex, nostra lugubria & pia carmina, *meritus exemplo,* id est, quę exemplo pietatis suæ meruit, a nobis elicuit. Sic in præfat. lib. v. ad Abascantium; *Omnibus affe-*

ctibus

ctibus sunt prosequenda bona exempla, cum publice prosint. Et in ejus pietate: *namque egregia pietate meretur.* In epicedio in Patrem: *Vidit & exemplum genitrix.*

CAP. XXXIV.

Statius aliquoties illustratus, quater correctus. Coronatum aurum. Stringere fibulas. Inurere flagella. Catullus & Spartianus illustrati. Gaudia formæ. Repetere. Repetere crinem. Iterare. Cadi Sidonii. Statius iterum correctus. Coma saucia. Sanguineum pro purpureo. Calpurnius defensus. Baccharum vulnera. Manu nudare humeros. Manu tractare vires imperii. Rapere imaginem dicitur speculum.

COma Earini:

Intonsoq; ostende patri: sine, dulce nitentes
Comparet, atq; diu fratris putet esse Lyæi.
Forsan & ipse comæ nunquam labentis honorem
Proferet, atq; alio clausum tibi ponet in auro.

Domitius: putans Apollo jam Bacchum, cum quo certat de pulchritudine crinium, esse tonsum: & ostentans tibi hos crines suos, fortasse quoque ipse suos consecrabit in illius æmulationem. Neque intellexit aliter Morellus, cum in ultimis verbis argutatur, & τὸ *ponet in auro*, explicat, addet nitidum sacratis crinibus aurum, τὸ *ponere*, ἀναθεῖναι, dicare, consecrare. Falluntur. Non ausus tam impudenter mentiri Papinius, ut diceret sperare se futurum, ut Apollo sectos crines suos consecraret. Quare autem ostenderet eos Æsculapio: aut ubi Statius hoc

hoc innuit? Hoc dicit: Forsan & ipse pater Æsculapii honorem comæ nunquam labentis proferet, id est, consecratam comam & æternum duraturam eximet e cistula, in quam condita est, & in alio auro in secretis suis sacrariis in tuam gratiam, o Æsculapi, ponet. Eam capsulam auream *coronatum aurum* vocat in principio, quod nihil aliud est quam circumdatum, quo coronatę & clausę sunt comæ. Ineptissime Cruceus *coronatum aurum* interpretatur, quod ab imperatore datum est, vel aurum perfectissimum & purgatissimum, quia *corona* nomen pro qualibet perfectione sumatur. Nescivit quomodo Statius *aurum coronatum* diceret, cum crines potius coronati auro dici deberent. Nec est sane protrita locutio. Quomodo apud Catullum: *religasset navita funem*. pro, fune navem. Eidemque *inusta flagella*, pro inusta flagellis verbera: *Inusta turpiter tibi flagella conscribillent*. Quod non potuit capere vir illustrissimus; sed supposuit miro sensu, *Inlusa*. Sic Spartianus Hadriano: *sine gemmis fibulas stringeret*, i. fibulis vestes. Ita Plinius *calceare soccos*, pro soccis pedes dixit lib. xxxvi. c.v. Inferius:

Olim etiam ne prima genas lanugo nitentes
Carperet, & pulchræ fuscaret gratia formæ.

Domitius, *fuscetur*, conjicit. Pueri sciunt quidem usum istum verborum actionem proprie denotantium. Sed Poëtam reliquisse puto: *fuscaret gaudia formæ*. Ut de Parthenopæo; *membrorumq; omnis aperta est Lætitia*. Apulejus lib.x. *ut adhærens pressule* (pallium bombycinum) *membrorum voluptatem graphice liniaret*. Ita enim scribendum. Rursum coma Earini:

hunc

hunc multo Paphie saturabat amomo;
Hunc nova tergemina pectebat Gratia dextra.

Romana & Veneta editio: *repetebat*. Quod rectissimum est. *Pectebat*, quod Aldina invexit, angustius illo est, & sub eodem comprehenditur. *Repetebat* est sæpe comebat: immo & cum non comeret, sæpe repetebat hunc crinem, & lenta manu ducebat. Ideo etiam *nova*, quia quęcunque dextra post aliam admovebatur capiti, semper a priore proxima nova erat, alia, non eadem: cum triplex Gratia sit. Ut alibi, *tergeminum Sicula de virgine carmen*. Itaque duo hæc verba se mutuo defendunt & explicant: ut ne tolerari quidem possit *pectebat*, si sensum penitus inspicias. Quid enim est, *nova hunc Gratia pectebat?* Immo *repetebat*: quotiesque repetebat, nova erat, non eadem, quę proximo alterove ordine crinem deduxerat. Sic in aliis usus illius verbi frequens. Petronius: *repetitumque infesto gurgite hausit*. Fabius in declamat. *Cum esset de stupro uxoris appellatus, cum deinde repetitus.* Livius: *assurgentemq; ibi regem umbone resupinat, repetitumq; sæpius cuspide ad terram affixit.* Suetonius: *absolutam olim dehinc longo intervallo repetitam convictamq;*. Ita *repetita chlamys murice* in Thebaide & *repetitus murex* Claudiano lib. II. de laudib. Stiliconis, qui aliis *iteratus*. Quo verbo Statius post paulo: *arcanos iterat Cytherea liquores.* Propemptico Metii:

Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura succo
Sidoniis iterata cadis.

Ita enim scribendum est: non, *Qua*, nec *vadis*, ut vulgo est sine sensu. *Sidonios cados* alibi *Tyrium ahenum* dixit. Est enim *Cadus* non vini modo, sed

ſed quodlibet κεράμιον, ut interpretatur Heſychius. De vaſe mellis dixit Martialis. Et judicum urnæ apud Græcos κάδοι vel καδίσκοι dicebantur. Heſychius: καδίσκοι, σίπυα, εἰς ἃ τὰ ἱερὰ ἐτίθεσαν, καὶ τὰ ἀγγεῖα, εἰς ἃ τὰς ψήφους ἔφερον. Ad Menecratem: *venit toties Lucina piumque Intravit repetita larem.* Statim:

Huic & purpurei cedat coma ſaucia Niſi.

Sauciam comam interpretatur Domitius, quæ decerpta a filia erat. Sed *Saucia* nihil aliud eſt, quam purpurea, ſanguinea, ſaucii colorem referens. Sic *mora ſanguinea*, *ſanguineas ebuli baccas*, *cruenta myrta* dixit Maro. Rubidam ſpumam apri *cruorem candentem* Silius, imitatione Virgilii, qui, *ſpumas agit ore cruento*. Calpurnius Ecl. 1.

ut liquidum nutet ſine vulnere ſidus:
Non quod utrumque polum, ſicut ſolet, igne cruento
Spargit, & ardenti ſcintillat ſanguine lampas.

id eſt, igne ſanguinem referente. Recte ita ex MS. Barthius lib. XXXIV. c. VIII. Quamquam *cremato*, quod ille lectum in MS. teſtatur, nos quoque in vetuſta editione, quam primam omnium eſſe puto, reperimus. Quod mox *ut* legit pro *&*, priori ſenſui plane repugnat. Nec τὸ *cruento* mutamus. Sic *vulnera Baccharum* dixit Sidonius, quæ optime enarrat Euſtathius ad Dionyſium Periegeten: αἱ δὲ διονυσιακαὶ νεβρίδες τὴν τῶν σταφυλῶν αἰνίττονται πολυείδειαν. πολύχροοι γὰρ καὶ αἱ νεβρίδες καὶ ποικίλαι τοῖς στίγμασιν. Idem alibi: οὕτω γοῦν καὶ νεβρίδας, ὅ ἐστι δέρμα νέβρου, ἤτοι νεογνοῦ ἐλάφου, πολύστικτον ὁ Διόνυσος ἐνάπτεται τοῖς ὤμοις. Quamquam φασί τινες καὶ τὸ ἔναμμα Διονύσου τὸ τῆς νεβρίδος ἀπὸ τῆς τῶν ἄστρων ποικιλίας περιῆφθαι, teſte Diodoro Siculo lib. 1. qui nempe eundem

dem Bacchum cum ſole faciunt. Mox:

Ipſi cum primum niveam præcerpere frontem
Decretum eſt, humeroſq; modo nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres.

Romanus Venetuſque Cod. *humeroſque manu nudare nitentes*. Quomodo omnino reponendũ. Et ſignificat nihil aliud quam arte tonſoria, opere tonſorio. Quicquid per artificium manuale, aut ultro, laboreve manus fit, *manu* factum dicitur, amatque id genus loquendi Statius. Via Domitiana: *Hi ſiccant bibulas manu lacunas*. In Thebaide:

Pars teretes levare manu ac diſponere menſas.

Protreptico ad Criſpinum: *letaleſque manu componere ſuccos*. Seneca epiſt. LXXXIX. *nec contenti ſolo, quod manu feceritis, maria agetis introrſus*. Lucanus:

Et ſuffixa manu foribus teſtudinis Indæ
Terga ſedent.

Sic Statius Lacrimis Hetruſci: *florenteſq; manu ſcidit Atropos annos*. Pietate Abaſcantii: *vireſq; modoſque Imperii tractare manu*. Ubi ridicule Cruceus *manum* interpretatur ſcriptionem. Nam *manu* idem eſt, quod antea dixit *humeris*:

Molem immenſam humeris & vix tractabile pondus
Impoſuit.

Notaverat hoc quoque Gruterus, ſed in explicatione errabat: hoc n. ſcholion ejus eſt: Iſtud *modo* hic modo natum eſt. nam vetuſtiſſimæ edd. *humeroſq; manu nudare nitentes*, quod eſt ipſa veritas. nam *manu* indicat violentiam quandã, neque ſponte defluxiſſe illum, ut ſæpe fit. Pulchra & erudita eſt emendatio ſummi viri: *nodoque humeros nudare nitentes*: vera etiam futura, ſi ad-

ſi addicerent veteres codices, quęque de Earino audimus, de Achille dicerentur: ſi denique Statius *donabat Achilles*, pro *ſervabat*, ſcripſiſſet. Denique hoc carmine:

Sic ait, & ſpeculum recluſit imagine rapta.

Recludere aperire eſt. quid ergo *recluſit ſpeculum*? immo *ſecluſit*. Tò *rapta* imitatus eſt Claudianus in epithalamio Honorii & Mariæ:

ſpeculi nec vultus egebat
Iudicio: ſimilis tecto monſtratur in omni,
Et rapitur, quocunque videt.

CAP. XXXV.

Statius non uno loco nova luce perfuſus, ſemel correctus. Hortari vias, hortari inediam. Tacitus defenſus. Mutare, mutatio quadrantaria. Ciceroni lux illata. Planctus fecerunt Mænada. Pectora & humeri fuſa. Statius Thebaide illuſtratus, iterumque Soteriis Rutilii. Colos fila tendunt. Seneca emendatus. Rotare plagas cervice. Apulejus defenſus. Agere dicuntur tibiæ. Claudia Statii in matrimonio Lucani non fuit, neque Polla Lucani Statio nupſit. Clariſſima uxorum. Regina Polla. Martialis explicatus. Sinistra quorundam de Statio judicia exploſa. Perire juventa.

AD Claudiam uxorem:

Quanquã & ſi gelidas irem manſurus ad Arctos,
Vel ſuper Heſperiæ vada caligantia Thules,
Hortarere vias.

Vel hinc apparet impoſuiſſe Lipſio Orbilium, quem appellat, ſuum, quo magiſtro putabat non recte haberi apud Tacitum lib. XI. Annal. *Hortantibus dehinc quibuſdam inediam & lenem exi-*

 tum,

drante admisit, inter plurimos etiam balneatori copiam sui fecit, eique familiaris reddita est. Juvenalis:

Imperat ergo viro: sed mox hæc regna relinquit,
Permutatq; domos, & flammea conterit.

Iterum ad Claudiam:

Questa est Ægiale, questa est Melibœa relinqui,
Et quanquam sævi fecerunt Mænada planctus.

Varie posteriorem versum torserunt interpretes. Gevartius disjungit τὸ *quanquam*: *Et quam quam sævi.* Uti & Domitius, quando notat inusitate τὸ *quam* cum positivo junctum, frequentius addi particulā *per*, ut sit *perquam sævi.* Quem merito reprehendit ille, quod hæc ad Laodamiam referat. Cruceus supponit: *Et quam tam sævi.* Nugæ. Vera est vulgata, & ita explicanda: Ægiale relinqui se questa est: questa est etiam Melibœa: & planctus ob desertionem, quamquam tristes sævique (quia illa impia, immerita, iniqua; non quales istæ, quas caussa publica & dignitas Græciæ decusque regium imperabat, juncta spe reditus) fecerunt Mænada aliquam, nempe Ariadnen. Inter planctus & lugubrem ejulatum deprehensa a Libero patre Cnossis *Mænas facta est,* hoc est, in comitatum & torum Liberi adscita. Quare nihil ad hunc Liberum illud Catulli:

Quam procul ex alga mœstis Minois ocellis
Saxea ut effigies bacchantis conspicit Evæ.

Non magis quam quod Homerus Andromachen aut Virgilius Dido aut Ovidius Byblida Thyadi comparat, aut denique Seneca Medeam vocat Mænadem. Nunquam hæ *Mænades factæ* sensu hoc Statiano: nec Ariadne tum *Mænas*

nus facta, cum instar Bacchæ vestem discinderet, capillum conscinderet, pectus plangeret, ularet; sed tum, cum a Baccho susciperetur. Hoc evenit inter istiusmodi flebiles ritus & doloris insaniam: ideo planctus id fecisse dicuntur, more familiarissimo Poëtis fingendi *αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον*. Huc pertinet illud ex epicedio in patrem: *& operta domos incendia servant*. Neque enim incendia proprie servant domus, aut faciunt, ut illæ illæsæ maneant: sed inter incendia continua domus illæsæ manent & servantur: ideo incendiis asscribit Poëta, quod existit una & conjunctum est cum incendiis, nimirum durationem & conservationem ædium. Quod acumen non percepit crux ille Statii, ipsis incendiis immitior, quæ quas domos servabant, ipse veniebat labefactatum. lib. x. Thebaid. *Condiderant jam vota diem*. nempe inter vota dies ille effluxerat. Ut *cantando memini me condere soles*. Nec frequentius quicquam Poëtis, quam ex quantitate, qualitate, aut quacunque circumstantia facere actionem. Sic de Achille, cum spectaretur a virginibus supra formam & habitum sui sexus:

quantum cervice comisque
Emineat, quantumque humeros ac pectora fundat.

Ubi valde fallitur Gevartius, cum *fundere* putat esse demittere: quia ante Statius: *Summittitque graves humeros*. Hic enim Thetis filium docet incessum habitumque virgineum ex more, quem Terentius notat: *student demissis humeris esse*: ibi describitur statura & habitus Achillis, qualis erat. *Quantum humeros ac pectora fundat*, est, quam latos humeros, pectoraque quam fusa habeat

habeat & ostendat. Livius lib. XXXVIII. Gallorum *fusa* dicit *& candida corpora*. Nivem *non solidam sed fusam* non admodum diverse Seneca lib. IV. nat. Q. c. IV. Et Plinius, cum *ilignam glandem suem angustam, nitidam, quernam* vero *diffusam & gravissimam facere* ait lib. XVI. c. VI. Sic *rotare plagas cervice*, pro cervicibus injectas & circumdatas habere dixit Seneca Hippolyto:

alius raras

Cervice gravi rotare plagas.

Ita enim optimi quique MSSC. libri. Vulgo: *portare*. Ex hoc genere est illud in Soteriis Rutilii; *Tendatis jam, fila, colos.* Ubi Gruterus: nec hoc capio. an *colo* verum? an *colus?* & hoc probarem, ut sit gignendi casus. Vir doctissimus ad me in literis: *Tendantur jam fila colis.* Sed Statius alloquitur ipsa *fila*, ut alibi *carinas*, Ovidius *segmenta:* quæ supra monuimus. Fila autem dicuntur *tendere colos*, quamdiu tenduntur, vel tensa sunt a colis, non abrupta. Seneca epist. XC. in re textoria: *quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat*. pro, recto stamine extendatur. Ita intelligi potest, quod apud Apulejum lib. V. *jubet citharam loqui; psallitur: tibias agere; sonatur: choros canere; cantatur. Agere*, ut & δρᾶν Græcis, dicuntur histriones, seu fabularum actores. Agebant autem intercinentibus tibiis. Unde præscriptum Comœdiis Terentii: *acta tibiis paribus dextris & sinistris: acta tibiis duabus dextris*, &c. Ergo quia semper inter actiones tibiæ, tibias ipsas *agere* dixit. Quid moramur? immo quoniam scenici ad tibicinum modos saltabant, optime *agere* dicuntur tibiæ & elegantissime, quibus legem moremque & gestum danti-

bus actores motus suos carminaq; exhibebant, seu descriptos ad tibicinium cantus motusque congruentes peragebant. Non secus ergo atque si instinctum sacrum darent, *agere* dicuntur. Vir maximus aliter hunc locum tractat, dum *fugere* substituit, ad Manilium. Alter haud sane ei dispar erudite defendit vulgatum, quia tibia instrumentum maxime ὀργιαστικὸν καὶ παθητικόν. Quod non improbo; firmo immo verbis Aristotelis lib. VIII. πολ. ἔτι δ' οὐκ ἐστὶν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικὸν, &c. Sed videtur id, quod dixi, respexisse Apulejus. Inferius ad Claudiam:

Sic exequias amplexa canori
Conjugis ingentes iterasti pectore planctus.

Doctissimi viri per *canorum* hunc *conjugem* Lucanum Poëtam intelligunt. Cujus rei tamen mihi fidem non faciunt. Ubi enim gentium alius uxoris Annæi mentio, quam Pollæ Argentariæ? & quomodo duas uxores Claudiam & Pollam superstites reliquit? nisi prior per divortium ab eo discesserat. An vero Papinius, cum in gratiam Pollæ Genethliacon Lucani scriberet, & tantas laudes, qua in ipsum, qua in viduam congereret, dedignatus est propriæ uxoris laudes, quę easdem ex tali olim matrimonio participabat, attexere? & cum parem Pollæ & Claudiæ suæ pietatem celebret in memoria defuncti mariti colenda, alteri dedit famam tanti conjugis, alteri invidit? Ne credamus. Videtur eos errori implicuisse huic, quod præfat. lib. II. Silvar. legitur: *Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria, carissima uxorum, cum hunc diem forte consecraremus, imputari sibi voluit.*

Ut

Ut crederent forte eandem esse Pollam, quæ Claudia. Sed hoc leve est. Neque enim *carissima uxorum* est carissima uxor mea: sed *uxor* generice pro nupta ponitur: & *carissima uxorum* est amata supra omnes, quę nuptę fuerunt: quod tam de ea, quę uxor esse desiit, quam de ea, quę est adhuc, potest usurpari. Et sic post obitum quoque Lucani Polla recte vocabatur *carissima uxorum*, quam nempe vivus Lucanus tenerrime & supra omnes conjuges dilexerat. Ut ipse Statius ad Hetruscum defunctum: *senior, mitissime patrum*. Sed scribendum est ex Romana editione: *clarissima uxorum*. hoc est, cujus gloriæ par decus nulla femina ex marito suo habuit. Neque dubitandum de hac correctione ipsum clamat Genethliacon, ubi:

Tu casta titulum decusque Polla
Iucunda dabis allocutione.

Quisquis ergo fuerit canorus ille conjux Claudiæ, certe Lucanus non fuit. Indubitata hęc sunt & in oculos incurrunt. Forte autem hoc ipso loco Sidonius inductus est, ut scriberet:

Quid quos duplicibus jugata tedis
Argentaria Polla dat Poëtas?

Ubi una cum eo labitur diligentissimus Savaro. Nisi forte hanc Pollam Sidonius eandem putavit cum Polla uxore Pollionis, aut has duas poëtica libertate confudit, cum Pollium ut poëtam satis aperte describat Statius. Quod fortasse verius fuisse in mentem Sidonio. Et sic tamen errant, qui per *duplices tedas* Lucani & Statii intelligunt, cum debuissent Lucani & Pollii. Statius autem Claudiam juvenis duxit

viduam juvenem & cum ea consenuit. Sic enim ad illam:

Hæc mens tua: nempe benigna
Quam mihi sorte Venus junctam florentibus annis
Servat & in senium. Tua, quæ me vulnere primo
Intactum thalamis & adhuc juvenile vagantem
Fixisti, tua frena libens docilisque recepi,
Et semel insertas non mutaturus habenas.

Ita recte cod. Romanus & Venetus, non *Servet*. Nempe jam ante fassus est de ineunte sua senecta;

quod Euboicos fessus remeare Penates
Auguror, & patria senium componere terra.

Quid clarius? Ego juvenis primos amores meos in te fixi: tu æqua fuisti mihi pariaque affectu fecisti, eamq; mentem tuam in senium mihi servat Venus. Nec leve argumentum pro nobis est pauperies Papinii, quę procul dubio privignæ etiam elocationem inhibuit, cum Polla tum proprio censu tum hęreditate mariti potens esset, obque id a Statio & Martiali coleretur, more divitum viduarum. Nam quod uterque Lucani natalem celebravit tot egregiis versibus laudibusque, non tam in honorem defuncti factum, quam quod sportulas, quæ festivitatem ejus diei augebant, uterque captarent acciperentque. Quare a Martiale *Regina* appellatur:

Contigeris regina meos si Polla libellos.

Non aliter atque *rex* & *regna* & *domini* Martiali sępissime accipiuntur. Quod nondum suboluit doctis viris, qui *Regina* cognomen Pollę putabant, aut ita dictum ut Horatio, *Regina Calliope*, utq; apud Petronium ad amasiam. Pessime autem

tem optimus ille alias codex, qui τὸ *Polla* delevit, & *forte* ſubſtituit. Certe ſi quiſquam, Domitius in hoc epigrammate oculos habuit. Ad Lucani enim Pollam, non ad aliam loqui Poëtam manifeſto oſtendunt illi verſus:

Ille tuus vates Heliconis gloria noſtri,
Pieria caneret cum fera bella tuba.

Vereor ne putidum ſit ulterius laborare in iſta opinione confutanda: quam vel hinc urgere poſſemus, quod credibile non ſit, Martialem æmuli (& quantum hoc nomen ab inimico diſtat, in captatoribus pręſertim?) uxorem toties laudaturum: nec item credibile, ejus fœminę, quam captabat & colebat, maritum invidia non profutura proſecuturum. quod Papinio eum feciſſe prudenter & vere obſervarunt doctiſſimi viri. Atque hinc jam facile animadvertere eſt magnopere a vera ratione devios fuiſſe, qui quod noſter in Genethliaco Lucanum Virgilio & Homero pœne pręfert, judicium fuiſſe & cenſuram putabant, neſcio quam temeritatem damnantes, cum laus ſit ab officioſo & cliente arido ſollicitoque profecta. Nos non dubitamus Poëtam noſtrum, utcunque fortuna eum depreſſerit, bene ſciviſſe, Lucanum a ſe ſpiritu & majeſtate carminis, tum æqualitate fictionibuſque multis paraſangis ſuperatum. Sola divina illuſtriſſimi Julii Scaligeri anima in duorum Latii Heliconis heroum, Maronis dico & Papinii, arcana penetrare & virtutes eorum pervidere potuit. Nunc adeo res rediit, ut plures de Papinio cenſorio ſupercilio judicent, quam eum intelligant. Iterum hac Ecloga:

Heu nunc illa terit viduo quod sola cubili
Otia! jam pulchra terit infœcunda juventa.

Scidæ Gruteri: Aliquid hic latet mali ulceris. Certe illud *terit* iteratum nauſeæ mihi eſt, niſi removeatur illud *jam*. Suſpicabar aliquando:

Otia tam pulchra vere infœcunda juventa.

Sed cui bono ſuſpicari tantum? aliud quid ſubeſt. Gevartius tentat: *terit viduum quod sola cubile! Otia tam.* Malo:

Heu! nunc illa terit viduo quod sola cubili
Otia! tam pulchra perit infœcunda juventa.

Frequentiſſimę vices literarum *T* & *P*. In Lucretio: *quocunque inducere pergis.* MSC. optimus habebat: *tergis.* Ita pro *telino* in Tertulliano de Pallio MSSC. habent, *pelino.* & in XII. Thebaid. *magnanimus tantæ te laudis.* quidam codices: *pantæ.* In Silvis: *ara parentis,* pro *ara Terenti.* *Perire juventa* dicitur, cui juventa perit, qui juventam otioſam, inexercitam iis, quibus debebat, muneribus habet. *Infœcunda perit juventa,* quę juventam ſine tori genialis gaudiis & votis conjugum exigit: quę viduos per annos tranſmittitur, ut Statius in Epithalamio Stellæ. *Perire vitæ* poſſet dici, qui vivendo non agit vitam, ſed eam prætervehitur. Hypallage nota & uſitata Poëtis. Cum enim tempus nos relinquat, & fugitivo curſu ætas nobis elabatur, vere autem pereat otioſis torpentibuſque, quorum otium viva ſepultura, (Seneca de Providentia: *Ego myrmillonem sub C. Cæsare de raritate munerum audivi querentem: Quam bella, inquit, ætas perit?* Claudianus Conſul. Manlii Theodori:

Ingenii redeunt fructus aliique labores,
Et vitæ pars nulla perit)

elegan-

elegantissime, cui juventa marcet, & non gignendis aut pariendis liberis impenditur, sterilis aut *infœcunda juventa perire* dicitur. Non dubito Papinium ita reliquisse.

CAP. XXXVI.

Statius bis illustratus, semel correctus. Sol novus sub exordium anni & diei. Lux novata. Lucifer novus. Seneca emaculatus. Silio lux. Honos bis textus. Consularis indumenti splendor. Curules. Claudianus auctus & correctus. Subire fasces. Domitiani XII *Consul. ordinarii, quinque suffecti.*

LIbro IV. Silvarum, consulatu XVII. Domitiani:

Atque oritur cum sole novo.

Qui scilicet annum Julianum aperit. Censorinus de die natali: *Initia autem istorum annorum propterea notavi, ne quis eos aut ex Kal. Ianuariis aut ex alio aliquo tempore simili putaret incipere: cum hic conditorum voluntates non minus diversæ sint, quam opiniones Philosophorum. Iccirco aliis a novo sole, id est, a bruma, aliis ab æstivo solstitio, plerisque ab æquinoctio uno, quibusdam ab ortu vergiliarum, nonnullis ab eorum occasu, multis a canis exortu incipere annus naturalis videtur.* Virgilius: *Vel cum sole novo densæ torrentur aristæ.* Claudianus in III. Conf. Honorii:

procede secundis
Alitibus, Phœbique novos ordire meatus.

Et lib. III. de laudib. Stiliconis:

Inq; novos iterum revoluto cardine cursus
Scribunt æthereis Stiliconem sidera fastis.

Hinc

Hinc Titan *renovare annum* dicitur Tibullo ad Messalam. Quod ideo notavi, ne quis Morellum audiat, qui illud *sole novo*, ut hic usurpatur, confundit cum ea notione, qua exortum diei notat, allegato ex Marone:

At cum sole novo terras irrorat Eous.

Id quod nihil huc pertinet: dictum autem est, ut *luce nova* apud Lucanum lib. III. & Senecam Medea:

sic nitidum jubar
Pastor luce nova roscidus aspicit.

Apud quem in Herc. Furente scribendum autoribus duobus MSC. quos ego inspexi, & antiquiss. Herbipolensi Venetaque editionibus, quos Delrius:

luce novata
Cogit nitidum Phosphoros agmen.

Vulgo: *renata*. Martianus Capella: *Terris purpureum dum renovant jubar.* Ita *novum diem* Silius lib. XVI. Ingeniose igitur argutias agunt, qui apud poëtam, *renovatum Luciferum* interpretantur, ex Hespero velut immutatum. Simpliciter enim *renovatus Lucifer*, ut *novata*, & *nova lux* dicitur, quę post tenebrarum vices incipit. Ita *facem renovare* Statius lib. x. Theb. & *renovata focis & paupere Vesta Lumina*, Silius lib. VI. Sed quę prius dicebamus, ostendunt forsan, non spernendam lectionem, quę infra habetur in MS. Flor. & Romano Venetoque Codd. *talem te cernere semper Mense novo tua Roma cupit.* Claudianus: *Annum pande novum Consul vetus.* Cum vulgo sit: *Mense meo.* Quamquam hoc probare videatur Martialis lib. IIX. ep. VIII. Liberum

itaque judicium cujuſque relinquimus. Ruríus hoc poëmate:

ſubiere novi Pallatia faſces,
Et requiem bis ſextus honos, precibuſque receptis
Curia Cæſareum gaudet viciſſe pudorem.

Diſſimulant hęc quidem interpretes: non caret tamen difficultate illud, *bis ſextus honos*. Cruceus corruptum locum eſſe ait ſupponitque: *Et requiem vix ſenſit honos.* Quo intelligit XVII. Cons. Domitiani nullo pœne temporis intervallo diviſos, ſed conjunctos & prorogatos. Quod male fide ſumpſit ab Jul. Bulengero lib. I. de imp. Rom. c. XVIII. Scribendum eſt: *Et requiem bis textus honos.* hoc eſt, toga prætexta. Notum quidem eſt prętextam veſtimentum conſulare fuiſſe. Sed illud hic dicendum, ubicunque fere conſulatus magnificentia deſcribitur, vel pręcipue prętextæ mentionem fieri. Plinius in Paneg. *ſummumque illud purpuræ decus non niſi præcerptum præfloratumque tranſmittere.* Et ſæpius ibidem. Anthologia de Tybi Ægyptiorum menſe, cui reſpondet Januarius:

Τυβὶ δὲ πορφυρέον βυληφόρον εἷμα τιταίνει.

Claudianus in Eutropium:

laxata procedat compede Conſul
Rupta Quirinales ſumant ergaſtula tinctus.

Eodem libro:

Eunuchi veſtros habitus, inſignia ſumunt
Ambigui Romana mares. rapuere tremendas
Hannibali Pyrrhoque togas: flabella peroſi
Adſpirant trabeis.

Conſ. Olybrii & Probini *præcipuum amictum* vocat, & paulo ante;

Jam

Iam parat auratas trabeas currusque micantes
Stamine.

Unde & *curules* dicuntur, eoque nomine & Consulis & curulis sellæ ornatus interdum exprimitur. In Conf. Manlii Theodori, ubi augebimus Claudianum integro & eleganti versu, qui hactenus in editis non conspicitur, hiante oratione:

patimurne sorores
Optato procul esse die? nec limina nostri
Consulis & semper dilectas visimus ædes?
Notior est Stilicone domus. gestare curules
Et fasces subiisse libet.

Ita plane memb. Leidenses, nisi quod *curules* pro *curule* scripsimus. Verba Uraniæ sunt hortantis sorores, ut & ipsę cinctu Gabino inter Senatum celebrent novi consulis ædes ipsa Stiliconis domo notiores, (qui etsi fautor erat eruditionis; non tamen tam erat ejus gnarus, quam Manlius) fascesque pręferant. Sic in Honorii gratiam Bellona & Mars, in IV. Consul.

Ipsa Palatino circumvallata Senatu
Iam trabeam Bellona gerit, parmamque removit
Et galeam, sacras humeris vectura curules.
Nec te laurigeras pudeat, Gradive, secures
Pacata gestare manu, Latiaq; micantem
Loricam mutare toga.

Fasces subire est suscipere honorem, seu onus potius summę potestatis cum insigni fascium. Ausonius:

Et toga purpurei rutilans prætexta Senati
Hoc capite æternis signat sua nomina fastis.

Omitto plures Claudiani, etiam Ammiani & aliorum locos. Hanc togam pręt extam Statius

honorem dicit, ejusque imitatione Claudianus lib. II. in Eutrop. *Sic Bruti despectus honos.* hoc est, ut ipse explicat in VI. Cos. Honorii, *Bruti trabeæ* despectę. Virgilius: *ut regius ostro Velet honos leveis humeros.* Eum *honorem* vocat *bis textum*. nempe Consulare indumentum duplicem texturam habet, lanæ qua toga est, purpurę qua pretexta. Is honos bis textus, inquit, gaudet, quod requiem vicerit, quod de Palatinis pressoriis prolatus & Cęsari injectus sit. merito, cum sic *sua majestas trabeis repetatur*, verbis Claudiani in VI. Cos. Honorii, postquam Cęsar eas induit: & *ornentur* atque *augeantur Stilicone curules*, quod utrumque loquendi genus Claudiani est in II. de Lau. Stiliconis. Hęc ergo mens est: Toga pretexta gaudet se vicisse requiem & vacationem in prælis Palatinis, quod Cęsar Consul ea indutus est: & Curia gaudet se expugnasse pudorem Cęsareum. Equidem vehementer me animi falsum esse oportet, si hic fallor. Ipse Statius *purpuram* Cęsaris ante quoque allegavit, & ut nunc *prætextam*, sic etiam *gaudere curules* jussit. Iterumque infra:

hos humeros multo sinus ambiat ostro
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.

Unde sensus suos petiit Claudianus II. de Laud. Stil. ubi diva Roma ad Stiliconem:

Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.
Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo
Te certum est, mirare libens ac suscipe tinctus,
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine.

Non invidebo tamen lectori magnorum virorum conjecturas, si quis illas aut scire aut etiam probare

probare malit. D. Heinsius legebat, *bis festus*. Celebrat XVII Consul. Domitiani. Hunc honorem non *bis sextum* (quomodo enim potuit?) sed *bis festum* dixit. Cal. Januariis Consules, qui ante designati essent, consulatum inibant. qui dies eo quoque nomine inter festos habebatur. Domum quippe Consulem ingenti cum gaudio nec minore honore Senatus populusq; deducebat. *Festus* igitur per se *honos*. Qui hic *bis festus*, Senatui presertim, qui cum tanto studio ac cura impetrasset, quod vellet: ut, si diis placet, pudorem suum expugnari pateretur Cæsar. Quod ipse mox ostendit. *Bis festus honos*, inquit: quia non modo summus, sed & quia preces Senatus admisse & quia pudorem Cesareum Senatus vix expugnavit, sed tamen expugnavit. P. Scriverius: puto scriptum fuisse: *Et quietus*. Quod sciolus interpretatus est *quietis* aut *quiem*. idque cum videret locum habere non posse, rescripsit: *Et requiem bis sextus honos*. Quod non intelligo. Sed perspicuus omnino locus erit, si legamus: *Et quinctus bis sextus honos*, id est, XVII. Consulatus. Sic illi. Dicam etiam quomodo defendi vulgata possit, si quis velit argutari. Decem & septem Consulatus gessit Domitianus: in quibus quinque fuerunt non ordinarii, non pandentes annum. Notum est jam ab Augusto hunc morem inolevisse, ut plures unum in annum consules destinarentur: quorum qui Cal. Januariis inibant, *ordinarii* dicebantur prescribebanturque fastis; qui reliquis per annum nundinis (vel nundiniis) *suffecti*. Suffectus igitur quinquies consul fuit Domitianus. Quod didicimus ex duobus Suetonii locis

locis inter se comparatis. Cap. 11. *In sex consulatibus non nisi unum ordinarium gessit, eumque cedente & suffragante fratre.* Cap. XIII. *Consulatus* XVII *cepit, quot ante eum nemo, ex quibus septem medios continuavit. Omnes autem pœne titulo tenus gessit, nec quemquam ultra Kalendas Maji, plures ad Idus usque Ianuarias*, puta ex ordinariis. Ex XVII. ergo Consulatibus XII modo ordinarios gessit Domitianus, quod velle videri posset illud, *bis sextus honos*, nimirum ordinarius, annum aperiens. Hoc si aliis in mentem venisset, putarent forte se nodum in scirpo reperisse. Nos *textus* scribendum tenemus. Jam enim in principio *bis octonos fastos* dixit.

Cap. XXXVII.

Duo egregii loci Consulatus XVII. *explicati. Ianus præses fori, & sic custos justitiæ forensis. Iurare in leges. Ianus juratus in leges novi fori. Coronare. Statius alibi illustratus. Mores principum funduntur in subjectos. Mores Domitiani. Domitianus Censor. Ducum turba prior, pro, priorum. Martialis defensus. Lucem ducere.*

Decimo septimo Consulatu Domitiani:

Ianus agit, quem tu vicina Pace ligatum
Omnia jussisti componere bella, noviq;
In leges jurare fori.

Pulcherrimus locus, sed quem rari adhuc intellexerunt. Ait *Janum pace ligatum composuisse bella & jurasse in leges novi fori*, id est, obstrictum esse Ianum ad præstandam æternam pacem vigoremque legum. Alludit eo, quod qui magistra-

tum inibant, in leges jurabant: & quantum in ipsis erat, operam daturos se pollicebantur, ne solverentur leges, itaque potestatem temperaturos, ut leges supra se esse meminissent. Janus preses fori erat. Seneca Apocolocynth. *interrogatur sententiam Ianus pater. Is multa diserte, quod in foro vivat, dixit.* Et foris structis æque honorabatur ut templis Dij. Martialis lib. x. epigr. xxiix. Ea caussa merito presidium legum ei commendabatur, quatenus jus fascesque prætoris in foro exercebantur. Hanc curationem hujus fori legumque tum accepit, cum dedicatum est hoc novum Domitiani forum. Eaque novi fori tutela accepta, elegantissime *in leges novi fori jurasse* dicitur, ut jurabant in leges, qui magistratum inibant. Hoc discrimine, ut cum illi præfinito elapso tempore magistratu abirent, eumque ejurarent; & sic hac legum cura, ad quam extraordinario sacramento erant obstricti, solverentur; Jano, cui ad perpetuam durationem hoc forum dicatum, æternum quoque munus hoc mandatum sit: itaque perenne hoc forum, perennem legum justitiæque forensis vigorem præstare ille teneatur. idque ligatus vicino Pacis templo & bellis compositis: quia nempe inter arma silent leges, utque leges valeant, pace opus est. Sensus ergo hic est: apud quem tu tantum effecisti, quem eo adegisti, ut æternam pacem, æternam legum observationem in foro novo tibi receperit. Via Domitiana:

qui limina bellicosa Iani
Iustis legibus & foro coronat.

hoc est, claudit, ligat. Virgilius: *omnemq; aditum custode coronant.* Non percepit sensum hujus verbi

verbi Domitius. Suetonius etiam testatur, Domitianum jus diligenter & industrie dixisse. Quod indicat istis locis Statius. Nunc apparet, quantopere falsi sint, qui ista verba de sacramento in acta principis concipi solito capiebant. Cruceus inscitiam cum imprudentia cumulat. Confundit jus & jurisdictionem Prætoris, pro qua ubique *forum* pœne ponitur, cum potestate Consulari. Dein, jurabant, inquit, in leges more antiquo apud Consules. In hoc nota Augusti civilitas, qui Magistratu functus juramentum de more præstitit, ut est apud Dionem. Quæ conveniunt, si idem est *jurare apud Consulem*, & *jurare consulem ipsum*. De Augusto ergo hic dicitur, quod magistratu cum abiret, ejurarit. Quid sit *ejurare*, si ignorabat Cruceus, non nesciunt, qui antiquitatis sunt periti. Rursum *leges novi fori* sunt leges novi consulis, non principis. Atqui falsissimum est in leges novorum Consulum juratum, quamdiu urbs æterna stetit. Solius imperatoris in acta & leges solenne jusjurandum Kal. Jan. iterabatur. Sequitur mox in Papinio:

Moribus atq; tuis gaudent turmæq; tribusq;
Purpureiq; patres, lucemq; a Consule ducit
Omnis honos.

Non omnes capiunt, quare *moribus* Domitiani gaudere patres equitem & plebem dicat Papinius. Interpretes muti, nec defuerunt doctissimi homines, qui nos monuerunt scribendum: *Muneribusque tuis.* Quibus ut pro amore meritoque suo alia omnia cedimus; ita non putamus per hunc locum medicis esse licere. Si nihil aliud, certe digna laus *morum* Consule simulque

Imperatore, utpote a cujus moribus seculi pendet felicitas & in omnes exemplum spargitur. Etenim, ut verissime Claudianus,

componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Hinc Ovidius ad Augustum:

Vrbs quoque te & legum lassat tutela tuarum,
Et morum, similes quos cupis esse tuis.

Hinc Nervæ *mores* laudat Martialis lib. XII.

Macte animi, quem rarus habet, morumq; tuorum.

Trajani sæpe Plinius in Panegyrico & Martialis lib. XI.

Hunc omnes servate ducem, servate Senatum,
Moribus hic vivat Principis, ille suis.

Et rursum lib. XII.

Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et fruitur placido pax peregrina jugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

Ubi ridicule nonnulli ex interpretibus: *mores*, id est, præfectum æmulum tuorum morum. Sed peculiari ratione *mores* in Domitiano prædicat, qui *morum correctionem suscepit*, ut loquitur Suetonius c. VIII. Censorque fuit, prout a Martiali & Statio salutatur, *judex morum*, ut Juvenalis. Quod iste quoque voluit lib. IX. ubi gesta ejus satis magnifice effert:

Templa deis, mores populis dedit, otia ferro.

Sed advocemus locum, qui instar omnium sit ad asserendum Statium ex eodem libro:

Oderat ante ducum famulos turbamq; priorem,
Et Pallatinum Roma supercilium.

At.

At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Vt sit cuiq; suæ cura secunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta est reverentia vestri:
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsareanus habet.

Ita recte MSSC. Cod. non *priorum*. Eadem sententia. Sic Statius:

Nec minor his tu nosse fidem, firmamq; maritis
Reddere. Sic certe cineres umbramq; priorem
Quæris adhuc.

Id est, prioris, nempe, mariti. Hypallage est. Eodem libro scenicum quoque dicentem facit in epitaphio:

Non poteram gratus domino sine moribus esse.

Ipse autem & modestiam mire simulavit, teste Suetonio, & quia verecundia oris commendari se sentiebat, animi quoque pudorem sui laudari gestiebat. Quod arripuit artifex adulandi Martialis præfatione & Epigr. I. libri VIII. Quare quod sequitur in versibus Statii: *lucemq; a Consule ducit Omnis honos:* est Martialis verbis: omnes magistratus vivunt sanctis moribus Principis. Nihil in utroque vidit Morellus: sed vagatur, ut solet, extra oleas, & adductis Libanii aliorumque locis ostendit, quomodo universus populus gaudere solitus sit ob fasces consulatus principi delatos, quantusque etiam sub principibus Consulatus dignitas & splendor fuerit. Quorum utrumque ab hoc loco alienum. *Lucem ducere* est amittere sordes & vitia ordinum, nitoremque virtutis & morum trahere ab exemplo Consulis Imperatoris: enitent, inquit, omnes tuis in se moribus derivatis;

nihil ultra habent obſoleti, nihil vitii. Suetonius cap. VIII. *Magiſtratibus quoq; urbicis provinciarumq; præſidibus coërcendis tantum cura adhibuit, ut neque modeſtiores unquam neque juſtiores extiterint: e quibus pleroſque poſt illum reos omnium criminum vidimus.* Non omittenda hic verba Plinii in Panegyrico, quæ & Domitiani Cenſuram vellicant, & omnia, quæ diximus, egregie illuſtrant: *Ideo non Cenſuram adhuc recepiſti, non præfecturam morum, quia tibi beneficiis potius, quam remediis ingenia noſtra experiri placet. & alioquin neſcio an plus moribus conferat princeps, qui bonos eſſe patitur, quam qui cogit. Flexibiles quamcunque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, ſequaces ſumus. huic enim cari, huic probati eſſe cupimus: quod fruſtra ſperaverunt diſſimiles, eoq; obſequii continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus.* Et ſequuntur plura in hanc ſententiam.

CAP. XXXVIII.

Martialis loco difficillimo explicatur. Tertia dona ditant tribus Latias. Numerare. Statius emendatur & illuſtratur. Impetus nova notione. Surgi. Statius corrigitur iterum. Cadere. Delapſus cometes. Prolapſus. Merſus. Locus Claudiani, Manilii Sulpitiæq; illuſtratur & Silii. Liber campi. Opertum. Gaudens alti, gaudens loci. Achilleis emendatur. Tranquillus vultus, blandus vultus. Claudiano medicina.

RECte obſervant eruditi *tribus* interdum plebem, & in Conſ. XVII Domitiani Statio, notare. Recte etiam *tribus* interdum tribules, pauperrimam plebis partem ſignificare. Sed

quem

quem allegant eam in rem Martialis locum lib. VIII. Epigr. XV. involverunt adhuc potius, quam explicarunt. Verba sunt:

Dum nova Pannonici numeratur gloria belli,
Omnis & ad Reducem dum litat ara Iovem;
Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus.

Ios. Scaliger emendabat: *Atque litant Latiæ.* Is. Casaubonus: *Et libant Latiæ.* Ut & ante illum C. Sigonius, qui per *tribus Latias* intelligebat populos Italiæ civitate donatos, lib. III. de antiquo jure Italię. c. III. Itaque hic citat Bernartius. Alius cæcis oculis aut certe lippis cornicum confixurus oculos: *Et dicant Latiai tertia dona tribus.* ne referam G. Merulæ & C. Vitellii nugas. Optime restituit I. Gruterus, quomodo adscripsi: itaque omnino MSC. Pirckhaimeri. Vir doctissimus interpretatur: Per *Latias tribus* Romani populi tenuissimos intellige, quibus congiarium datum innuit autor. *Tertia dona* vocat munificentiam trium ordinum Urbis, Senatus, Equitum, Plebis. Quem sequitur alius vir eximius, ut per *tertia dona* capiat dona a tribus ordinibus Senatu, Equite, Populo collata in pauperes tribules & capite censos. Quæ se mutuo destruunt. Etenim si congiarium fuit, quomodo munificentia ordinum? Verissima aptissimaque Domitii Calderini interpretatio, *tertia dona* esse tertium ab imperatore post novā nempe Sarmaticam victoriam data. Quod ita accipies, ut tum tertia vice Imperator congiarium tribubus dederit, cum illa victoria esset nuntiata: non, ut ter dederit post illam victoriam. Ter autem Domitianum dedisse congia-

rium diserte ait Suetonius cap. IV. Et vidit hoc etiam CL. Gruterus, sed non intellectus iis, qui post eum manus huic loco admoverunt. Ita quadrant Plinii & Claudiani loca, quæ ambo de imperatoribus loquuntur. Sufficit Senatum, Equitem, Plebem ture pietatem suam testari: Cæsar autem egregia liberalitate auget jam tertium lætitiam tribuum. Elegans est *numerandi* verbum, subindicans, non primam eam belli Pannonici gloriam esse, quæ parta Cæsari: itaque pessime fecit, qui mutavit. Tacitus: *ostendite po. Rom. divi Augusti neptem eandemque conjugem meam: numerate sex liberos.* Claudianus:

Quoq; magis nimium pugnæ flammaret amorem,
Facta tui numerabat avi.

Nemesianus in Cynegetico:

Herculeosq; velint semper numerare labores.

Epulo Domitiani:

Tanta patet moles, effusæq; impetus aulæ
Liberior, campi multumq; amplexus aperti,
Æthereo & tantum domino minor.

Scribe: *effusæ qua impetus aulæ.* Notandus ἰδιωτισμὸς Statii, qui molem illam ædificii Cæsarei alte assurgentem lateque se efferentem extendentemque *impetum* dixit. Ut celsi montes altaque ac lata ædificia *petere æthera, protendere se, erigere, inclinare,* tanquam viventia, dicuntur. Virgilius: *geminiq; minantur In cœlum scopuli.* Idem: *attollit se diva Lacinia contra.* Lucanus: *Parnassus celso petit æthera colle.* Planicies contra *procumbere* dicitur Curtio lib. V. *jugumq; montium paullatim se dimittere.* Pietate Abascantii:

Est locus ante urbem, qua primum surgitur ingens
Appia.

Ita pulcherrime MSC. Medicæus. Idem verbum, quo usus in Lacrimis Hetrusci, ubi *surrexit in actus*: quo Lucilius, Virgilius, Livius, Seneca, sæpe Plinius aliique utuntur. Eadem syncope, quæ in *porxit*, pro *porrexit*. *Surgitur* pro *surrigitur*. Plautus Epidico: *lumbos surgite*. Virgilius: *& pocula porgite dextris*. Ausonius: *vel spe mihi porge fruendum*. In equo maximo nisus ille minantis cursum sublatisq; prioribus pedibus erecti equi *impetus* dicitur; *vivusq; per armos Impetus*. Quod qui non intelligat, pugnare putet cum illis, quæ supra de cautione accuratissimi vatis in imaginum habitu describendo disseruimus. Contra *cadere* dicitur, quod dependet, aut propendet. Silius: *imoq; cadit barba hispida mento*. Statius: *turbine conditus ruenti Prunorum globus*. Sic *lapsum montem* in 1. Thebaid. dixit pro vergentem. Thebaide tragœdia:

Partesq; lapsi montis exesas rotas.

Sic Claudianus lib. 1. de raptu Proserp.

augurium qualis laturus iniquum
Præceps sanguineo delabitur igne cometes.

Non est *præceps*, neque *delabitur*, inquit Scaliger. Defendere se putat Barthius ex Ovidio & Marone. Sed *præceps delabitur*, est, in abrupto, in præcipiti pendet. Ita autem ex duobus MSS. scribimus, non *in orbem*. Sic *genu prolapsum* Ausonius dicit Engonasi sidus, quod *nixum genu* Ovidius lib. VIII. Metam. Manilius:

Engonasi ingenicla nitens sub origine constat.

Ubi miror hærere Scaligerum, cum sensus sit expeditissimus. Ut oritur nixum genu, ita perstat. Hoc enim totum acumen est. Sulpitia in Satira: *Non trabe, sed tergo prolapsus*. Vere obser-

vavit maximus Casaubonus alludi ad proverbium Græcum: οὐκ ἀπὸ δοκοῦ ἔπεσεν, ἀλλ' ἀπὸ νοῦ. Vere etiam Rutgersius somnium Domitiani, quo gibbum sibi enatum esse viderat, respici: & *prolapsus* idem esse quod inclinatus. Puta quando cum *tergo* jungitur. In hujus enim vocis duplici notione, propria, quando cum *trabe* construitur, translata, quando cum *tergo*, lusus totaque difficultas est. Perinde ut τοῦ ἔπεσεν alia significatio est, cum ad τὸ δοκοῦ, alia, cum ad τὸ νοῦ applicatur. Sic obscurissimo vexatissimoque loco claram lucem evenisse arbitror. Non admodum diverse Maro lib. V. *incumbens humeris*, pro flexo & propendente prominenteque in humeros dixit. *Mersam narem*, pro inclinata & demissa Silius lib. X. de cane venatico:

Erroresque viæ solers per devia mersa
Nare legit.

Qui *mersam narem* interpretantur, quæ sit mersa odoribus, addendi sunt illorum venatorum censui, qui saltu capiebant apros, aut sagena lepores. Neque corrigendum tamen, *tersa*. *Mersa naris* est depressa, pendens & prona in gramen, ericam, campum, vestigia. Idem dicit Seneca, cum canes vocat *demissos nare*. Statius lib. VI. Thebaidos sic loquitur:

Ecce iterum immodice venientem eludit & exit
Sponte ruens mersusque caput.

hoc est, caput inclinatus infra humeros. Ibidem: *Collaque demersere humeris*, id est, inclinavere infra humeros. Qui id ab Lucano sumpserat, apud quem lib. VII. signa, *pondere pressum Signiferi mersere caput*. Hic non prætereundum, Romanam

nam

nam & Venetam editiones legere & distinguere:

Liberior campi, multumq; amplexus operti.

Et sane ita Statius scripsit. Tanta moles patet, qua substructio aulæ liberior est late circumjecta campi planitie, multumque operti, hoc est, tecti, complectitur. Dicit domum Domitiani cinctam esse longo æquore, seu capacissimo atrio, & vastum tectum continere. *Liberior* est plus quam liber: de quo usu comparativorum supra aliquid tetigimus. *Liberior campi*, ut apud Silium, *liber campi*, id est, quod ad campum. Ut *alti gaudens* (ubi alius vir doctus: *Nunc ait incandens*) defendimus in Soteriis Gallici. Quod nunc redit in memoriam exstare etiam lib. 1. Achilleid.

Illa nihil gavisa loci, sed cœpta fatigat
Pectore consilia.

Nam sic meliores MSS. non *locis*, quod vulgo est a corruptorum manu. *Opertum*, quod tecto inclusum est. Sic ergo legendum:

Tanta patet moles, effusa qua impetus aulæ
Liberior campi, multumq; amplexus operti,
Æthereo & tantum domino minor.

Nemo hæc antea, ut vulgo erant, intellexit. P. Scriverius tamen conjectabat: *multumque amplexus aperti. Ætheris, &c.* Verum putamus, quod diximus. Iterum hoc poëmate:

Tranquillum vultus & majestate serena
Mulcentem radios.

recte emendat Behotius, imitatusque est Claudianus lib. II. de Laud. Stil.

Blanda quidem vultus, sed qua non tetrior ulla
Interius.

Sic

Sic enim duo MSSC. non *vultu*. Item hoc epulo:

Parva loquor, nec dum æquo tuos, Germanice, vultus:
Talis ubi Oceani finem, mensasque revisit
Æthiopum &c.

Imitatio Ovidii, qui lib. ult. Metamorphosis de Julio & Octavio:

Ægea sic Theseus, sic Pelea vicit Achilles:
Deniq; ut exemplis ipsos æquantibus utar,
Sic & Saturnus minor est jove.

CAP. XXXIX.

Statius bis explicatus. Neronis fossa. Petronius ter illustratus. Tecta auro fulgentia. Piscina Luculli. Mare nascitur arvis. Horatio lux. Expellere. Expellere mare saxis. Sallustius correctus. Extrudere mare. Contracta, constrata æquora. Manilius emendatur.

VIa Domitiana:

Nec frangit vada montibusq; cæsis
Inducit Nero sordidas paludes.

Th. Marcilius ad spectacula Martialis per *paludes* Naumachias a Nerone exhibitas intelligit: easdemque ait esse illas, quæ *stagna Neronis* dicuntur Martiali. At si Domitium inspexisset, potuisset discere longe aliud in mente Papinio fuisse. Ille enim recte hunc locum intellexit, & etsi nullas autoritates allegat, verbis tamen fere veterum loquitur. Quæ ex ipsis repræsentabimus. Tacitus lib. xv. annal. *namq; ab lacu Averno navigabilem fossam usq; ad ostia Tiberina depressuros* (Severus & Celer) *promiserant squalenti litore &*

per montes adversos. Neq; enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cætera abrupta, aut arentia, ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis caussæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus est, manentq; vestigia irritæ spei. Suetonius: *Præterea incoabat piscinam in Miseno ad Avernum lacum, contectam, porticibus inclusam, qua quicquid totis Bajis calidarum esset, committeretur: fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per* CLX *milliaria, latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quot ubiq; essent custodiæ, in Italiam deportati; etiam scelere convictos non nisi ad id opus damnari præceperat.* Plinius lib. XIV. c. VI. *Antea Cæcubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano, quod jam intercidit & incuria coloni lociq; angustia: magis tamen fossa Neronis, quam a Bajano lacu Ostiam usque navigabilem incoaverat.* Quibus in locis & sensus Papinii & singula prope verba. Cæterum hanc ipsam Neronis insaniam, quamque Tacitus signat ibi, ut putat: *rudere accipiendo Hostienses paludes destinabat*: flagellare omnino existimat Jos. Gonsalius versu illo Petronium:

Expelluntur aquæ saxis: mare nascitur arvis.

Quasi scilicet *flumen* mare esset, & *rudus in paludes convehere*, expellere aquam saxis. Miseros vero Romanos & iniquam fortunam, cujus invidia illi, qui ante bellum civile vixerunt, expiare debuerunt, quę post tot annos improbus Nero deliravit. Ejusdem notæ est, quod illo: *Ædificant auro:* Neronis domum auream significari ait. Minime: sed illi, quos Cicero denotat in Paradox., quod *marmoreis tectis ebore & auro ful-*

fulgentibus abundent. Et iterum, quod *aurata tecta in villis & sola marmore faciant.* Tibullus: *Aurateve trabes, marmoreumq; solum.* Quos Horatius, cum negat *in domo sua renidere aureum lacunar.* Sed illud *mare nascitur arvis*, nescio quid velit Barthius lib. XXIII. Adversar. c. 11. cum ex Tiburtino Manlii intelligendum esse ait. Nos scimus de piscinis C. Sergii Oratæ & Luculli id accipiendum. Varro: *ad Neapolim L. Lucullus posteaquam perfodisset montem & maritima flumina immisisset in piscinas, quæ reciproca fluerent, ipse Neptuno non cederet eo piscatu.* Valerius Maximus: *ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus, pisciumq; diversos greges separatis molibus includendo* &c. Tibullus:

Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.

Neque alia mens Columellæ, cum ait, *lautitias locupletum maria ipsa Neptunumq; clausisse,* lib. VIII. c. XVI. hoc est, maritimam aquam in piscinam immisisse, partemque receptam piscibus coërcendis objecta mole clausisse. Horatius lib. II. od. XV.

Iam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent: undiq; latius
Extenta visuntur Lucrino
Stagna lacu.

Lambinus alludere Horatium ait ad portum Julium, quem Augustus Cæsar apud Bajas effecit immisso in lacum Lucrinum & Avernum mari. Male. Dicit enim stagna privatorum videri undique latius porrecta extentaque, quam lacus Lucrinus est, quem natura effecit. Vide Plutarchum in vita Luculli. Jam ut prius quo-

que

que hemistichion attingamus: *expelluntur aquæ saxis* est pilis saxeis. Virgilius lib. IX. Æneid.

Qualis in Euboico Bajarum litore quandam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam jaciunt ponto.

Sic Statius: *Chalcida fluctus Expellunt fluvii.* hoc est, semovent. Vir doctus interpretatur cum Domitio dirimunt & disjungunt. Nam dum Chalcidem a continenti disjungit Euripus, necessario intermedium solum fluctuum vehementia expellitur atque ejicitur. Sed aliud est *Chalcida expellere*, aliud solum intermedium inter Chalcida & Bœotiam expellere: quamvis sensus eodem recidat. Hoc solum nihil aliud est, quam vadum sive alveus Euripi: *Expellunt fluctus Chalcida* est introrsus Eubœam agunt Chalcida resciſſam a Bœotia, ut Petronio *saxa expellunt aquas*. Lucanus:

Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.

Idemque alibi:

Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus,
Euripusq; trahit, cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.

Hyperbole poëtica est, quasi Chalcis admota prius Bœotiæ fluctu fluvio ablata, & in Eubœam vehementia fluctus contractam pulsa & summota sit, nullo intermedio solo per undas avecto. Quod Petronius, idem M. Seneca *maria submovere projectis molibus* lib. V. declam. V. Horatius *summovere litora* lib. II. od. XVIII. quem adde lib. III. od. I. Ovidius: *cærulea mole fugantur aquæ.* Sallustius bello Catilin. *Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in extruendo mari &*

ri & montibus coæquandis &c. Ita habent MSSC. Codices. Haud dubie vera lectio est: *in extrudendo mari.* Ita Cæsar lib. III. de bello Civili: *ac si quando magnitudine operis forte superati extruso mari aggere ac molibus, atq; his ferme mœnibus adæquatis, suis fortunis desperare cœperant* &c. Quod Petronio *expellere aquas*, aliis *summovere, fugare, agere introrsus*, hoc Sallustio & Cæsari *extrudere*. Neque enim ibi dixit aliud quid quam supra: *a privatis compluribus subversos montes, maria contracta esse*, hoc est, extrusa. Miror magnos viros *constrata* malle, quod tolerari non potest. De Xerxe ita loquuntur veteres, sed multitudinem navium ejus intelligunt, & pontem natantem, seu *magna pontum sub classe latentem*: quale quid nulli privato Romanorum convenit. Manilius lib. I.

Persidis & victor, straverat quâ classibus æquor.

Ita scribendum. Vulgo, *qui*. Quod Scaligerum decepit, ut inter fortissimos heroes Xerxem collocaret, timidissimum hominem, postremum in prælio, primum in fuga, qui fœmina fortissime pugnante in litore otiosus spectator sedebat: ut deinde putaret *victorem Persidis* dici pro rege. Atqui Themistoclem dicere voluit Manilius. Livius lib. XXXV. Curtius lib. IX. Claudianus lib. II. in Rufinum sic locuti sensu, quo dictum. MSC. Vossii: *constricta*; alterque ejusdem: *constructa*. Quod si cui illud placebit, *constructa maria* bene dicentur in piscinas redacta, quę nascuntur arvis: ut *structum stagnum* Tacito, *circumstructus lacus* Suetonio. Itaque supra *exstruere mare* pro struere simpliciter acci-

piendum.

piendum. Ut *instruere*. Curtius lib. v. *saxea pila, qua totum onus sustinent, instructa sunt*. Tertullianus Apolog. *qui hominem de humo instruxerit*. Et sic hi loci ad actotelcution Petroniani versus pertinerent. *Subversi montes* essent perfossi. Certe ex alterutro alter locus emendandus. Omnes autem quos allegavimus, ante Neronem vixere & ejus molimina ne suspicari quidem potuere. Perstringunt ut plurimum Oratæ, Luculli, sive horum qui similes, luxum: de quo Plutarchus, Dio, Plinius, alii. Vellejus: *L. Lucullus summus alioqui vir, profusæ hujus in ædificiis convictibusque primus autor fuit: quem ob injectas moles mari & receptum suffossis montibus mare haud infacete Magnus Pompejus* (Tuberoni Stoico dictum hoc dat Plutarchus) *Xerxem togatum vocare assueverat*. Mire fallitur doctus vir, qui contra historiæ consensum aliam causam istius nominis adsignat, ad Florum. In Arbitro sane ferrem Gonsalium, si dixisset, curate eum induxisse Fortunam illa maxime luxus & profusionis genera, in hominibus ejus ævi culpantem, quę suo tempore Nero revocaret, itaque severitatis Satiricæ aculeos in Neronem erexisse,

R CAP.

CAP. XL.

Statius bis illustratus, bis correctus. Campum tollere cursu, pro, facere ut brevior videatur. Manilius emendatus. Scenæ. Densitas. Admovere. Recidere. Silius correctus. Invehere undis sidera. Manilio lux. Avidum solum. Lucanus illustratus. Levare. Lechiæ, vel Lechæum portus Corinthi versus Occidentem. Dextræ, manus. Emere, mercari dextras. Silius explicatus. Manus Procuratorum in provinciis, centuriones Legatorum. Taciti difficilis locus correctus & explicatus. Strictus amnis, ligatus.

VIa Domitiana:

Hic scenis populi vias gravatas
Et campis iter omne detinentes
Longos eximit ambitus, novoq;
Injectu solidat graves arenas.

Corruptissimum hunc locum docti viri dicunt. Sed vereor, ne magna ipsorum culpa hoc evenerit, edito *gravatas* ex Domitio pro *gravantes* quod erat in Aldina & hanc sequentibus. Est enim ita construenda oratio; *hic eximit longos ambitus, qui gravant vias populi scenis & iter omne campis detinent*. Quę sententia etiam in omnibus fere editionibus mala distinctione turbata est. Et inde profluxit, quod Aldina *campos* pro *campis* male posuit. Mirari autem subit, eruditos sæpe de verbo uno caprinum prælium miscere, integram sententiam intactam relinquere. Ut autem Statius noster, *eximere ambitus campis iter detinentes*, ita *tollere campum cursu*, pro celerrimo cursu breviorem facere Manilius lib. v.

Nunc

Nunc stadio fraudare fidem, poteritq; videri
Mentitus passus, & campum tollere cursu.

id est, tollet fidem passuum numero, poterit videri non tot passus superasse & facere velocitate cursus, ut non credatur inter metam & carceres campus interesse, qui tam subito ab his ad illam volitarit. Ita omnino scribendum ex Gemblacensi codice. *Contrahere lacum,* pro facere ut minor videatur, Plinius lib. VIII. Epist. Insulæ herbidæ *modo hac, modo illac lacum reddunt auferuntque: ac tum demum, cum medium tenuere, non contrahunt.* Nunc videndum, quid sit *scenis.* Domitius suppofuit: *Cœno hic populeo vias gravatas. Cœnum populeum* dicit populeta palustria, quæ in Amyclano sinu fuisse scribit Plinius. Bernartius locum fœde corruptum fatetur: sed quid ab eo novi exspectes, cum nec Politianus, nec Parrhasius, nec Lipsius aliquid aliud prodiderint? Scidæ Gruteri: an vult non potuisse perficere iter diurnum, & venire ad hospitia: ideoque coactos sub scenis dormire nocte, eisque impedire vias agrorum adjacentium. Ita recte, construendumque: *hic vias eximit gravatas scenis populi & eximit longos ambitus detinentes iter omne campis.* Sed tamen non mansisse noctem sequentia arguunt, quando inquit iter diei factum bihorium. Gevartius magna cum asseveratione corrigit, *schœnis. Schœnus,* juncus, canna. Nec minore confidentia Cruceus ad cœnum versandum redit, scribitque velut ex conjectura sua: *Hic cœno populi.* Quasi non ex priore Parisiensi hoc adoptatum sit. Retineo vulgatum *scenis. Scenæ* sunt arbusta implicata, immissis in alios ramis. Isidorus in Glossis: *Scena arborum*

densitas. Ubi notabile postremum verbum propter illa Plinii: *meta demum aspectu non repudiata, distinguendis tantum pinorum ordinibus: nunc vero tonsilis facta in densitate parietum, coërcitaque gracilitate perpetua.* Philostratus ἡρωικ. σὺ δὲ καὶ σκηνὰς φυτεύεις, ξυμπλέκων τὰ δένδρα καὶ ξυναρμόττων, ὡς οὐδ' ἂν στέφανόν τις ἐκ λειμῶνος ἀκηράτου ξυμβάλοι. Isidori glossa procul dubio ex Virgilio efficta est:

Æquora tuta silent: tum silvis scena coruscis
Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.

Hinc *scenæ* in comœdiis, qui initio virides plexæque erant arbores aut frutices: quę postea secretam speciem *tabernarias* fecerunt: & ita *Scenopegia* Judæorum festum. Ergo *ambitus gravantes viam publicam scenis*, id est, implicatis & ut forte natis, ita mixtis & fere imperviis, certe impedientibus, arbustis & fruticetis. Hoc *fœdum nemus* appellat infra:

Qui fœdum nemus & putres arenas
Celsis pontibus & via levabit.

Ammianus Marcellinus lib. XVII. *ubi pleraque humidioris soli natura & incrementis fluminum redundantia, stagnosa & referta salicibus, ideoque invia, nisi perquam gnaris.* Hac via Domitiana:

Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ
Gauranosque sinus & æstuantes
Septem montibus admovere Bajas.

Elegenti forma, ad quę itur, aut vicinior via reperitur, ea *admoveri* dicuntur. Eadem hypallage Seneca: *admoveri lineas sentio.* Et alibi: *Tantum si Homero fides est, aberat a continenti Pharos, quantum navis diurno cursu metiri plenis lata velis potest: sed continenti admota est.* Plinius lib. XII.

arbore

arbore sulcamus maria, terrasq; admovemus. Ejus nepos in Paneg. ad Trajanum: *magnificum, Cæsar, & tuum, disjunctissimas terras munificentia ingenio velut admovere immensaq; spatia liberalitate contrahere.* Contra *recedere* longius dicitur, quo difficilior fit via. Apud Valerium Flaccum lib. v. inquit Jason Tiphys post obitum: *heu quantum Phasis, quantum Æta recessit?* Aut unde nos recedimus, cum ipsum immotum sit. Silius lib. III.

Donec iter liquidum volucri rapiente carina,
Consumpsit visus pontus, tellusq; recessit.

Ita enim scribendum est. Vulgo pessime: *tellus pontusq;.* Unde Barthius: *tellus pone usq;.* Sed voces erant transpositæ. Ejus generis est, quod apud Manilium jamdudum summis viris negotium facessit, lib. v.

non invehet undis
Sidera, nec pelagus Xerxes facietq; tegetq;.

Quod Bonincontrius explicat: non quærent nautæ in mari Helicen aut Cynosuram. Non adeo inepte quam putavit vir illustrissimus. nam similiter Manilius lib. IV. de sub pisce nato: *pervenit in astra Et pontum cœlo conjunxit.* Ille igitur corrigit: *non invehet undis Sipara,* pro *Suppara,* probante Lipsio ad Epist. LXXVII. Senecæ. Satis apparet ponendum aliquid fuisse, quod vel primum, vel solum, vel certe maximum Xerxis opus fuit. At nec primus ille vela fecit, nec primus siderum artem monstravit: neque tum temporis magnum hoc ultra erat, sed pervagatum. Non felicius C. Barthius, qui *invehere undis sidera* miro acumine explicat omnem fortunam pelago quærere & instar deorum illi dominari velle. Sed *invehere undis*

ſidera eſt dictum, ut in illis *admovere*: pro undas ſideribus invehere vel admovere, nempe excelſiſſimo monte navigabili facto & velificato. Quo nihil pote doctius. Eſt enim Hyperbole Poëtica, quaſi Xerxes non excavaſſet Atho, ſed in ipſius, ſicut erat, cacumen mare erexiſſet. Perquam eleganter obſervant veteres εἶναί τινας ὑπερβολὰς ἐπὶ ὑπερβολαῖς, ὡς τὸ κουφότερον εἶναι φελλοῦ σκιᾶς, δειλότερον ἢ λαγὼ Φρυγός, ἐλάττω δ᾽ ἔχειν γῦν τοῦ ἀγρὸν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς. Et ſane varie in hanc regis magni inſaniam autores ludunt, ut augendo miraculum elevent. Martialis:

Puris leniter admoventur aſtris
Celſa culmina delicatæ villæ.

Hypallage Maniliana diceretur: *aſtra admoventur culminibus villæ.* Via Domitiana:

Sorbebatq; rotas maligna tellus.

Quam *malignam tellurem* Statius, eam *avidum ſolum* dixit Lucanus lib. II.

Stagna avidi texere ſoli, laxæq; paludes
Depoſitum, Fortuna, tuum.

Nempe quod cedit, aquamque & innitentia haurit. Male ſcriptus codex: *uvidi*. Vetuſtiſſima Ro. editio, quam primam fuiſſe reor, *Stagna vidi*. Unde apparet literam *A* abſorptam eſſe a voce præcedente. Tum inter *A* & *V* in antiquioribus libris parum diſcriminis eſt. Diodorus Siculus de Sorbone exitioſa palude Ægypti: ἡ γὰρ ἄμμος ἐκ τοῦ κατ᾽ ὀλίγον πατουμένη τὴν ἔνδοσιν λαμβάνει, καὶ τοὺς ἐπιβάλλοντας ὥσπερ προνοίᾳ τινὶ πονηρᾷ παραχρούεται). Inferius:

Hi ferro ſcopulos trabeſq; levant.

Hæc vera lectio eſt ſervata in MS. Flor. & ed. Romana, Venetaque & ab A.V: Fr. Lindenbrogio

brogio in textum aſſumpta merito ſuo; quem vide ad Herc. Surrentinum, ubi: *his cadere ſilvas Et levare trabes.* Probaverat eandem & Gruterus. In Thebaide:

Pars teretes levare manu ac diſponere menſas.

Ubi tamen paulo aliter accipiendum; & bene Scholiaſtes, qui explicat, *lucidas facere.* Sumpſit hoc ab Homero: παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν. Ξεστὸν enim γλυπτὸν, λεῖον, ποιητόν. Apud M. Senecam *levatum pavimentum* τὸ ἐξωμαλισμένον ἔδαφος. L. Seneca ad Helviam: *magni levatiq; menſarum orbes.* Non debuiſſent hanc gemmulam ſpernere, qui ſecuti ſunt, editores. Inferius:

His parvus (Lechiæ niſi vetarent)
Inous freta miſcuiſſet Iſthmos.

Hoc ultimo probatum Gevartio & Cruceo, qui aliorum molitiones recenſent. Ille graviter impingit, cum confundit Iſthmum Corinthiacum & Cnidium. quorum alter in Achaia inter Ionium Ægæumque mare; alter in Pentapoli Dorienſium ad mare Triopium. Suum enim Iſthmum conati ſunt perfodere Cnidii, non Corinthiacum: ſed eos, etſi multa manu id aggreſſos, prohibitos affirmat Herodotus, quod in aſperis locis ſilex ſæpe impenetrabilis ferro occurreret, & cum alias corporis partes, tum præcipue oculos fragmenta petræ infeſtarent. quo poſt acceſſit religio & dictio Apollinis Delphici. Prius illud impedimentum, quod Cnidiis obſtitit, Neroniano muneri objecit Statius. Diſertim namque narrat Philoſtratus lib. v. de vita Apollonii Thyanenſis: ἡ ὀρυχὴ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Λεχαίου λαβοῦσα στάδια προὔβη ἴσως

πέτρα, ξυνεχῶς ὀρυττόντων. Hinc ſubjungit deſtitiſſe Neronem ob eaſdem cauſſas, quas ex Luciano Muſurus protulit: ἦν μὲν, Αἰγυπτίων φιλοσοφάντων αὐτῷ τὰς θαλάττας καὶ τὸ ὑπὲρ Λεχαίου πέλαγος ὑπερχυθὲν ἀφανιεῖν εἰπόντων τὴν Αἴγιναν· ἦν δὲ, νεώτερα περὶ τῇ ἀρχῇ δεδιέναι. Poëtæ autem non putant ad rem pertinere verum dicere, ſed aut neceſſitate coacti, aut decore corrupti id quæque vocari jubent, quod belle facit ad verſum; nec illis fraudi eſt, ſi aliud quid in cenſum detulerunt, ut loquar cum Seneca. Senſus igitur hic eſt, ut Gevartio placet: Iſthmos, his tot hominibus laborantibus parvus & facile ſuperabilis, fuiſſet perfoſſus, niſi obſtarent Lechiæ ſaxoſum illud promuntorium: cujus viam aſperam fuiſſe Phrances in Chronico fidem facit. In quo nihil ille abſurdi eſſe putat. Quod nos tamen ipſi non credimus. Quid enim? hæ tot manus perfodiſſent Iſthmon, niſi illis obſtaret idem, quod anterioribus, qui eandem rem tentarunt. Nam Demetrium regem (de quo & Strabo lib. 1.) & Dictatorem Cæſarem navigabili alveo anguſtias illas perfodere infauſto omnium exitu tentaviſſe teſtatur Plinius. Hi vero quoque perfeciſſent inſtitutum, ſiquidem illud impedimentum commode amoliri potuiſſent. Quid ergo magnum hic de Domitiani manibus dicitur, ſi nihil eas ſupra priores potuiſſe audio? Apage tam ineptum ſenſum. majus dici debuit. Scripſit Papinius, ſi quid video:

His parvus (Lechia nihil vetarent)
Inous freta miſcuiſſet Iſthmos.

hoc eſt, ſi tu velles, Cæſar, hæ manus facile Iſthmum

Isthmum parvum jam nec magni operis censendum perfoderent: nec obstarent ipsis Lechiæ, quę cæteris inexpugnabiles fuere, aut quæ maximum negocium facerent. ut non alludat ad causas irriti conatus priorum, sed simpliciter nominet Lechæum, in quo maximus sudor laborque erat futurus. Ortum vitium ex scribendi compendio, quod sæpissime in vett. libb. *nisi* & *nihil* confudisse ipsi observavimus. Lucanus:

Tot potuere manus conjungere Seston Abydo;
Ingestoq; solo Phryxeum elidere pontum;
Aut Pelopis latis Ephyren abrumpere regnis.

Quem Statius imitatus est. Turnebus frustra pro *parvus* conjectat *palmis*. Prçcesserat enim & huc repetenda est *dextrarum* mentio. *Dextræ* pro manibus ponuntur: *Manus* pro omnibus illis, quorum opera manuaria est, viribus & labore constat. Quæ cum protrita sint, non immorabor illis, nisi ut de utroque insignes duos locos alterum Silii, alterum Taciti expediam. Illius est lib. XI. in orat. Magonis ad Senatum Carthaginiensem:

Adnitamur, ait; vires refovete tot haustas
Casibus, & pateant non parca æraria dextris,
Quas emimus bellis.

Dextris, inquit P. Marsus, id est, manibus nostris, ut pugnando meruimus. Cui cur succenseam? homini bono, & qui, ex veteri verbo, nec sibi nec alteri. At eruditissimus vir fatetur se ignorare, quę sit sententia horum verborum, lib. IV. Adverſ. c. X. *Dextræ* sunt manus militares. lib. XV.

Inde legit dignas tanta ad conamina dextras.

Dextræ, quæ emuntur bellis, id eſt, ad bella, ſunt operæ mercedibus emptę, milites mercenarii. Feſtus: *Emptivum militem, mercenarium.* Alludit vox illa Galbę antiqui impetus, *legi a ſe militem, non emi.* Curtius: *Sicut tu proxime talentis mille tanti exercitus rex percuſſorem in me emere voluiſti.* id eſt, pacta mercede conducere. Tacitus: *ne quis ad cauſſam orandam mercede aut donis emeretur.* Sic *faciles emi puellæ* Statio. Conſtabat autem exercitus Hannibalis ex iſtiuſmodi. Polybius, Livius, Plutarchus. Silius lib.v.

Tu,quo non alius venalem in prælia dextram
Ocyor attulerit, conductaq; bella probarit.

Lib. xv. de Haſdrubale: *Mercandi dextras largus.* Et poſt paulo:

Hinc nova complerunt haud tardo milite caſtra
Venales animæ.

Dicit ergo Mago, quod apud Livium, *mittendam in ſtipendium pecuniam:* recludendum ærarium & largiter ſolvenda æra manibus mercenariis,ad bellum emptis. Taciti locus eſt in vita Jul. Agricolę, qui mire exercuit Lipſium, Salinerium, Acidalium, Pichenam: *æque diſcordiam præpoſitorum, æque concordiam ſubjectis exitioſam: alterius manus, centuriones alterius vim & contumelias miſcere.* Ita fidenter ajo ſcribendum eſſe. *Manus* intellige Procuratoris, *Centuriones* Legati: utrique autem vim & contumelias miſcebant. Per *manus* debent intelligi & ſervi procuratoris cohorſque ejus: & geminus his locus eſt lib. xiv. Annal. *Rex Icenorum Praſutagus longa opulentia clarus Cæſarem heredem duaſq; filias ſcripſerat, tali obſequio ratus regnum & domum ſuam procul injuria fore.*

quod

quod contra vertit. adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur. Cicero lib. II. in Verrem, quanquam de Prætore agens, sublimiore potestate, egregie tamen hęc illustrat: *Comites illi tui delecti manus erant tuæ: præfecti, scribæ, medici, accensi, haruspices, præcones manus erant tuæ; quo quisq; te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit.* Et deinde manus militum, quibus illi excedentes modum potestatis a Cæsare concessę per conniventiam legatorum utebantur ad libidinem suam. Sic lib. IV. Annal. *adeo ut procurator Asiæ Lucillius Capito accusante provincia caussam dixerit, magna cum adseveratione principis, non se jus nisi in servitia & pecunias familiares dedisse. quod si vim prætoris usurpasset, manibusq; militum usus foret, spreta in eo mandata sua.* Ita de Judæis & Samaritis lib. XII. *aliquando congredi, spoliaq; & prædas ad procuratores referre. hiq; primo lætari, mox gliscente pernicie cum arma militum interjecissent, cæsiq; milites &c.* Etiam Hadrianus Cęsar, legatus tum prætorius, in Pannoniam inferiorem missus ab Trajano disciplinam militarem tenuisse, *procuratores latius evagantes coërcuisse* dicitur Ælio Spartiano. De Centurionum impotentia conqueritur etiam Civilis lib. IV. Histor. *quando legatum gravi quidem comitatu & superbo cum imperio venire? tradi se præfectis centurionibusque, quos, ubi spoliis & sanguine expleverint, mutari.* Puto nunc omnia in Tacito clarissima esse etiam mediocriter doctis, ubi summis olim viris Cimmeriæ tenebræ. Via Domitiana;

At flavum caput humidumq; late
Crinem mollibus impeditus ulvis.

Ita bene Swartius. Sic lib. IX Thebaid. *& nexa virentibus ulvis Cornua concutiens.* Ovidius de Rheno: *viridi male tectus ab ulva.* Iterum via Domitiana:

Sed grates ago servitusq; tanti est,
Quod sub te duce te jubente cessi,
Quod tu maximus arbiter meeq;
Victor perpetuus legere ripa.

Ita Aldina & pro hac scriptura allegat Politiani autoritatem Bernartius. Quę nobis tanti non est, ut hoc fidejussore corrumpamus autorem & exsulem esse jubeamus veram lectionem, quam servavit Rom. & Ven. Codex: *Sed grates ago strictus, atq; tanti est.* Quam quod spuriam vocat Bernartius, castigationem merebatur, nisi umbra tanti viri se tueretur. Verbum *strictus* adserit ipse Statius, quando ait:

Qui me vallibus aviis refusum
Et ripas habitare nescientem
Recti legibus alvei ligasti.

Lucanus: *nec ripis alligat amnem.* Nempe *ligare* hic, quod ibi *stringere.* Eademque sententia in sacro Jobi libro: *fasciasti flumina a fletu.* Quin & male oratio cohęret, quam interpolat importunum *servitutis* vocabulum. Ego amnis *strictus,* legibus ligatus, etiam grates ago: atque tanti, ut gratias agam, hoc est, quod sub te duce jubente cessi & in ordinem coactus sum. Etiam alterum *te* ignorat Rom. Codex; sed ejus loco *nunc* habet. Ita ergo scribendum:

Sed grates ago strictus, atq; tanti est,
Quod sub te duce nunc jubente cessi.

CAP.

CAP. XLI.

Statius sæpius illustratus, semel emaculatus. Opertæ, clausæ pharetræ. Tegmina armorum. Tectum ferrum. Autor Thebaidis emendatus. Muta spicula. Nemesiano medicina & lux. Erigere. Lucretius emendatus, itemq; Valerius Flaccus. Abire. Meleagri epigramma ἀνέκδοτον publicatum.

EPistola ad Marcellum:

Et fontes operit pharetras arcumq; retendit
Parthus.

Alludit ad thecas sive integumenta, quibus vacantia arma includi solebant. Cęsar lib. II. de bello civili: *meridiano tempore cum alius discessisset, alius ex diuturno labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma vero omnia reposita contectaq; essent.* Qui & scutorum tegmenta agnoscit lib. II. de bello Gallico. Lactantius ad I X. Thebaid. *Coryton theca arcus solius dicitur, sicut pharetra sagittarum, & sagma scuti.* Alludit autor Octaviç:

Bella haud movebit; pace sed ferrum teget.

Claudianus de nuptiis Honor. & Mariæ: *gladiosq; tegat vagina minaces.* Bene ergo Martialis:

Splendida jam tecto cessent venabula ferro.

Ubi τὸ *splendida* opponitur ferarum sanguine cruentatis. Cassiodorus: *Quapropter abstine noxiam, lictor, securim, cui licet impune facere, quod in aliis cognosceris vindicare: ama paulisper ferrum splendidum, non cruentum.* Atque ita restituendum in Thebaide Tragœdia:

Vibrata dextra tela suspensa tenent:
Paci favetur: omnium ferrum latet,

Cessatq; tectum; vibrat in fratrum manu.

Sic omnes op. Cod. MSSC. quos nos partim, partim vir summus I. Gruterus consuluit. Sed cum sensum pulcherrimę lectionis non perspiceret, & misere se torsit, & vulgatum retinuit: *Cessatque: telum vibrat in fratrum manu*. Quod ineptum est. Sed longe stultius: *Ceßatq; telum vibratum fratrum manu.* Istic dicitur: omnes condiderunt enses fratribus exceptis, in quorum manu vibrant. Sic opposita istis, in Thebaide, *nudata arma*, alibi *Detegere, retegere*. Lucanus: *Detege jam ferrum*. Et alibi: *quem protinus ille retecto Ense ferit*. Silius:

Tum strictum propere vagina detegit ensem.

Sed prorsus Papinii versum ob oculos habuisse videtur Nemesianus in Cynegetico:

Imbellemq; fugam referam clausasq; pharetras
Parthorum, laxosq; arcus & spicula muta.

Ita optime vetus codex. Sed male *muta spicula* obtusa, retusa explicantur a nobilissimo viro. *Muta spicula* sunt quiescentia, quæ nō per aërem sonanti arcu impulsa stridorem edunt. Lucanus: *Scythicæ strideret arundinis aër*. Suaviter Euripides τοξήρεις ψαλμοὺς dixit in Hercule For. ὃς ἔκανεν ἄλοχον, ἔκανε δὲ τέκεα τοξήρει ψαλμῷ. Sic Ione, ψαλμοὶ τόξων. Homerus:

Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.

Silius: *stridentis sibila teli*. Dionysius Periegetes de Parthis:

Αἰεὶ δ' ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων
Ἠ βελέων.

Eadem epistola ad Marcellum:

fractas ubi Vesbius egerit iras,
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.

Romanus

Romanus Venetusque codex: *erigit iras.* Quod non possum non probare. Epicedio in Patrem: *exemptum terris ad sidera montem Sustulit.* Ex Virgilio desumpsit id verbum, qui de Ætna:

Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit eructans liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat.

Idem similiter de Charybdi:

Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos.

Silius Italicus lib. 11.

erigit atro
Vndantem fumo regius alta ad sidera nubem.

Et ita eleganter, si per librarios licuisset, Lucretius lib. v.

Sic unumquidquid paulatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis erigit oras.

Ita MSC. opt. Vossii, & πολυμαθεστάτε, & hic & in fine libri, ubi illi versus repetuntur. At librarii *eruit* subdiderunt. Statius lib. VII. Theb. *falso Nemeæum pulvere campum Erigit.* Tacitus: *extrema & plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras.* Quæ eo libentius notavi, quod doctissimum virum de sanitate Maronæi loci dubitare memini. Sic apud Valerium Flaccum lib. I. olim vulgatæ:

Talia conanti lævum Iovis armiger æthra
Advenit, & validis fixam erigit unguibus agnam.

Ne dicam & melius convenire validis unguibus viribusque aquilæ & plenius repræsentare omen illud *erigit.* At Carrio supponit, *gerit:* quod nunc habent editiones. Rursum in Epistola ad Marcellum:

Mira fides! credetne virum ventura propago,

Cum

Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt,
Infra urbes populosq; premi? proavitaq; toto
Rura abiisse mari? nec adhuc letale minari
Cessat apex.

Domitius notat: nam aliæ terrę provolutæ sunt in insulas illic, ut Prochyta, Pithecusæ: aliæ sunt terrę motu absorptę. Quasi vero illo Vesuvii montis effluvio primum natæ illæ insulę essent. *Proavita rura* dicit respectu venturę posteritatis, quę ipsa, quę rura avita possidebit, vix credet ita periisse. MS. Flor. *Rura deesse mari.* Quod sive quis probabit, sive retinebit vulgatum (ut faciendum putamus) hic sensus est: mirabitur posteritas, & vix credet omnia illa proavita rura, quę tunc forte restituta erunt, & arabuntur, mari Vesuvioq; adjacentia, periisse, abiisse, invisa nostro ævo facta esse. Quomodo? nempe quę cineribus lapidibusque & aliis reliquiis incendii obtecta latissimum veluti & perpetuum bustum erant, non rura. Martialis de iisdem:

Cuncta jacent flammis & tristi mersa favilla.

Abire sic utitur Seneca Medea:

Mecum omnia abeant: trahere cum pereas, libet.

Prope finem legit Gruterus: *feram, fluctus an sueta.* Et assentior. *Feram* habet Romanus codex. Fine ipso:

Iamq; vale & penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta. nec enim Tirynthius alma
Pectus amicitia: cedit tibi gloria fidi
Thesecs, & lacerum qui circa mœnia Troja
Priamidem cæso solatia traxit amico.

Vulgata sanissima est, tantum obscurior defectu verbi substantivi. Quem frequentem no-

stre

Vero alibi quoque notamus. Sic in pietate Abascantii: *in eodem angusta phaselus Æquore*, scilicet, est, fertur. Gevartii est, non Statii, *it eodem*. Sic alibi: *expositi census & docta fruendi Temperies*. scilicet, adsunt tibi. Dein summos viros impedivit, quod non videbant, cur Statius Herculem a pectore amicitiæ excluderet, cum intelligerent absolute dicta verba illa: *nec enim Tirynthius alma Pectus amicitiæ*: quę comparate accipienda sunt. Ut in Coma Earini inquit Venus:

Nil ego, nil penitus toto jam dulce sub orbe
Aut vidi aut genui.

non quod revera nihil pulchrum ex Venere natũ esset, aut nihil ei pulchrum visum: sed quod nihil pulchrius, quodque reliquę formæ omnes hac superarentur. Hos sensus desumpserat Poëta ex Gręco epigrammate Meleagri, quod nunc primum ut publice legatur, facimus:

Ἀρνεῖται τὸν Ἔρωτα τεκεῖν ἡ Κύπρις ἰδοῦσα
Ἄλλον ἐν ἠιθέοις ἵμερον Ἀντίοχον.
Ἀλλὰ νέοι στέργοιτε νέον πόθον. ἦ γὰρ ὁ κοῦρος
Εὕρηται κρέσσων ἄλλος Ἔρωτος Ἔρως.

Non celebranda, inquit Statius, mira fides Herculis, quæ tibi comparata nulla est: cedit etiam Theseos gloria & Achilles vincitur. Sic lib. IX. Thebaid. Polynices lugens Tydea:

Quin etiam Thebas me propter & impia fratris
Tecta libens, unde haud alius remeasset, adisti,
Ceu tibimet sceptra & proprios laturus honores.
Iam Telamona pium, jam Thesea fama tacebat.

Ubi errant Lactantius & Bernartius, qui Telamone Meleagrum dilectum ajunt intelligi. Atqui Hercules & Telamon erant illi id exemplum. Quo & alluditur in Protreptico ad Crispinum:

Pugnante Alcide tamen & Telamona timebant.

Plane igitur hæc similia sunt. Quod erat declarandum. Nam κρηνοφύγετον illud de equo alato Statio inane est, neque verum hæc plane abrupta esse. Si essent, non Pegasum imitaretur Statius, sed Icarum; aut certe non probum Pegasum, sed τὸν δεσπόταν αὐτοῦ ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς ἐλθεῖν Βελλεροφόντην. Optime omnia sibi respondent. Vale & nostri amorem corde exire veta. neque enim Tirynthius jam fama amicitiæ est, postquam tecum comparari cepit: Theseos quoque cedit tibi gloria, & illius, qui

circa mœnia Trojæ
Priamiden cæso solatio traxit amico.

Ausonius ad Paullinum:

Jam nomina nostra parabant
Inserere antiquis ævi melioris amicis.
Cedebat Pylades: Phrygii quoque gloria Nisi
Iam minor, & promissa obiens vadimonia Damon.

CAP.

CAP. XLII.

Statii difficillimus locus enarratus. Albanum certamen Poëtarum Quinquatribus. Ejus victoribus corona oleagina aurea. Aurum Palladium, Cæsareum. Quod ter meruit Statius. Is alibi correctus. Martialis illustratus. Palladia Alba. Trojana Alba. Perarare. Scribere. Iuvenalis defensus. Florus emendatus. Scribere nonnihil sanguine. Scriptus auro. Silius correctus. Haud inamatus ager Iaccho. Infamata puella. Martiali lux.

LYrico ad Septimum Severum:

Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis: huic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo peraravit auro.

I. Bernartius: Locus fœde corruptus. MSC. *peramavit*. Mihi Sphynx domi non est. Satis itaque indicata tantum scriptura veteri, imitari verecundos medicos, & depositum ægrum peritioribus delegare. F. Morellus: Sunt quibus Statius hic videatur

Obscura propriæ verba fortunæ loqui,
Quæ nemo solvat,

præter Oedipum. Ego non *victæ spolia Sphyngis tuli*, & hærere cogor, cum tardus interpres esse malim, quam malus. An Pallas fortis & bellica dea, δεινὴ θεὸς & ἀλαλκομένηΐς, in gratiam & honorem prædii Albani, quod Papinio Domitiani munere & concessu datum fuerat, Statii carmen ἐπινίκιον peraravit ac perscripsit auro Cæsareo? quasi stilo inaurato a Cæsare, qui

aurea corona Papinium donaverat in Albano certamine Poëtico Quinquatruum. Ut *Palladium aurum* in Epulo Domitiani & hic *Cæsareum* idem sit, quia sua munera Cęsar Palladia agnosci & dici superstitiose voluit: & *mille dea est operum*. Qui scripturę veteri, *peramavit*, repræsentanti adhęrebit, magis (opinor) hęrebit, sed in auro, non in luto. Adeo non pudet doctos viros hic ignorantiam suam profiteri. C. Barthius majore fiducia hunc locum tentavit lib. XXVII. adverſ. c. VII. Principio, autumat, dubium non est emaculandum, *hinc mea*. Ab hac nimirum terra. Cum duo dativi casus inficete alioqui, unum autorem vel datorem habeant. Deinde novimus *auro Cæsareo* Papinium *indutum* gloriari lib. III. ad Uxorem. Ut *peraravit* sit veluti æternitati transcripsit, ob honorem Cæsarei auri. Sed hoc duriusculum hoc loco est. Priori enim de primo suo ad Cæsarem aditu loquitur; altero de coronatione Albana. Et *perarare carmina Cæsareo auro* quid sit, ego, quæ mea est hebetudo, adhuc quæro. Jam MSC. *peramavit* habere Bernartius monuit. In nostro: PANETRABIT AURO. Vera lectio est: *Cæsarea penetravit auri*. Quam ego præstare ausim quovis pignore legitimam esse Papinii scriptionem. Sic ille. Sed vir nobilissimus humanissimusque immemor veteris mimi: *grave est prejudicium, quod judicium non habet*: antequam juvare locum aggrederetur, sententiam sibi finxit a mente Poëtæ alienissimam, & ad eam postea verba contorsit. Sarta tecta habenda vulgaris est lectio: neque alio respicit, quam ad coronationem Albanam. Quod ut plene intel-

intelligatur, repetenda hic quędam de ritibus agonis illius, obvia quidem & fastidienda eruditis, sed in gratiam tamen illorum, qui autoritate triumvirorum istorum poterunt permoveri. Suetonius: *Celebrabat & in Albano* (certamen Domitianus) *quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentq́ eximias venationes & scenicos ludos, superq́ oratorum ac poëtarum certamina.* Præmium victorum erat corona oleagina, quæ arbor Palladis, aurea. Martialis:

M. *O, cui virgineo flavescere contigit auro,*
Dic ubi Palladium sit tibi, Care, decus?
C. *Aspicis en domini fulgentes marmore vultus:*
Venit ad has ultro nostra corona comas.
M. *Albana livere potest pia quercus olivæ,*
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

Idem:

Non solam tribuit Pallas tibi, Care, coronam.

Et iterum:

Hic colat Albano Tritonida multus in auro.

Ubi vehementer allucinantur, qui *cultus in auro* scribunt, & de Domitiano ipso redimito aurea corona intelligunt. *Aurum* nihil aliud est, quam corona oleagina aurea, quę datur victoribus: neque *oliva Albana* aliud. Eam ter victor Papinius meruerat. Ad Claudiam:

ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis, sanctoq́ indutum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis, sertisq́ dedisti
Oscula anhela meis.

Ita enim scribendum ex Rom. Venetaque editionib. *Nitidis comis*, est nitentibus, *flavescentibus*, ut loquitur Marcus. *Auro* est corona oleagina

 aurea

aurea a Cæsare victore mihi donata. *Complexa* verbum est, non participium: & subintelligitur verbum substantivum. Ut in Lacrimis Hetrusci:

Sed neq; Barbaricis Latio transmissus ab oris:
Smyrna tibi gentile solum.

pro, transmissus es. lib. 11. Thebaid. *nisi tu Tritonia virgo Consilio dignata virum.* pro, dignata esses. Male Aldina & vulgati, *vidisti*, & *comes*. MSC. Medicæus *nitidas* habet. Sed plane ut restituimus, allegat I. Britannicus in notis ad I. Achilleid. editis Brixiæ ante centum & LX annos. Eodem alludit in Epulo Domitiani:

Trojanæ qualis sub collibus Albæ,
Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia Palladio tua me manus induit auro.

Palladium aurum est oliva aurea data Quinquatribus. Non audio Ro. Codicem, qui pro *Trojanæ*, *Romanæ* præfert. Albanos prolem Trojanam vocat Livius lib. 1. Statius alibi, *Dardaniam Albam*, & in Lyrico hoc: *Qua prisca Teucros Alba colit Lares.* Ibi enim Vesta sacrum Trojanum. Cui conjunctum τὸ διοπετὲς Palladium. Ovidius in Fastis:

res est Romana: tuetur
Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.

Atque hæc propria caussa est, cur in Albano festas Quinquatrus instituerit Domitianus Palladi: quam præ cæteris diis colebat ac tutelarem sibi sumpserat, immo cujus filius gaudebat vocari. Ob cujus etiam peculiare præsidium thoraci suo Gorgonis signum ad imitationem Palladiæ ægidis insculpi fecerat. non ad stuporem incutiendum vulgo, & quod arrogaret sibi

dei

dei nomen, uti jejune nonnemo ad Valer. Flaccum fabulatur, & hanc in rem citat quædam ex equo maximo, in quibus nec vola nec vestigium hujus rei. Hinc item claret cur *Albam Palladiam* vocet Martialis lib.v. *Palladiæ seu collibus uteris Albæ.* Ubi falluntur Domitius, qui hoc nomen ideo Albæ putat tributum, quod Domitianus ibi quinquatria instituerat.& Raderus, qui notat a Martiale blādiendo *Palladiam* Albam vocari, quod sciret Domitiano gratissimam. Nihil hic adulationis. *Palladia Alba*, ubi foci Palladii, Minervæ signum fatale. Hęc enim duo sacra plerumque conjungebantur. Lucanus:

Dii cinerum, Phrygias colitis quicunq; ruinas
Æneæq; mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat & Alba Lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nulliq; aspecta virorum
Pallas.

Juvenalis:

Utq; lacus suberant, ubi quamquam diruta servat
Ignem Trojanum & Vestam colit Alba minorem.

Nota historia L. Metelli, qui ex flagrante æde Vestæ Palladium rapuit luminibus orbatus. Ovidius:

Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat & ignem.

Valde imprudenter Vestam & Minervam esse unam eandemque argumentatur ex his doctissimus Ph. Cluverius lib. I. German. antiq. c. XXVIII. Cicero Phil. XI. *id signum, quod de cœlo delapsum Vestæ custodiis continetur.* Vestalium pontificium erat ἁγνὰς τὴν Ἰλιάδα Ἀθηνᾶν ϗ τὸ ἐκεῖ πῦρ θεραπεύειν, verbis Philostrati lib. VII. de vita Apollonii c. III. Prudentius:

Tunc Vesta Palladios Lares
Impune sensit deseri.

Ex isto autem loco ex Epulo Domitiani manifesta est etiam materia istorum carminum, quam perperam existimabat Morellus fuisse gratiarum actionem pro prædio donato. Nec aliud speravit Poëta noster quam Albanam coronationem, cum in Epicedio in Patrem scriberet:

qualem te Dardanus Alba
Non cepisset ager, si per me serta tulisses
Cæsarea donata manu.

Hoc ergo in Lyrico dixit Statius: Huic Albæ Pallas, sive ipsa dea, cui festę Quinquatrus, sive oliva, munus quod Divæ gratia concedebatur victori, sive Cæsar, qui dona sua Palladia haberi voluit, carmina mea auro, corona oleagina aurea scripsit, pinxit, exornavit. In verbo *peraravit* metalepsis difficilior est. *Scribere* solenne est poni pro pingere. In Hercule Surrentino: *scripto viventes lumine ceras.* In Thebaide:

Arvaq; sanguineo scribit rutilantia gyro.

L. Florus de Calpurnio Flamma: *hoc illustrior noster, quod expeditioni tanta superfuit, licet nonnihil scripserit sanguine.* Ita enim legendum. Et indicatur idipsum, quod Cato ait, Calpurnium *vulneribus defatigatum, atq; spirantem. quod sanguen defluxerat, cognitum.* Martialis: *scriptum testudine sigma,* id est, variatum, pictum. Idem:

Scriptus & æterno nunc primum Iupiter auro.

Plinius in epist. *imagines exscribendas pingendasque.* Idem: *mira similitudine exscripserat.* Statius: *inscriptaq; deus qui navigat alno.* Quia ergo *perarare* sæpe usurpatur pro *scribere*

in significatione simplici, usus libertate sua Statius posuit *perarare* pro *scribere*, quod est pingere. *Pingere* autem ornare est, ut Cicero, *pingere bibliothecam sittybis*. In Genethliaco Lucani *notare* dixerat. In carmine quod de Ægyrcio flumine Sidonii ὀχετῷ εἶναι·

Cum Titan radiis ferventibus exarat arva.

Pro quo *scribere* Sidonius in Eucharistico ad Faustum. Sic alibi Papinius *tenuare carmen* pro *deducere* posuit, quia alia notione idem *tenuare* quod *deducere*. Ergo *huic* Albæ *carmina mea Pallas Cæsareo auro scripsit* seu *peraravit* est in hac Quinquatribus me propter victoriam in certamine Poëtarum Cęsar aurea corona induit. Quod autem MSC. Codex *peramavit*, & corruptior Romanus, *per amnavit* habent, nemini mirum videbitur, qui addidicit, veteres codices minutis apicibus exaratos eandem fere rationem compendii servare ꝑ *R* quam ꝑ *M*. Itaque cum *peraavit* invenisset librarius, *peramavit* legit, cum *peraravit* accipere debuisset. Ita apud Silium lib. XII. *hinc Alifanus Iaccho Haud inamatus ager*. ex memb. Coloniensibus restituit Modius, cum vulgo *inaratus* haberetur. Quod Latinum non ignoramus, sed antiquitatem & genium Silii sequimur. Manilius: *quod colles Bacchus amaret*. Martialis: *Hæc juga, quam Nisæ colles, plus Bacchus amavit*. Virgilius: *denique apertos Bacchus amat colles*. Ita apud Martialem:

Infamata virum puella vicit?

Veros Sardonychas, sed ipsa, tradat.

rectissime exstat. *Infamata*, quę adulterii accusata Claudii Restituti advocatione contra virum vel accusatores absoluta est. Quemadmo-

dum amicum servavit Crispinus, cum
succinctaq; judice multo
Surgeret, & castum vibraret Iulia fulmen.
ut est in Protreptico. At MSC. membrana, *inparata*. Unde vir eruditissimus frustra *impacata* conjicit, quod sine omni idoneo sensu est. Nam cum *infaata* invenisset indoctus librarius, superposita nota compendii, idq; *infarata* reddidisset, nasutior eum secutus, cum hoc non intelligeret, neque unde ortum esset, suspicaretur, *inparata* supposuit. Quę omnia verissima atque apertissima nos sine Sphynge, sine Oedipo edidisse arbitror.

CAP. XLIII.

Statius pluries illustratus, semel correctus. Culmen multo lumine sordidum. Tibullus illustratus. Nox Tirynthia, juncta nox. Statius alibi emaculatus. Danaæ nurus, Tuus dies. Ovidio medicina. Æs jussum spirare caminis. Tholus Æsculapii Pergameni. Compositiones medicas probatas in Æsculapii templis dedicare solebant. Sentire, intelligere picturam. Silius correctus. Excussus mentem.

LYrico ad Septimium Severum:
Nos parca tellus, pervigil & focus.
Culmenq; multo lumine sordidum
Solantur.
Scidæ I. Gruteri: Apud Apulejum mulier paupertina: *at ego misera & pernox & perdia lanificio nervos meos contorqueo, ut intra cellulam nostram saltim lucerna luceat.* At Tibullus:
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Ita enim malo pro altero *exiguo*, quod ſuppoſuit ex vet. cod. vir illuſtris. Martialis:

Paſcitur hic; ibi paſcit ager. tepet igne maligno
Hic focus; ingenti lumine lucet ibi.

Cyclops apud Theocritum:

Εντὶ δρυὸς ξύλα μοι κὴ ὑπὸ σποδῷ ἀκάματον πῦρ.

Quę cum ita ſint, ubi legitur apud eundem Tibullum:

Quam juvat immiteis ventos audire cubantem,
Et dominam tenero continuiſſe ſinu!
Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auſter,
Securum ſomnos igne juvante ſrui!

Cum ita quoque membranę noſtrę, haud auſim recipere, quod idem ille ſubſtituit, *imbre juvante*. Otioſe hic tale quid ponatur, cum illud *aquas*, quod proxime antecedit, imbrem facile inferat, nec minus ignis ſopiat quam imber. Sic manus prȩſtantiſſimi viri & de re literaria ſupra invidiam meriti. Quę ideo adſcribo, ut pateat error F. Morelli, qui *culmen multo lumine ſordidum*, undique feneſtratum, luminoſum tectum, patens & diem recipiens interpretatur. Virgilius:

Hic focus & tedæ pingues, hic plurimus ignis
Semper & aſſidua poſtes fuligine nigri.

Martialis:

Me focus & nigros non indignantia ſomnos
Tecta juvant.

Hercule Epitrapezio Vindicis:

O bona nox, junctaq; utinam Tirynthia luna.

Falſus Cruceus, qui *junctam noctem* explicat triplicatam in ortu Herculis Tirynthii, quam *ternoctem* dicit alibi Statius, undeque Herculem Τριέσπερον Lycophron in Caſſandra. Nam hic

Statius

Statius cum illis ſentit, qui duas noctes impenſas Herculi fabulantur. *Iunctam noctem* Tragœdiæ Senecę vocant *geminatam*. Ovidius lib. II. Triſtium:

> *Quid Danaen, Danaaſq; nurus, matremq; Lyæi,*
> *Alcmenam, & noctes, quæ coiere, duas?*

Ita legendum ex optimo M S. Pirckhaimeri: qui tamen & *Daphnen*, quod in ambiguo relinquo. Vulgo: *Danaeſq; nurum*. Berſmannus, *Danaiq; nurus*. quod propius abeſt a vera lectione, cujus eruditionem ferre non potuerunt ineruditi librorum corruptores. Seneca de brevitate vitæ: *quibus viſus eſt Iupiter voluptate concubitus delinitus duplicaſſe noctem*. ubi recte Statium interpretatur Lipſius: quod poſtea vidimus. Eleganter vero *nox Tirynthia*, ad inſtar illius olim vere Tirynthiæ. de quo docte Gevartius ad Tiburtinum Vopiſci & Genethliacon Lucani. Ubi jure aſſerit, quod apud Valerium Flaccum, *nox Dorica*, contra Politianum: nugaſque agunt, qui hoc non capiunt aut neſcio quas correctiunculas meditantur. Statius I. Achille. *ſævaq; dedit præſagia noctis*. Lucanus lib. VIII. *ſocioſq; Lares dignare vel una Nocte tua*. id eſt, tuæ quieti impenſa, quam hic apud nos ſucceſſu tuo memorabilem facias. Statius lib. VII. Thebaid.

> *Hic tibi (quando minor jam noſtra potentia) noctes*
> *Herculeæ,*

Eodemque libro Tydeus:

> *ubi tunc fidei paciſq; ſequeſtra*
> *Mater eras, pulchris cum me nox veſtra morata eſt*
> *Hoſpitiis?*

Optime igitur reſtituit Politianus in epicedio in Patrem:

Quam tuus illè dies! qua non mihi gloria major.

Vulgo inepte: *Qualis & illa dies.* Iterum Hercule Vindicis:

laboriferi vivant quæ marmora cœlo
Praxitelis; quod ebur Piſæo pollice raſum;
Quod Polycleteis juſſum eſt ſpirare caminis;
Linea quæ veterem longe fateatur Apellem.

Recte *juſſum* ex MSC. Senenſi probat Gevartius & ita quoque Rom. & Venetus codex. Scidę Gruteri: Emendabat Palladis Aſtreæq; qua decus qua voluptas Freherus meus: *juſſum æs ſpirare caminis.* Quod fortaſſe nonnemini ideo placeret, quia cum *marmoris* mentionem fecerit, & *eboris*, & *lineæ*, non videatur hic ita relativum abſolutum ponere voluiſſe. Sed tamen *æra Myroni vigilata* jam ante leguntur, nec illud inſolens Statio, aliquot appellatis ſpeciebus unam ſolo relativo intelligendam dare. Sic in Soteriis Rutilii Gallici:

Si qua ſalutifero gemini Chironis in antro
Herba, Tholo quodcunq; tibi Trojana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat, Idea profert quam Creta ſub umbra
Dictamni florentis opem, quoq; anguis abundat
Spumatu.

Ita recte monet vir doctus ſcribi debere. Sed in explicatione iterum bis peccat. Pergamus, ait, offerebat Æſculapio ut medicinę autori medicas herbas, quas ſuſpendebant e tholo ſeu teſtudine templi. Non eſt hic *tholus* ſimpliciter teſtudo templi, ſeu in media templi camera locus, in quo voventium munera figebantur,

ut alibi Statio Virgilioque: sed nomen proprium ædificii singularis, quod propinquum erat Æsculapii Pergameni templo: in cujus pilis virorum fœminarumque, qui a Deo curati, nomina incisa, tum morborum quo quisque laborarat, addita quoque curandi ratione, teste Pausania. Nec dubium quidem est, quin ab illa communi significatione hæc ædes, quę Æsculapio in eam rem serviebat, cui in aliorum deum templis communes tholi, ita dicta sit. Sed tamen quemadmodum Athenis prope Quingentorum curiam locus, ubi Prytanes sacrificare consueverant, Θόλος nomine proprio dicebatur, teste Pausania in Atticis, Suida, aliisque: ita Tholus Æsculapii Pergameni. Jam de herbarum anathematibus unde haustum sit, ignoro. Statius autem respexit id, quod dictum est, curationem singulis morbis inter anathemata designatis adscriptam fuisse. Etiam a religiosis hominibus, qui illustrem aliquam compositionem, aut auxilium medicum reperissent, ceu dono id Dei factum, & ut ad utilitatem communem pervenirent, eorum in templo ejus temperatura & species dedicari solita est. Plinius Valer. lib. IV. c. XXXVIII. *Atq; ut serpilli potentiam intelligas, subdidi theriacam in templo Æsculapii ab Antiocho rege Syriæ versibus ded[ic]atam.* Et manifestius lib. III. c. LVII. *Non omittenda est theriaca, qua Antiochus rex adversus omnes serpentes utebatur, præter aspidem, quæ adeo probata est experimentis, ut apud insulam Coum in templo incisa sit in lapide.* Atque hic quidem scriptor illud desumpsit ex Plinio majore lib. XX. nat. hist. c. XXIV. *Quodcunque recondit Tholo Trojana Pergamus*, est, quod-

quodcunque arcanum & egregium remedium ad hanc Rutilii invaletudinem pellendam probatum & dedicatum est in Tholo Æsculapii Pergameni. Infra:

parvusq; videri
Sentirique ingens.

Notabile verbum *sentire* de iis, qui, ut Tullius in paradoxis ait, eruditos oculos habent in imaginibus æstimandis. Plinius. *Leontius Syracusis fecit claudicantem* (an *Philocteten?*) *cujus ulceris dolorem sentire etiam spectantes videntur. Intelligere* dicunt alii. Fabius: *quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia ac velut futuræ mox artis primordia maximis, qui post eos exstiterunt, autoribus præferantur, proprio quodam intelligendi (ut mea fert opinio) ambitu.* Plinius lib. III. Epist. *hoc tamen signum ego quoq; intelligo.* Et in eadem re Cicero: *tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intelligere.* Denique hoc libello de Saguntinis: *& populis furias immisit honestas.* De quibus obiter emaculandus Silius lib. II.

Tum vero excussi amentes, ceu prodita tecta
Expulsi fugiant Manes, Vmbræq; recusent
Captivo latuisse solo.

Fr. Modius & post eum vir magnus emendant: *Tum vero excussæ mentes.* Ultimus editor solenne suum obtinet & ineptissimam lectionem amente excussaque (ut ipsius Latinitate utar) explicatione tuetur. At scripserat Silius: *Tum vero excussi mentes.* Græcismus est pueris notus. Sic lib. V.

Excussus Consul fatorum turbine mentem.

Et

Et lib. IX.

Tum vero excussus mentem, in certamina Paulo
Avia deducto, convertit Varro.

Et sic *furiata mentem* lib. VI. Punicorum.

CAP. XLIV.

Statius aliquotfariam luce perfusus. Honores. Phœbo Parnassus, Lycii montes, Thymbra honos. Bacchus numen Poëtarum. Capta domus, capere. Lampade prima. Dii patrii & Penates. Silius, Fragmentum Corneliæ Gracchorum matris. Livius emendati. M. Seneca correctus & explicatus. Sacra populi lingua est. Tertullianus illustratus.

VT hoc genus scribendi elegimus, id nobis credidimus licentiæ dari, ut in difficilia harum Silvarum loca non ordine perpetuo, sed ubi lubitum foret, aut occasio ad eam rem ferret, diem admitteremus. Non excusamus igitur pœne præteriisse nos, quod monere constitutum erat ad principium Lyrici ad Septimium Severum:

Parvi beatus ruris honoribus.

Parvum rus, quod ipse colebat, quodque ei illustre signum Cęsareæ gratiæ ac proinde gloriæ erat, *honores* appellat. Unde elucescit vera mens Statii in illis in Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Latous vatum pater & Semeleius Evan.
Hic movet Ortygia; movet hic rapida agmina Nisa:
Huic Lycii montes gelidæq; umbracula Thymbræ
Et Parnassus honos; illi Pangæa resultant
Ismaraq; & quondam genialis litora Naxi.

Huic

Huic probe pro *hinc* scribit Gevartius & ita Ro. codex. Sed porro ait locum esse corruptissimum. quid enim sibi vult *Parnassius honos?* quis ita loquitur? Igitur recte scribi putat: *Et Parnasse sonas.* Cruceus defendit vulgatum, ut προσώπων sumptum habeatur ἀντὶ τῆ προσηγορία, ut apud Horatium, *Stertinium acumen*, *Sulpitia horrea*. *Parnassius* ergo *honor*, Parnassius. Stertinium acumen magistri! Vera est vulgaris scriptura, sed difficilior defectu verbi substantivi, qui frequens Papinio ad obscuritatem usque. Huic Apollini Lycii montes, Thymbra, Parnassus sunt honos: hic ille precipue colitur, hęc colit: ut Carthaginem Iuno fertur

ante Argos (sic credidit alta vetustas)
Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen

amasse atque etiam

terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

Lib. 1. Thebaid. *tamen hic tibi templi Gratus honos.* Notandum autem, quod Bacchus officium hic peragit, eo fieri, quod Stella vates erat, illoque jure quod furorem canentibus subministrabat. In quo munere semper cum Apolline a Papinio jungitur. Unde in Soteriis Rutilii:

nec Aonias decima cum Pallade divas
Aut mitem Tegea Dircesve hortabor alumnum.

Balneo Etrusci:

Et te Phœbe choris & te dimittimus Evan.

Genethliaco Lucani. Errat igitur Demsterus; qui notat Papinium facere Bacchum nuptiarum pręsidem, in illo:

tibi Phœbus & Evan

Et de Menalia volucer Tegeaticus umbra
Serta ferunt.

ad lib. 11. I. Rosini. Posset tamen in Lyrico quis interpretari ipsius ruris culturam, qua beatum se autumat Papinius, *honores* illos. Ad Maximum Junium:

Stat domo capta cupidus superstes
Imminens leti spoliis & ipsum
Computat ignem.

Capta simpliciter dicuntur res relictę, & *capere* pro hęreditatem adire. Manilius:

Ille patri natisq; reus, quas ceperit ipse,
Non legabit opes, censumq; immerget in ipso.

Juvenalis: *si capiendi Ius nullum uxori.* Epistola ad Jul. Menecratem:

Quippe & opes & origo sinunt hanc lampade prima
Patricias intrare fores; hos pube sub ipsa
(Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
Numina) Romulei limen pulsare Senatus.

Ita rectissime scribit Gevartius. Sed quęritur, cur *lampade prima* dixerit Statius. Vir doctissimus, addidit signate etiam, inquit, *lampade prima:* nam secundæ nuptiæ infames erant apud Romanos, teste Plutarcho Quęst. Rom. In paucissimis verbis triplex est error. Non est verum, secundas nuptias fuisse infames: neque Plutarchum hoc attestari: neque ęo respexisse Poëtam. Nam ut taceam laudatissima fœminarum exempla, quę secundum nuptum passæ sunt, vel illas Statio cantatas, Violantillam, Priscillam, Claudiam, quis adeo effrons erit, qui audeat dicere infames fuisse? Plutarchi verba sunt: ζηλωτὸς γὰρ ὁ πρῶτος γάμος, ὁ δὲ δεύτερος ἀποδυκτεῖος· αἰσχύνονται γὰρ, ἂν ζώντων τῶν

προ-

προτέρων ἑτέρους λαμβάνωσιν, ὀδύρονται δὲ ἂν ἀποθανόντων. Prælatas fuisse univiras scio. & sacra quędam fuisse, quę nisi ab his celebrari non possent. Amicus noster, vir doctissimus, eo putabat allusum, quod & ingens pudicitiæ laus est non sensisse calores juventę ante nuptias, & summum amoris coagulum primus pudor marito donatus. De priore Claudianus lib. II. dę Laud. Stil.

Hinc fuit ut primos in conjuge disceret ignes,
Ordiriq; virum non luxuriante juventa,
Sed cum lege tori, casto cum fœdere vellet.

Ob posterius toties facta mentio *primorum ominum* apud veteres. Virgilius: *primisq; jugarat Ominibus.* Propertius:

Contineant nobis omina prima fidem.

Silius:

Virgineis juvenem tedis primoq; hymeneo
Imbuerat conjux, memoriq; tenebat amore.

Claudianus lib. II. in Ruffinum: *heic thalamis primum genialibus omen.* Ita enim leg. ex MSSC. Cod. Sed arbitror simplicissime dixisse Statium *prima lampade*, id est, simul atque festę nuptiis ejus faces extollentur: sine respectu ad secundas nuptias. Prorsus ut lib. II. Theb.

primisq; Hymeneis
Egregiam Argiam, nec forma laude secundam
Deiphilen tumida jam virginitate jugari.

Et lib. III. Theb.

Ex quo primus hymen movitq; infausta sinistram
Iuno facem.

id est, ex quo conjuges sumus. Quod imitatus Claudianus epistola ad Serenam:

Orphea cum primæ sociarent lumina tedæ.

Sic optime MSC. codices, non *primum*. Item lib. v. Theb. *non verba in funere primo, Non lacrimas habet.* Non quod aliud postea funus subsecutum sit, posuit *in funere primo:* sed simpliciter, ut primum ictus ille funeris subiti pectori accidit. Eadem epistola:

Hos cum plebe sua patrii servate Penates.

Præstantissimus Gevartius non quidem sine caussa reprehendit hic Had. Junium, qui negat *Penates* & *Patrios deos* eosdem esse; sed fundus, quo illum oppugnat, Junii sententiæ probandę est aptior. Verum est, *Penates* & *Deos patrios* sępe conjungi, ut pro iisdem accipi videantur. Utrique vel publici sunt vel privati. Publici sunt, non communes plurium nationum, sed certi populi, iique quos consensu traditos a majoribus populus colit. Quo pertinent tum Dii majorum gentium, qui peculiari beneficio olim populum urbemve demeriti publice honorantur; tum heroes, seu manes eorum, qui conditores aut servatores reipubl. autoritate publica consecrati sunt, aut quicunque in publicis locis positi. Cicero pro Sulla: *vos dii patrii ac Penates, qui huic urbi atq; imperio præsidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem populumq; R. qui hæc tecta atq; templa, me Consule, vestro numine auxilioq; servastis.* Sine dubio intelligit deos præsides urbis, ut loquitur Livius, Jovem Capitolinum, Vestam, Palladem, Janum, Martem, & magnam præterea manum, tum Romulum. Livius lib. III. *Iupiter opt. max. Iuno regina, & Minerva, alii dii deaq; obsidentur: castra servorum publicos vestros Penates tenent.* Ubi tamen possis ipsum Capitolium intelligere. Ut enim *penates* pro domo; Ita *publici*

penates

penates pro domo publica, loco publici Consilii. De Haruſpicum reſponſis: *Sacrificia vetuſta occultaq; minus diligenter facta pollutaque. Haruſpices hæc loquuntur, an patrii penateſq; dii?* Pro Sextio: *De quo te, te, inquam, patria, obteſtor, & vos penates patriiq; dii, me veſtrarum ſedium templorumq; cauſſa* &c. Scholiaſtes Pindari ad Ὀλυμπ. ιγ. Διὰ τί δέ φησι τῷ Διῒ καὶ τῷ Ἐνυαλίῳ ἐπιτρέψειν; τῷ μὲν Διΐ, ὅτι ὁ ἀγὼν αὐτῷ ἀνάκειται καὶ τελεῖται· τῷ δὲ Ἄρει, ἐπειδὴ ἐπιχώριος καὶ πατρῷος τῶν Ἠλείων ὁ Ἄρης. μιχθεὶς γὰρ Ἁρπίνῃ θυγατρὶ Ἀσωποῦ τοῦ Θηβαίου, ἐτέκνωσε τὸν Οἰνόμαον ὁ Ἄρης. ὃς ἦν βασιλεὺς τῶν τόπων. εἰς χάριν οὖν τοῦ παιδὸς προΐσταται ἴσως τῆς χώρας τῶν Ἠλείων. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Nubes: πατρῷος Ζεὺς καὶ Ἀπόλλων ἐν Ἀθήναις τιμῶνται· ὁ Ζεὺς μὲν μετὰ τὴν ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἢ ὡς ἕτεροι, μετὰ τὴν ἐν Κρήτῃ ἀνατροφὴν, ὅτι πρῶτον ταῖς Ἀθήναις ἐπέστη καὶ ἐφάνη τοῖς πατράσιν αὐτῶν· οἵτινες ταύτῃ τῇ προσηγορίᾳ τετιμήκασιν αὐτόν. Ἀπόλλων δὲ ὅτι Ἐρεχθέως θυγατέρα ἔγημε τὴν Κρέουσαν, ἐξ ἧς γίνεται ὁ Ἴων. ὡς πρόγονον οὖν αὐτὸν ἐτίμων. Platæenſes ad Archidamum apud Thucydidem lib. II. ὑμεῖς δὲ μάρτυρες δὲ θεοὺς τούς τε ὁρκίους τότε γενομένους ποιούμενοι καὶ τοὺς ὑμετέρους πατρῴους καὶ ἡμετέρους ἐγχωρίους. Polybius teſtatur in Arcadia pueros ab ipſa infantia hymnos & pæanes diſcere, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι. lib. IV. καθ' ἐξοχὴν *penates publici* Romanorum erant Veſta & Palladium. Quare hoc ita appellat Silius lib. XIII. *Iliacos parat exorare Penates.* Quod autem Cicero ait *Penates* etiam *Penetrales* dici, id hic imitatus eſt Silius:

Huc mitras caſtumq; refer penetrale parentum.

Ita pulcherrime. vetuſtiſſimus Romanus co-

dex. Nō invidemus glādes illis, qui velut de lapide empti ad omnes librariorū ſordes tuendas ſe obſtrinxerunt. Modius, *vittas:* quod approbarem, niſi in illa lectione apparerent magis veſtigia corruptę: quę eſt *intra*. Deinde vulgo *captū*. Quod repetere opus nō erat. *Caſtum* enim proprium ſacrorum verbum eſſe pueri norunt. Hos *Lares Teucros* dicit Statius. Publicos hos faciebat autoritas publica, ſeu Senatusconſultum, quo publice aſſciſcebantur, verbo Ciceronis de legibus. vel ad minimum tacitus conſenſus, cum publicis in locis dedicati eſſent. *Statuæ* enim *in civitate poſitæ civium non ſunt*, puta privatim eorum, qui poſuerant, teſte Ulpiano in l. XLI. D. de Adquir. rer. domin. Ad hoc jus populi in ſacra alludit Romanus Hiſpo apud M. Senecam lib. I. Controv. I. quę verba, quia corruptiſſima ſunt, adſcribo ut emendem: *Quiſquis alimenta a mendico rogatus eſt, nihil amplius quam iter ei monſtrat: vade ad fratrem: i ad filium: jam quidam nobis eandem fortunam precantur. Crede mihi ſacra populi digna eſt.* Vir eruditiſſimus hæc verba cum ſequentibus Albutii Silii connectit, atque omnia Albutio dat: *ſacra* accipit de ſacris patriis: interpungit denique, *jam quidam nobis eandem fortunam: precantur, crede: Mihi ſacra populi digna:* & difficilem hinc ſenſum eruere conatur in πολυμαθεστάτῳ commentario ad Leges Atticas. Sed longe alia mens Senecæ, ut apparebit ex verbis, qualia ipſe conceperat: *Quiſquis alimenta a mendico rogatus eſt, nihil amplius quam iter ei monſtrat: vade ad fratrem: i ad filium. Iam quidam nobis eandem fortunam precantur. Crede mihi, ſacra populi lingua eſt.* Verba filii ſunt adver-

ſus

ſus patruum. Jubebant, inquit, omnes mendicum adire fratrem aut filium, & ab illis alimenta petere. Immo alii indignitate rei moti mihi tibique eandem fortunam, eandem mendicitatem precantur. Quæ ſequuntur, in illis injicit religionem patruo. *Crede mihi, ſacra populi lingua eſt*, id eſt, rata ſunt vota precantis, ratæ ſunt ejus devotiones. Vox populi vox Dei. Qui ſenſus apertiſſimus eſt & ſine controverſia Hiſponis, aut Senecæ, qui illi hanc ſententiam tribuit. Jus populus in ſacra habet, & facit ſacra: non irritæ ergo ejus ſive malę ſive bonę preces. De Senatusconſulto Tertullianus Apologetico: *Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore conſecraretur niſi ab Senatu probatus.* Hæret hic vir eruditiſſimus. nam qui fieri poteſt, ut naſcente imperio vetus eſſet decretum? An vult, Imperatores ipſos decreto & SC. quod antiquitas ſanxerat, quo cautum erat, ne quis ſibi Deos conſecraret alienigenas, ſubjectos fuiſſe, ita ut Tiberius de conſecratione, quam meditabatur, coactus fuerit referre ad Senatum? Mihi aliter videtur. Solebant temporibus Conſulum, qui imperatores eſſent, hoc eſt, militiæ ſummum jus & imperium haberent, in rebus arctis ipſi templa & Deos vovere, ſi ſperata proſpere eveniſſent. Plenus Livius, plena omnis hiſtoria Romana talium votorum, ab ipſis uſque regibus. Deinde evocabant ex hoſtico Deos conceptis precibus in ſua caſtra & Urbem. Plinius lib. XXVIII. c. II. Eratque arcanum imperii efficaciſſimum ad adjungendos devictorum animos, ſi deos quoque illorum in urbem inter publicos reciperent. Iis

T 4 puto

puto non licuisse templa poni, nisi ab Senatu probatis. Ut pleraque omnia, quę remittebant, donabant, honorisve caussa tribuebant Imperatores, ad Senatum revocabantur, ut ab eo rata esse juberentur. *Ab imperatore* igitur est a consule, qui imperator fuit, cum voveret. Nam quod sequitur: *Scit M. Æmilius de deo suo Alburno:* etsi obscurum ignotumque sit; tamen satis prodit non loqui Tertullianum de Imperatoribus, quales post C. Cęsarem fuere. Privati dii Patrii & Penates iterum erant vel gentium, vel domuum singularum. Atque hi erant aut manes majorum in stirpe cujusque. Cornelia Gracchorum ad filium: *Ubi mortua ero, parentabis mihi & invocabis deum parentem. In eo temporene pudet te eorum deum paces expetere, quos vivos atque præsentes relictos atq; desertos habueris?* Ita enim scribendum est. Vulgo inepte; *preces.* Nec bene conjicit Rutgersius *pudeto*. Interrogatio est, apertior, si scriptum esset, *in eone tempore.* Sed illud elegantius & sapit antiquitatem. Plautus Trinummo: *Utrum is itane esse mavelit.* Cicero lib. II. de Legib. *Deorum Manium jura sancta sunto. Hos leto datos Divos habento.* Aut etiam privati erant domi culti a majoribus, aut suscepti etiam ex publicorum numero sumptique peculiaris tutelæ gratia. Quos *privatos divos* appellat Prudentius lib. I. contra Symmachum. Cicero in Verrem lib. IV. *quærendum est, credo, Hejus iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, ut Deos patrios venderet.* Qui illi? audiamus Tullium in initio ejusdem orationis: *Erat apud Hejum sacrarium magna cum dignitate in ædibus, a majo-*

majoribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor, Cupido Praxitelis, Hercules Myronis, duæ Canephoræ Polycleti. Talis Minerva Ciceronis, ἣν πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον, ἐτίμα διαφερόντως, ut ait Plutarchus, & postea in Capitolio publicavit. Utrorumque meminit Livius lib. III. *Simul patres plebemq;, arcem urbis, templa Deorum, penates publicos privatosq; hostibus dedi.* lib. VI. *quodcunq; sibi cum patria, penatibus publicis ac privatis juris fuerit, id sibi cum uno homine esse.* lib. XXV. *Nihil sibi cum eo consociatum, nihil fœderatum hosti cum hoste, cujus patriam ac penates publicos privatosq; oppugnatum venisset*. Hæc vera lectio est, non *hospiti*, ut vulgo; jam enim hospitium erat renunciatum. Quare quod JCti dicunt sacra, quæ privatim sibi quis instituit, non esse sacra sed profana; intelligendum de iis sacris, quæ in bonis nullius sunt. Evenit autem interdum in usu scriptorum, ut *Penates* opponantur *Patriis Diis*, & accipiantur speciatim pro iis, qui & *Lares familiares* dicuntur, contra *patrii* pro publicis, qui urbium tutelæ præsunt. Quomodo vera sunt, que de discrimine *Patriorum deorum* & *Penatium* scribit Junius. Et ejus rei manifestum exemplum est hic locus Statii, secus atque existimat Gevartius, si quidem retinemus vulgatam lectionem. Neque enim excusari potest Poëta a manifesta tautologia, nisi *Dii patrii*, quos devexit Abantia puppis, intelligantur publici Neapolitanorum, æque ut Penates Æneæ Romanorum: infra vero *patrii penates* sint privati, domus Menecratis. Sed posset aliquis suspicari scripsisse Statium:

Hos cum plebe sua patriæ servate penates.

Sint qui fessam ævo crebrisq; laboribus urbem
Voce opibusq; juvent, viridiq; in nomine servent.

Ut roget patrios Deos, tum Apollinem & Cererem atque Tyndaridas, uti hanc Menecratis domum ad salutem patriæ urbis, Neapolis nempe, servent. Utrum probem magis, in ambiguo relinquo.

CAP. XLV.

Statius ter illustratus, semel correctus. Sequens annona. Pontus sequens. Pontum sequentem vinclis armare. Manilio lux. Negantia ferro saxa. Claudianus emaculatus. Fides malis passa. Seneca correctus. Bruti oscitationes. Bruti opera. Ovidius pulchre emendatus. Scrinia habere. In promptu. Isidori Glossæ illustratæ. Illata salus. Ferre, portare salutem. Inferre caussam. Cæsar defensus.

RIsu Saturnalitio ad Plotium Griphum:

Quæ trino juvenis foro tonabas
Aut centum prope judices, priusquam
Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit.

Non consuluerunt indolem Statii docti viri, *frequenti* pro *sequenti* scribentes. Joculare autem commentum ejus, qui *sequenti* probat, ut intelligatur Plotius in sequentem annum præfectus annonæ designatus. *Sequens annona* est facilis, obsequens, obediens procuranti Plotio. Ovidius Epist. Phædræ:

Qua licet, & sequitur, pudor est miscendus amori.

Seneca lib. III. de ira. *negotia expedita & habilia sequuntur actorem: ingentia & supra mensuram agentis*

nec

nec dant se facile, & si occupata sunt, premunt atq; adducunt administrantem. Lib. 1. nat. q. *materia inobsequens arti.* Lib. vi. *cibus parum obsequens stomacho.* & noster in Soteriis Rutilii Gallici:

Libyci quid mira tributi
Obsequia & missum media de pace triumphum
Laudem & opes tantas?

Ita Manilius lib. v.

Hoc trahit in pelagi cædes & vulnera natos
Squamigeri gregis: extentis laqueare profundum
Retibus & pontum vinclis armare sequentem.

Armare pontum sequentem vinclis quid sit, nescio, inquit Scaliger. Turbat Gemblacensis, qui hic, *Armare furentem.* An legen. *& ponto vinclis arctare sequentes?* Etiam C. Barthius: Illud *armare* quid est? Sane pontum ipsum captivari potius cum suis sibi inquilinis dictum vult: quare nos non pudet veteris conjecturæ: *vinclis hamare.* Ut enim *laqueare*, sic & *hamare* eundem pontum dicat, ut respondeant sibi res & verba. lib. xxii. adversar. c. xv. Nihil horum. Vera est vulgata lectio, cujus in MS. mutandę caussa fuit, quod ęque intelligeretur a librariis ac ab illustrissimo nobilissimoque viris. *Sequentem pontum* est cedentem, patientem, non reluctantem, nec dedignantem piscatoria arma. Virgilii imitatione, cujus illud lib. 1. Georg.

Deinde satis fluvium inducit rivosq; sequentes.

Arma dicuntur & venatoria & piscatoria, immo quęvis instrumenta. *Pontum* ergo *armare vinclis* est retibus ac cæteris armis piscatoriis velut induere pontum, piscibusque infestum reddere. Ideo eodem libro ait: *in bella lacessere pontum.* Lucanus: *nec solem cera sequetur.* id est, cedet soli,

&

& liquescet. Ut Statius de ceris in Achilleid. *ignemq; manumq; sequuntur.* Plinius: *magnis siquidem corporibus aut certe majoribus facilis officina sequaci materia.* Rutilius Numantianus:

Dispectat proræ custos, clavumq; sequentem
Dirigit.

Oppositum τῷ *sequi* in Statiano versu usuque est *negare.* Lucanus:

Atq; aliquem mundi, quamvis natura negasset,
In melius mutare locum.

Sed hoc tralatitium est. Secretior ejus verbi usus in Hercule Surrentino, ubi pessimo facinore id deleverunt editores:

Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra
Oppositas rupes & saxa negantia ferro.

Ita enim Aldina, Colinei, Gryphiana, & has sequutæ antiquiores. Romana a manu mangonis, forte Domitii, *rigentia:* quod cum facilius intellectu putarent, gemma locutionis istius ævi Poëtam fraudarunt. *Negantia saxa ferro* est non cedentia, inexpugnabilia. ἰλλέιψις τῷ obsequium, vel talis. Ita plane Lucanus lib. III.

Cornipedem exhaustum cursu stimulisq; negantem
Magnus agens incerta via vestigia turbat.

Nō ovum ovo similius. *Equus negans stimulis,* scilicet obsequi, cedere, moveri ad rapidum cursum. Noster hunc imitatus lib. II. Thebaid. de Tydeo:

hæc intonat. attamen illi
Membra negant, lassusq; ferit præcordia sanguis.

hoc est, non ultra, verbis Papinii ad Crispinum, *prompta ad fortia vires Sufficiunt animo atq; ingentia jussa sequuntur.* lib. III. *jam tum pavidis maculosa bidentum Corda negant.* hoc est, non secunda sunt,

non addicunt. Iterum lib. IV. *dexter Iaccho Collis, at Ennea Cereri negat.* Dicit enim collem aptum vineis esse, frugibus infœcundum. Negans Cereri terra quæ *non victa colenti, non docilis in usus cedit*, phrasi nostri in Surrentino Pollii, ἀπηχρειωμένη ἢ πρὸς φυτείαν παντελῶς ἀπηλλοτριωμένη χώρα· μὴ δυναμένη ἐπιδέχεσθαι τὴν τοῦ σίτου φυτείαν· *Cereri terra indocilis*, verbis Silii. Non indulget se Cereri, non tractabilis est ad culturam Cereris. Nam & illud *se* potest subintelligi, ut contra, *se dare*. Martialis:

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Paulinus ad Ausonium:

Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.

Atque hinc lucem capit Claudianus in præfatione Epithalamii Honorii, ubi breve dicendi genus nova sectione brevius fecit:

Centauri Faunique negant. quæ flectere Rhœtum,
Quæ poterant rigidum plectra movere Pholum?

Negant plectris, plenius dixisset, id est, plectris moveri. Et recte hæc intellexit in juvenilibus animadversionibus suis profundissimæ doctrinæ C. Barthius, quem vide. nisi quod non succurrit ipsi animandam interrogatione posteriorem sententiæ partem. Centauri & Fauni negant suos animos ista dulcedine pertentari, obfirmant animos ad spernendas Musarum delicias: quę vero carmina Rhœtum & Pholum permulcere possent? Idem est, ac si diceret: sensus idem duris Rhœto Pholoque, qui agrestibus Faunis & Centauris. Præterea nihil recte corrigitur. Quamvis possemus *rogant* legere,

eodem

eodem jure, quo vir illuſtriſſimus *notant*. Sed aliud fabula dicit & mens Claudiani. Seneca Epiſt. LXXI. *Omnia licet fiant: Iubam in regno ſuo non locorum notitia adjuvet, non popularium pro rege ſuo virtus obſtinatiſſima: Vticenſium quoque fides malis paſſa & fracta deficiat, & Scipionem in Africa nominis ſui fortuna déſtituat.* Non dubium mihi, quin hæc ipſius Senecæ ſit in opt. MSSC. conſtanter ſervata lectio: & Lipſium Gruterumque *preſſa* aut *quaſſa* incaſſum conjectare. *Paſſa malis*, ſcilicet labem, caſum, deliquium: ut illi *negans ſtimulis, negans ferro* &c. Rurſum Saturnalitio, nòn ambigo, quin Brutus ille familiaris Ciceronis intelligatur. De quo apertior Fabii locus in dialogo de Oratoribus: *Brutum philoſophiæ ſuæ relinquamus. nam in orationibus minorem eſſe fama ſua etiam admiratores ejus fatentur: niſi forte quiſpiam aut Cæſaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Dejotaro rege cæteroſq; ejuſdem lentitudinis ac teporis libros legit: niſi qui & carmina eorundem miratur. fecerunt enim & carmina & in bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos feciſſe pauciores ſciunt.* Ecce hic *lentitudinem* & *teporem*, quod Statio *oſcitationes*. Bene etiam vidit Rutgerſius ſcribendum eſſe in altero loco, *otioſum & diſcinctum.* τὸ *otioſum* eodem libello hoc ſenſu: *Lentus in principiis, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus.* Cæterum, quæ hic Brutum carmina ſcripſiſſe diſcimus, ea expungemus e lib. I. Triſtium Ovidii El. I. autoritate MSC. Pirckhaimeriani:

Quod metuas, non eſt. Antoni ſcripta leguntur:
Doctus & in promptu carmina Brutus habet.

Sic

Sic legitur satis inepte vulgo, cum scribendum sit: *Doctus & in promptu scrinia Brutus habet*. Antonii scripta leguntur Brutusque librariorum scrinia in medio, manifestus, non reconditus occupat. Catullus: *ad librariorum Curram scrinia*. Iocus Satelli Quadrati huc quadrat, cum suasisset Sabino, ut Grammaticos haberet analectas; isque dixisset, centenis millibus sibi constare singulos servos, *minoris*, inquit, *totidem scrinia emisses*. Lucretius: *magis in promptu primaq; in fronte locata*. Obiter lux fiat Isidori Glossis: *Panegyricus, laus in promptu dicta*, hoc est, in publico, in foro, in propatulo. Papias: *Promptus, tior, tissimus: in ablativo etiam in promptu reperitur, id est, in aperto*. Male Bon. Vulcanius *in procinctu*; I. Gebhardus, *in pompa*, supponebant. Denique hoc Saturnalitio:

Quid si cum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem.

P. Scriverius corrigebat, *Illotam*. Sed primo *ferre*, *portare* propria verba salutationis. Manilius:

Limina pervolitans unumq; per omnia verbum
Mane salutandi portans.

Martialis:

Et matutinum portat ineptus ave.

Plautus: *Quamquam hanc salutem ferimus inviti tibi*. Unde eidem *salutigeruli*. Sic *ferre officium* dixit Manilius:

Nunc feret officium nutus blanditus in omnes.

Dein *illatam* dixit pro in domum Plotii Griphi latam. Ut *illato lumine* Ovidius. Sequitur enim:

Et tu me vicibus domi salutes.

Quam-

Quamquam & *inferre* interdum ponitur pro afferre, vel in medium ferre. Ut *inferre causam*. Cæsar. lib. 1. de bell. Gall. *alius alia caussa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat.* id est, allata. ut frustra offensus emendabat Ciacconius. Sic Phædrus: *jurgii caussam intulit*. Pro quo *interpositam caussam* dixit Hirtius: *caussa interposita, quod is in equum non descenderet.*

Cap. XLVI.

Statius correctus & alio loco explicatus. Pax morum. Pax pro quiete. Equus longa pace crura ligatus. Valerius Flaccus emendatus. Ligari torpore. Lucanus defensus. Torpere religione. Breves gyri equorum agilium. Principes amant quieta ingenia. Seneca, Tacitus pluribus, Manilius difficilibus locis illustrati. Tutus literarum amor. Laurum subtexere myrto. Gloria militaris ac fori odiosa tyrannis. Rari Quirites. Pacis bella. Tendere placamenta hostilis iræ.

Libro quinto Silvarum bene nos monuit P. Scriverius præfationem ad Abascantium non totius lib. v. sed primæ Silvæ esse. Illa ergo præfat. ad Abascantium: *Omnibus affectibus prosequenda sunt bona exempla, cū publice prosint. Pietas quam Priscillæ tuæ præstas & morum tuorum pars nulli non conciliare te præcipue merito potest.* Quid est, *morum tuorum pars?* Mirum tam turpe vitium tot sagaces oculos fefellisse. Scribe: *& morum tuorum pax*. Nihil frequentius, quam x & s in veter. cod. permutata videre. Librarius, qui *pas* pro *pax* invenerat, in *pars* convertit. *Pacem*

apud

apud Papinium pro quiete poni supra notavimus. Valerius Flaccus lib. III.

Haud secus Æsonides monitis accensus amaris
Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra juvat brevis, in lævos piger angitur orbes,
Frena tamen dominumq; velit; si Martius aures
Clamor & obliti rursus fragor impleat æris.

Quis intelligit istud: *quem terra brevis frigida longa pace juvat?* M.S. Mich. Piccarti: *Crura juvant*. Certa emendatio est:

Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Crura ligant; brevis in lævos piger angitur orbes,
Frena tamen dominumque velit.

Ne quis putet, audacem esse apicum mutationem, *juvant* in *ligant*, simile omnino mendum in Statio lib. IX. Thebaid. correctum ab doctissimo A. Schotto: *tereti ligat aurea morsu Fibula.* Ita ille ex scriptis Cod. & nos non aliter in Pirckhaimeri membranis invenimus: cum vulgo sit, *juvat*. Sic supra *Cadis* pro *Vadis* correximus. Sic *Leuca*, *Leuga* & *Leuva* habent veteres libri. *Ligare* proprium verbum de torpore. Lucanus lib. IV.

tum frigidus artus
Alligat atq; animum subducto robore torpor.

Lib. V. *æquora lenta alto torpore ligata*. Seneca Hercule Furente:

Preme devinctum torpore gravi:
Sopor indomitos alliget artus.

Plinius de torpedine: *Etiam procul & e longinquo vel si hasta virgave attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpescere, quamvis ad cursum veloces alligari pedes.* Apulejus: *mare pigrum colligari*. Quare apud Lucanum lib. III.

Implicitas Cæsar magno torpore cohortes
Vt vidit.

Non eſt mutandum contra o. MSC. & ed. vet. *torpore* in *terrore.* Utique pavor deum & religio implicant animos. Curtius lib. IV. *Nulla res multitudinem efficacius regit, quam ſuperſtitio: alioquin impotens, ſæva, mutabilis, ubi vana religione capta eſt, melius vatibus quam ducibus paret. Igitur edita in vulgus Ægyptiorum reſponſa rurſus ad ſpem & fiduciam erexere torpentes.* Ergo apud Valerium, *quem crura longa pace frigida ligant,* eſt, quem crura longa vacatione & quiete torpentia tardum ac pœne immobilem faciunt: in quo omnis agilitas velocitaſque ſenio & quiete conſtitit. *Brevis in lævos gyros angitur piger,* id eſt, tarde convertitur & circumagitur in gyros lævos breviores: quæ doctorum & habilium equorum ars. Tibullus ad Meſſalam:

Seu libeat curvo brevius contendere gyro.

Hypallage eſt: *equus brevis in gyros.* pro equus in breves gyros, vel in lævos orbes brevius pigre angitur. Accenſus Iaſon, ut equus bellator, qui nunc dudum ſenio confectus quievit: ille quidem in lævos orbes brevius tarde admodum agitur; reminiſcitur tamen priſtinæ ferocitatis lituo audito, & frena dominumq; repoſcit. *Longa pace,* longa quiete & vacatione eſt. *Pax morum,* ut de Pollio: *moreſq; viri pacemque,* per ἓν διὰ δυοῖν. ubi ut appareat ſolenne librariorum vitium, MSC. Flor. *partemque.* De Pileto Urſi: *tranquillaq; morum Temperies;* Notabilis prudentia ſummi vatis, & ſeculo ſuo nati, memoriſque ſe ſub Domitiano vivere, qui quorumcumque opes ac virtutem laudat, iis etiam

tran-

tranquillitatem attribuit: hoc est, contentos esse præsentibus tutis, nec male periculosa. Ideo, Stella cum posset

Claraq; facta virum & torrentes sanguine campos

dicere, maluit esse mitis & placidus Veneris vates, & *laurum subtexere myrto*: hoc est, amores scribere & a Venere coronam myrteam mereri: non vero, uxorem ducere, ut interpretatur vir doctus lib. LVIII. adv. c. XV. nec rectius Domitius, qui notat: antepofuit myrtum & elegiacum carmen, quod Veneris est, lauro & graviori stilo. Atqui non carere lauro Stellam facit Statius: sed *myrto subtexere laurum*, hoc est, utramq; coronam conjungere. Carmina enim laurum merentur Apollinis: carmina amatoria myrtum Veneris. Mirum est in re apertissima interpretes lolio victitasse. Nam & Cruceus, *laurum subtexere myrto* interpretatur epinicia simul & amores canere: quia laurus honos triumphalis. Ita Manlius Vopiscus, Hetruscus, Pollius & gener ejus Menecrates, Ursus, Septimius Severus, Vindex, Abascantius laudantur. Neque aliud in Polybii fratre extollit Seneca cap. XXII. consol. *Nihil ergo prodest innocentia ad omnem legem exacta: nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis summæ potentia summa conservata abstinentia, nihil sincerus & tutus literarum amor.* Nempe non periculosus possessori, qui tenebat ex sapientia modum, nec illis ad ambitionem utebatur. Hærent hic interpretes: & Muretus Lipsiusque; *sincerus & putus*; Pincianus, *sincerus ex toto*, sine caussa corrigunt. At intutus amor studium fori & civiles animos tractandi peritia, gloriaque militaris: quippe odiosa tyrannis,

dex. Nō invidemus glādes illis,qui velut de lapide empti ad omnes librariorū sordes tuendas se obstrinxerunt. Modius, *vittas:* quod approbarem, nisi in illa lectione apparerent magis vestigia corruptę: quę est *intra*. Deinde vulgo *captū*. Quod repetere opus nō erat. *Castum* enim proprium sacrorum verbum esse pueri norunt. Hos *Lares Teucros* dicit Statius. Publicos hos faciebat autoritas publica, seu Senatusconsultum, quo publice asscifcebantur, verbo Ciceronis de legibus. vel ad minimum tacitus consensus, cum publicis in locis dedicati essent. *Statuæ* enim *in civitate posita civium non sunt*, puta privatim eorum, qui posuerant, teste Ulpiano in l. XLI. D. de Adquir. rer. domin. Ad hoc jus populi in sacra alludit Romanus Hispo apud M. Senecam lib. I. Controv. I. quę verba, quia corruptissima sunt, adscribo ut emendem: *Quisquis alimenta a mendico rogatus est, nihil amplius quam iter ei monstrat: vade ad fratrem: i ad filium: jam quidam nobis eandem fortunam precantur. Crede mihi sacra populi digna est.* Vir eruditissimus hæc verba cum sequentibus Albutii Silii connectit, atque omnia Albutio dat: *sacra* accipit de sacris patriis: interpungit denique, *jam quidam nobis eandem fortunam: precantur, crede: Mihi sacra populi digna:* & difficilem hinc sensum eruere conatur in πολυμαθεστάτῳ commentario ad Leges Atticas. Sed longe alia mens Senecæ, ut apparebit ex verbis, qualia ipse conceperat: *Quisquis alimenta a mendico rogatus est, nihil amplius quam iter ei monstrat: vade ad fratrem: i ad filium. Iam quidam nobis eandem fortunam precantur. Crede mihi, sacra populi lingua est.* Verba filii sunt adver-

sus

ſus patruum. Jubebant, inquit, omnes mendicum adire fratrem aut filium, & ab illis alimenta petere. Immo alii indignitate rei moti mihi tibique eandem fortunam, eandem mendicitatem precantur. Quæ ſequuntur, in illis injicit religionem patruo. *Crede mihi, ſacra populi lingua eſt*, id eſt, rata ſunt vota precantis, ratæ ſunt ejus devotiones. Vox populi vox Dei. Qui ſenſus apertiſſimus eſt & ſine controverſia Hiſponis, aut Senecæ, qui illi hanc ſententiam tribuit. Jus populus in ſacra habet, & facit ſacra: non irritæ ergo ejus ſive malę ſive bonę preces. De Senatusconſulto Tertullianus Apologetico: *Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore conſecraretur niſi ab Senatu probatus.* Hæret hic vir erudítiſſimus. nam qui fieri poteſt, ut naſcente imperio vetus eſſet decretum? An vult, Imperatores ipſos decreto & SC. quod antiquitas ſanxerat, quo cautum erat, ne quis ſibi Deos conſecraret alienigenas, ſubjectos fuiſſe, ita ut Tiberius de conſecratione, quam meditabatur, coactus fuerit referre ad Senatum? Mihi aliter videtur. Solebant temporibus Conſulum, qui imperatores eſſent, hoc eſt, militiæ ſummum jus & imperium haberent, in rebus arctis ipſi templa & Deos vovere, ſi ſperata proſpere eveniſſent. Plenus Livius, plena omnis hiſtoria Romana talium votorum, ab ipſis uſque regibus. Deinde evocabant ex hoſtico Deos conceptis precibus in ſua caſtra & Urbem. Plinius lib. XXVIII. c. 11. Eratque arcanum imperii efficaciſſimum ad adjungendos devictorum animos, ſi deos quoque illorum in urbem inter publicos reciperent. Iis

puto non licuisse templa poni, nisi ab Senatu probatis. Ut pleraque omnia, quę remittebant, donabant, honorisve caussa tribuebant Imperatores, ad Senatum revocabantur, ut ab eo rata esse juberentur. *Ab imperatore* igitur est a consule, qui imperator fuit, cum voveret. Nam quod sequitur: *Scit M. Æmilius de deo suo Alburno:* etsi obscurum ignotumque sit; tamen satis prodit non loqui Tertullianum de Imperatoribus, quales post C. Cęsarem fuere. Privati dii Patrii & Penates iterum erant vel gentium, vel domuum singularum. Atque hi erant aut manes majorum in stirpe cujusque. Cornelia Gracchorum ad filium: *Vbi mortua ero, parentabis mihi & invocabis deum parentem. In eo tempore ne pudet te eorum deum paces expetere, quos vivos atque presentes relictos atq; desertos habueris?* Ita enim scribendum est. Vulgo inepte; *preces.* Nec bene conjicit Rutgersius *pudeto*. Interrogatio est, apertior, si scriptum esset, *in eone tempore.* Sed illud elegantius & sapit antiquitatem. Plautus Trinummo: *Vtrum is itane esse mavelit.* Cicero lib. II. de Legib. *Deorum Manium jura sancta sunto. Hos leto datos Divos habento.* Aut etiam privati erant domi culti a majoribus, aut suscepti etiam ex publicorum numero sumptique peculiaris tutelæ gratia. Quos *privatos divos* appellat Prudentius lib. I. contra Symmachum. Cicero in Verrem lib. IV. *quærendum est, credo, Hejus iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, ut Deos patrios venderet.* Qui illi? audiamus Tullium in initio ejusdem orationis: *Erat apud Hejum sacrarium magna cum dignitate in ædibus, a majo-*

majoribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor, Cupido Praxitelis, Hercules Myronis, duæ Canephoræ Polycleti. Talis Minerva Ciceronis, ἣν πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον, ἐτίμα διαφερόντως, ut ait Plutarchus, & postea in Capitolio publicavit. Utrorumque meminit Livius lib. III. *Simul patres plebemq; arcem urbis, templa Deorum, penates publicos privatosq; hostibus dedi.* lib. VI. *quodcunq; sibi cum patria, penatibus publicis ac privatis juris fuerit, id sibi cum uno homine esse.* lib. XXV. *Nihil sibi cum eo consociatum, nihil fœderatum hosti cum hoste, cujus patriam ac penates publicos privatosq; oppugnatum venisset*. Hæc vera lectio est, non *hospiti*, ut vulgo: jam enim hospitium erat renunciatum. Quare quod JCti dicunt sacra, quæ privatim sibi quis instituit, non esse sacra sed profana; intelligendum de iis sacris, quæ in bonis nullius sunt. Evenit autem interdum in usu scriprorum, ut *Penates* opponantur *Patriis Diis*, & accipiantur speciatim pro iis, qui & *Lares familiares* dicuntur, contra *patrii* pro publicis, qui urbium tutelæ præsunt. Quomodo vera sunt, quę de discrimine *Patriorum deorum* & *Penatium* scribit Junius. Et ejus rei manifestum exemplum est hic locus Statii, secus atque existimat Gevartius, si quidem retinemus vulgatam lectionem. Neque enim excusari potest Poëta a manifesta tautologia, nisi *Dii patrii*, quos devexit Abantia puppis, intelligantur publici Neapolitanorum, æque ut Penates Æneæ Romanorum: infra vero *patrii penates* sint privati, domus Menecratis. Sed posset aliquis suspicari scripsisse Statium:

Hos cum plebe sua patria servate penates.

Sint qui fessam ævo crebrisq; laboribus urbem
Voce opibusq; juvent, viridiq; in nomine servent.

Ut roget patrios Deos, tum Apollinem & Cererem atque Tyndaridas, uti hanc Menecratis domum ad salutem patriæ urbis, Neapolis nempe, servent. Utrum probem magis, in ambiguo relinquo.

CAP. XLV.

Statius ter illustratus, semel correctus. Sequens annona. Pontus sequens. Pontum sequentem vinclis armare. Manilio lux. Negantia ferro saxa. Claudianus emaculatus. Fides malis passa. Seneca correctus. Bruti oscitationes. Bruti opera. Ovidius pulchre emendatus. Scrinia habere. In promptu. Isidori Glossæ illustratæ. Illata salus. Ferre, portare salutem. Inferre caussam. Cæsar defensus.

RIsu Saturnalitio ad Plotium Griphum:

Quæ trino juvenis foro tonabas
Aut centum prope judices, priusquam
Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit.

Non consuluerunt indolem Statii docti viri, *frequenti* pro *sequenti* scribentes. Joculare autem commentum ejus, qui *sequenti* probat, ut intelligatur Plotius in sequentem annum præfectus annonæ designatus. *Sequens annona* est facilis, obsequens, obediens procuranti Plotio. Ovidius Epist. Phædræ:

Qua licet, & sequitur, pudor est miscendus amori.

Seneca lib. III. de ira. *negotia expedita & habilia sequuntur actorem: ingentia & supra mensuram agentis*

nec

nec dant se facile, & si occupata sunt, premunt atq; adducunt administrantem. Lib. I. nat. q. *materia inobsequens arti.* Lib. VI. *cibus parum obsequens stomacho.* & noster in Soteriis Rutilii Gallici:

Libyci quid mira tributi
Obsequia & missum media de pace triumphum
Laudem & opes tantas?

Ita Manilius lib. V.

Hoc trahit in pelagi cædes & vulnera natos
Squamigeri gregis: extentis laqueare profundum
Retibus & pontum vinclis armare sequentem.

Armare pontum sequentem vinclis quid sit, nescio, inquit Scaliger. Turbat Gemblacensis, qui hic, *Armare furentem.* An legen. *& ponto vinclis arctare sequentes?* Etiam C. Barthius: Illud *armare* quid est? Sane pontum ipsum captivari potius cum suis sibi inquilinis dictum vult: quare nos non pudet veteris conjecturæ: *vinclis hamare.* Ut enim *laqueare*, sic & *hamare* eundem pontum dicat, ut respondeant sibi res & verba. lib. XXII. adversar. c. XV. Nihil horum. Vera est vulgata lectio, cujus in MS. mutandę caussa fuit, quod ęque intelligeretur a librariis ac ab illustrissimo nobilissimoque viris. *Sequentem pontum* est cedentem, patientem, non reluctantem, nec dedignantem piscatoria arma. Virgilii imitatione, cujus illud lib. I. Georg.

Deinde satis fluvium inducit rivosq; sequentes.

Arma dicuntur & venatoria & piscatoria, immo quęvis instrumenta. *Pontum* ergo *armare vinclis* est retibus ac cæteris armis piscatoriis velut induere pontum, piscibusque infestum reddere. Ideo eodem libro ait: *in bella lacessere pontum.* Lucanus; *nec solem cera sequetur.* id est, cedet soli

&

& liquescet. Ut Statius de ceris in Achilleid. *ignemq; manumq; sequuntur*. Plinius: *magnis siquidem corporibus aut certe majoribus facilis officina sequaci materia*. Rutilius Numantianus:

Dispectat proræ custos, clavumq; sequentem
Dirigit.

Oppositum τῷ *sequi* in Statiano versu ųsuque est *negare*. Lucanus:

Atq; aliquem mundi, quamvis natura negasset,
In melius mutare locum.

Sed hoc tralatitium est. Secretior ejus verbi usus in Hercule Surrentino, ubi pessimo facinore id deleverunt editores:

Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra
Oppositas rupes & saxa negantia ferro.

Ita enim Aldina, Colinei, Gryphiana, & has sequutæ antiquiores. Romana a manu mangonis, forte Domitii, *rigentia*: quod cum facilius intellectu putarent, gemma locutionis istius ævi Poëtam fraudarunt. *Negantia saxa ferro* est non cedentia, inexpugnabilia. ἰκανῶς τῷ obsequium, vel talis. Ita plane Lucanus lib. III.

Cornipedem exhaustum cursu stimulisq; negantem
Magnus agens incerta via vestigia turbat.

Nō ovum ovo similius. *Equus negans stimulis*, scilicet obsequi, cedere, moveri ad rapidum cursum. Noster hunc imitatus lib. II. Thebaid. de Tydeo:

hæc intonat. attamen illi
Membra negant, lassusq; ferit præcordia sanguis.

hoc est, non ultra, verbis Papinii ad Crispinum, *prompta ad fortia vires Sufficiunt animo atq; ingentia jussa sequuntur*. lib. III. *jam tum pavidis maculosa bidentum Corda negant*. hoc est, non secunda sunt,

non

non addicunt. Iterum lib. IV. *dexter Iaccho Collis, at Ennea Cereri negat.* Dicit enim collem aptum vineis esse, frugibus infœcundum. Negans Cereri terra quæ *non victa colenti, non docilis in usus cedit*, phrasi nostri in Surrentino Pollii, ἀπηχειωμένη ἢ πρὸς φυτείαν παντελῶς ἀπηλλοτριωμένη χώρα· μὴ δαμασμένη ἐπιδέχεσθαι τὴν τοῦ σίτου φυτείαν· *Cereri terra indocilis*, verbis Silii. Non indulget se Cereri, non tractabilis est ad culturam Cereris. Nam & illud *se* potest subintelligi, ut contra, *se dare*. Martialis:

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Paulinus ad Ausonium:

Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.

Atque hinc lucem capit Claudianus in præfatione Epithalamii Honorii, ubi breve dicendi genus nova sectione brevius fecit:

Centauri Fauniq; negant. quæ flectere Rhœtum,
Quæ poterant rigidum plectra movere Pholum?

Negant plectris, plenius dixisset, id est, plectris moveri. Et recte hæc intellexit in juvenilibus animadversionibus suis profundissimæ doctrinæ C. Barthius, quem vide. nisi quod non succurrit ipsi animandam interrogatione posteriorem sententiæ partem. Centauri & Fauni negant suos animos ista dulcedine pertentari, obfirmant animos ad spernendas Musarum delicias: quę vero carmina Rhœtum & Pholum permulcere possent? Idem est, ac si diceret: sensus idem duris Rhœto Pholoque, qui agrestibus Faunis & Centauris. Præterea nihil recte corrigitur. Quamvis possemus *rogant* legere, eodem

eodem jure, quo vir illustrissimus *notant*. Sed aliud fabula dicit & mens Claudiani. Seneca Epist. LXXI. *Omnia licet fiant: Iubam in regno suo non locorum notitia adjuvet, non popularium pro rege suo virtus obstinatissima: Vticensium quoque fides malis passa & fracta deficiat, & Scipionem in Africa nominis sui fortuna destituat.* Non dubium mihi, quin hæc ipsius Senecæ sit in opt. MSSC. constanter servata lectio: & Lipsium Gruterumque *pressa* aut *quassa* incassum conjectare. *Passa malis*, scilicet labem, casum, deliquium: ut illi *negans stimulis, negans ferro* &c. Rursum Saturnalitio, non ambigo, quin Brutus ille familiaris Ciceronis intelligatur. De quo apertior Fabii locus in dialogo de Oratoribus: *Brutum philosophiæ suæ relinquamus. nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores ejus fatentur: nisi forte quispiam aut Cæsaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Dejotaro rege ceterosq; ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit: nisi qui & carmina eorundem miratur. fecerunt enim & carmina & in bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.* Ecce hic *lentitudinem* & *teporem*, quod Statio *oscitationes*. Bene etiam vidit Rutgersius scribendum esse in altero loco, *otiosum & discinctum*. τὸ *otiosum* eodem libello hoc sensu: *Lentus in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus.* Cæterum, quæ hic Brutum carmina scripsisse discimus, ea expungemus e lib. I. Tristium Ovidii El. I. autoritate MSC. Pirckhaimeriani:

Quod metuas, non est. Antoni scripta leguntur:
Doctus & in promptu carmina Brutus habet.

Sic

Sic legitur satis inepte vulgo, cum scribendum sit: *Doctus & in promptu scrinia Brutus habet.* Antonii scripta leguntur Brutusque librariorum scrinia in medio, manifestus, non reconditus occupat. Catullus: *ad librariorum Curram scrinia.* Iocus Satelli Quadrati huc quadrat, cum suasisset Sabino, ut Grammaticos haberet analectas; isque dixisset, centenis millibus sibi constare singulos servos, *minoris*, inquit, *totidem scrinia emisses.* Lucretius: *magis in promptu primaq; in fronte locata.* Obiter lux fiat Isidori Glossis: *Panegyricus, laus in promptu dicta*, hoc est, in publico, in foro, in propatulo. Papias: *Promptus, tior, tissimus: in ablativo etiam in promptu reperitur, id est, in aperto.* Male Bon. Vulcanius *in procinctu*; I. Gebhardus, *in pompa*, supponebant. Denique hoc Saturnalitio:

Quid si cum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem.

P. Scriverius corrigebat, *Illotam*. Sed primo *ferre, portare* propria verba salutationis. Manilius:

Limina pervolitans unumq; per omnia verbum
Mane salutandi portans.

Martialis:

Et matutinum portat ineptus ave.

Plautus: *Quamquam hanc salutem ferimus inviti tibi.* Unde eidem *salutigeruli*. Sic *ferre officium* dixit Manilius:

Nunc feret officium nutus blanditus in omnes.

Dein *illatam* dixit pro in domum Plotii Griphi latam. Ut *illato lumine* Ovidius. Sequitur enim:

Et tu me vicibus domi salutes.

Quam-

Quamquam & *inferre* interdum ponitur pro afferre, vel in medium ferre. Ut *inferre causam*. Cæsar. lib. 1. de bell. Gall. *alius alia caussa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat*. id est, allata. ut frustra offensus emendabat Ciacconius. Sic Phædrus: *jurgii caussam intulit*. Pro quo *interpositam caussam* dixit Hirtius: *caussa interposita, quod is in equum non descenderet*.

CAP. XLVI.

Statius correctus & alio loco explicatus. Pax morum. Pax pro quiete. Equus longa pace crura ligatus. Valerius Flaccus emendatus. Ligari torpore. Lucanus defensus. Torpere religione. Breves gyri equorum agilium. Principes amant quieta ingenia. Seneca, Tacitus pluribus, Manilius difficilibus locis illustrati. Tutus literarum amor. Laurum subtexere myrto. Gloria militaris ac fori odiosa tyrannis. Rari Quirites. Pacis bella. Tendere placamenta hostilis iræ.

LIbro quinto Silvarum bene nos monuit P. Scriverius præfationem ad Abascantium non totius lib. v. sed primæ Silvæ esse. Illa ergo præfat. ad Abascantium: *Omnibus affectibus prosequenda sunt bona exempla, cũ publice prosint. Pietas quam Priscillæ tuæ præstas, & morum tuorum pars nulli non conciliare te præcipue merito potest*. Quid est, *morum tuorum pars?* Mirum tam turpe vitium tot sagaces oculos fefellisse. Scribe: *& morum tuorum pax*. Nihil frequentius, quam X & S in veter. cod. permutata videre. Librarius, qui *pas* pro *pax* invenerat, in *pars* convertit. *Pacem* apud

apud Papinium pro quiete poni ſupra notavimus. Valerius Flaccus lib. III.

Haud ſecus Æſonides monitis accenſus amaris
Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra juvat brevis, in lævos piger angitur orbes,
Frena tamen dominumq; velit; ſi Martius aures
Clamor & obliti rurſus fragor impleat æris.

Quis intelligit iſtud: *quem terra brevis frigida longa pace juvat?* M.S. Mich. Piccarti: *Crura juvant*. Certa emendatio eſt:

Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Crura ligant; brevis in lævos piger angitur orbes,
Frena tamen dominumque velit.

Ne quis putet, audacem eſſe apicum mutationem, *juvant* in *ligant*, ſimile omnino mendum in Statio lib. IX. Thebaid. correctum ab doctiſſimo A. Schotto: *tereti ligat aurea morſu Fibula.* Ita ille ex ſcriptis Cod. & nos non aliter in Pirckhaimeri membranis invenimus: cum vulgo ſit, *juvat*. Sic ſupra *Cadis* pro *Vadis* correximus. Sic *Leuca*, *Leuga* & *Leuva* habent veteres libri. *Ligare* proprium verbum de torpore. Lucanus lib. IV.

tum frigidus artus
Alligat atq; animum ſubducto robore torpor.

Lib. V. *æquora lenta alto torpore ligata*. Seneca Hercule Furente:

Preme devinctum torpore gravi:
Sopor indomitos alliget artus.

Plinius de torpedine: *Etiam procul & e longinquo vel ſi haſta virgave attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpeſcere, quamvis ad curſum veloces alligari pedes.* Apulejus: *mare pigrum colligari*. Quare apud Lucanum lib. III.

Implicitas Cæsar magno torpore cohortes
Vt vidit.

Non est mutandum contra o. MSC. & ed. vet. *torpore* in *terrore*. Utique pavor deum & religio implicant animos. Curtius lib. IV. *Nulla res multitudinem efficacius regit, quam superstitio: alioquin impotens, sæva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus paret. Igitur edita in vulgus Ægyptiorum responsa rursus ad spem & fiduciam erexere torpentes.* Ergo apud Valerium, *quem crura longa pace frigida ligant*, est, quem crura longa vacatione & quiete torpentia tardum ac pœne immobilem faciunt: in quo omnis agilitas velocitasque senio & quiete constitit. *Brevis in lævos gyros angitur piger*, id est, tarde convertitur & circumagitur in gyros lævos breviores: quæ doctorum & habilium equorum ars. Tibullus ad Messalam:

Seu libeat curvo brevius contendere gyro.

Hypallage est: *equus brevis in gyros*, pro equus in breves gyros, vel in lævos orbes brevius pigre angitur. Accensus Iason, ut equus bellator, qui nunc dudum senio confectus quievit: ille quidem in lævos orbes brevius tarde admodum agitur; reminiscitur tamen pristinæ ferocitatis lituo audito, & frena dominumq; reposcit. *Longa pace*, longa quiete & vacatione est. *Pax morum*, ut de Pollio: *moresq; viri pacemque*, per ἓν διὰ δυοῖν. ubi ut appareat solenne librariorum vitium, MSC. Flor. *partemque*. De Pileto Ursi: *tranquillaq; morum Temperies*, Notabilis prudentia summi vatis, & seculo suo nati, memorisque se sub Domitiano vivere, qui quorumcumque opes ac virtutem laudat, iis etiam tran-

tranquillitatem attribuit: hoc eſt, contentos eſſe præſentibus tutis, nec male periculoſa. Ideo, Stella cum poſſet

Claraq; facta virum & torrentes ſanguine campos

dicere, maluit eſſe mitis & placidus Veneris vates, & *laurum ſubtexere myrto*: hoc eſt, amores ſcribere & a Venere coronam myrteam mereri: non vero, uxorem ducere, ut interpretatur vir doctus lib. LVIII. adv. c. xv. nec rectius Domitius, qui notat: antepoſuit myrtum & elegiacum carmen, quod Veneris eſt, lauro & graviori ſtilo. Atqui non carere lauro Stellam facit Statius: ſed *myrto ſubtexere laurum*, hoc eſt, utramq; coronam conjungere. Carmina enim laurum merentur Apollinis: carmina amatoria myrtum Veneris. Mirum eſt in re apertiſſima interpretes lolio victitaſſe. Nam & Cruceus, *laurum ſubtexere myrto* interpretatur epinicia ſimul & amores canere: quia laurus honos triumphalis. Ita Manlius Vopiſcus, Hetruſcus, Pollius & gener ejus Menecrates, Urſus, Septimius Severus, Vindex, Abaſcantius laudantur. Neque aliud in Polybii fratre extollit Seneca cap. XXII. conſol. *Nihil ergo prodeſt innocentia ad omnem legem exacta: nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis ſumma potentia ſumma conſervata abſtinentia, nihil ſincerus & tutus literarum amor.* Nempe non periculoſus poſſeſſori, qui tenebat ex ſapientia modum, nec illis ad ambitionem utebatur. Hærent hic interpretes: & Muretus Lipſiuſque; *ſincerus & putus*; Pincianus, *ſincerus ex toto*, ſine cauſſa corrigunt. At intutus amor ſtudium fori & civiles animos tractandi peritia, gloriaque militaris: quippe odioſa tyrannis,

verentibus ne in se illa vertantur. Hinc Tacitus in vita Jul. Agricolæ: *Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli. frustra studia fori & civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet: & cætera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Alius*, puta, quam ipse imperator. Pessime Lipsius & Pichena, *altius*. Idem Tacitus lib. 11. annal. *Atque hic, quem memoravimus, bellorũ expers habebatur. eo pronior Tiberius res gestas apud Senatum celebravit, & decrevere patres triumphalia insignia. Quod Camillo ob modestiam vitæ impune fuit.* Atque hæ quidem bonæ adhuc artes sunt. Sed cum omnibus principibus graves sunt homines magni & supra vulgum caput efferentes; tum intolerabiles & nimii Tyrannis illi sunt, qui omnia pro gloria, quam existimant, facere animum induxerunt, & simile quid ipsorum habent, dominationis appetentes. Quippe his, ut canit Manilius,

Nulla quies placet: in nullo sunt otia fructu:
Sed populum turbamque petunt, rerumque tumultum:
Seditio clamorque juvat, Gracchosque tenentes.
Rostra volunt, montemque Sacrum, rarosque Quirites:
Pacis bella probant, curaque alimenta ministrant.

Ita scribendum. *Raros Quirites*, quia potiorem partem in Sacrum montẽ ipsi seducere student. Livius lib. III. in historia, quam alludit Manilius: *Quum vasta Romæ omnia insueta solitudo fecisset, in foro præter paucos seniorum nemo esset.* Rursum: *Tectisne ac parietibus jura dicturi estis. Non pudet lictorum vestrorum majorem prope numerum in foro conspici, quam togatorum aliorumque?* Florus: *Cum Senatu quoque vehementius æquo bonoque certatum est: adeo,*

adeo, ut relictis sedibus solitudinem & interitum patriæ suæ minaretur. Est autem *Quirites* pacis verbum. Quod non aliunde clarius patet, quam quod Cæsar decumanos cum ingentibus minis summoque urbis periculo missionem flagitantes & præmia, *una voce qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit ac flexit, ut ei milites esse confestim responderint.* Suetonius Julio. *Pacis bella,* quid aliud sunt, quam lascivæ pacis mala, seditiones? Tacitus eleganter lib. I. Histor. cum Divioduri exercitus Vitellii furore & rabie caussisque incertis excidium pœne civitatis molitus esset: *is terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini civitates cum magistratibus & precibus occurrerent, stratis per vias pueris fœminisque, quæq; alia placamenta hostilis iræ, non quidem in bello, sed pro pace tendebantur.* Bellum non erat, sed *bellum pacis* metuebant, hoc est, sævitiam præda semel imbuti militis sine culpa sua. Nec *tendebantur* est mutandum. respicit enim illud ad preces, quæ a magistratibus, fœminis, pueris protentis manibus fundebantur. *Tendere placamenta hostilis iræ* Virgilio est *pacem orare manu.* Miror magnos viros hic quicquam difficultatis sensisse. Illo igitur ὀξυμώρῳ Manilii, *pacis bella*, quid fingi posset ingeniosius? Quare male Scaliger interpungit, male intelligit, cum *Quirites raros pacis* conjungit. Nequaquam bellicosos eos vult Manilius, sed concitores turbarum & intestini tumultus. Male Bonincontrius, *raros*, quia pauci sunt qui ex seditione glorientur. Frustra etiam Barthius lib. IV. advers. c. III. *vanosq; Quirites* conjectat. Illud vero prorsus insipidum, quod narrat, de sententia Poëtæ non aliter eos, quam subulci greges

greges, populum concutere, atque hinc inde agere, eaque dici *cura alimenta*. Plane aliud genus natorum sub hoc signo Manilius signat in illis, quæ sequuntur:

Immundosque greges agitant per sordida rura,
Et fidum Laertiadæ genuere syboten.

Quæ divina emendatio Scaligeri est. Dabit hoc sidus turbarum & civilium motuum instinctores. Dabit etiam subulcos, opiliones, armentarios &c. Hi vero cum illis nihil commune habent, nisi quod eodem sidere horoscopante nascuntur. Jul. Firmicus: *Quicunque in ortu ejus sideris natus fuerit, inquietus erit, turbulentus, popularis, & qui plebem turbulentis semper seditionibus exagitet, ejus animos clamosis ac furiosis contentionibus inflammans, inimicus quietis & pacis atque intestina & domestica bella furiosa mentis cupiditate desiderans. Sed huic varii quæstus ex assidua sollicitudine sæpe nascuntur. Facit enim hoc sidus bubulcos, opiliones, armentarios oviumque pastores.* Ex istiusmodi, quos ex Manilio descripsimus, erat ingenium Agrippæ, quod designant Tacitus & Suetonius, cum *trucem* eum & *ferocem* vocant, mortemque ei inlatam pro securitate Tiberii affirmat alter. Talis Drusus, atrox & cupidine potentiæ accensus, cui *infensum reipublicæ animum* objecit Sejanus, hoc est, præsenti statui; apud Tacitum lib. VI. annal. Nec dissimilis indoles matris ejus Agrippinæ, laudatissimæ alioquin feminæ, cui parem domus Cæsarum non habuit: sed *æqui impatiens, dominandi avida, virilibus curis*, ut est apud eundem: increpita ob id a Tiberio versu Græco:

Εἰ μὴ τυραννεῖς, τέκνον, ἀδικεῖσθαι δοκεῖς.

At

At Auguſtus cum filiam ſuam equiti Romano tradere meditaretur, quoſdam in ſermonibus habuit, inſigni tranquillitate vitæ, nullis reipubl. negotiis permixtos. Prudens cumprimis monitum Apollonii Thyanenſis ad Veſpaſianum: μὴ τέμνε τῶν ἀσταχύων τοὺς ὑψηλοὺς καὶ ὑπεραίροντας· ἀλλὰ τὸ δύσνουν ἐξαίρει μᾶλλον, ὥσπερ τοὺς ἀκάνθας τῶν ληίων. Alludit autem ad hiſtoriam quam de Periandro Corinthiorum & Thraſibulo Mileſiorum tyrannis refert Herodotus lib. v. Strabo lib. XVII. de Ægypto: ἐπαρχία δὲ νῦν ἐστὶ, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων αἰεί. Nota ſunt quæ de Auguſti circa hanc provinciam conſilio ſcribunt Tacitus, Suetonius, alii.

CAP. XLVII.

Statius quater emaculatus & nova luce perfuſus. Haſtæ laureatæ, pinnis inſignitæ. Fama pinnata. πτεροφόροι. Equites legionarii. Frenare centũ, regere centũ. Rotundi numeri uſus pro ſubtili. Petronius & Seneca illuſtrati. Auſtri ſudor. Nonius aſſertus. Libye Auſtro ſudans. Signare fores templorum. Error oculorum morientum. Certa vita, dubia vita. Defunctum felicem dicere. lacrimas fundere marito. Seneca correctus.

PRæfatione ad Abaſcantium: *Ego tamen huic operi non ut unus e turba, ſed tantum quaſi officioſus aſſilui: amavit enim uxorem meam Priſcilla & amando fecit mihi illam probatiorem.* Scribe ut habet MS. Flor. Romana, Veneta & CL. Lindenbrogii editio: *non ut unus e turba, nec tantum quaſi officioſus aſſilui.* Dicit enim peculiari & propria cauſſa

ſe ad lugendum trahi: dolorem ſuum non tantum officium eſſe aut amico dari: quippe affe-ctum, quo Priſcilla Claudiam perſecuta eſt, quique ſibi Claudiam probatiorem effecerit, a ſe quoque lacrimas mereri & extorquere. Pietate Abaſcantii:

Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Nullaq; famoſa ſignatur lancea pinna.

Extra ordinem laudanda eſt inſignis hæc conjectura Cl. Salmaſii, qui deplorato loco ipſam ſanitatem reddidit. Res lætas & bene geſtas nuntiaturi non ſolum cum tabellis laureatis, ſed etiam ſummis haſtis lauro veſtitis veniebant. ex contrario, qui res turbidas & improſperas aut novos motus in provinciis excitatos aut bellum nuntiabant, rei triſtis indicium pinnis in ſummo haſtarum lancearumve fixis præferebant. Vetus interpres Juvenalis ad illum locum Sat. IV.

tanquam e diverſi partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pinna.

antea, inquit, *ſi quid nuntiabant Conſules in urbem, per epiſtolas nuntiabant: ſi victoria nuntiabantur, laurus in epiſtola figebatur: ſi autem aliquid adverſi, pinna figebatur.* Idem tradit Servius ad lib. IX. Æneidos, ibi:

pinnata per urbem
Nuntia fama ruit.

Quidam volunt, ideo heic famam pinnatam a Poëta inductam, quia tumultum & res adverſas nuntiat: ut illud tangere videatur, quod qui bellum nuntiaret, pinnatas literas diceretur afferre. Quas ſic dictas puto, quod ferrentur a militibus, qui pinnas in ſummo haſtarum fixas gerebant; quod erat malæ

rei

rei gestæ aut belli signum. Unde & ipsi tabellarii πτεροφόροι dicebantur. Hesychius: πτεροφόροι τέλος τι στρατιωτικόν. Significat ergo Statius, ex omnibus locis felices Domitiano nuntios advenisse, nullum tristem. Hæc ille & plura ad Lampridii Alexandrum Severum. Sequitur mox:

Preterea fidos dominus si dividat enses,
Pandere, quis centum valeat frenare maniplos
Intermissus eques; quis præcepisse cohorti;
Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.

Nihil ineptius interpretibus, qui centurionem, præfectum cohortis, tribunum & magistrum equitum describi putant. Quis enim centurionem *equitem* dixit, utcunque equos in agmine haberent. Quis deîn centurionem ductorem *centum manipulorum?* Interim cum ipse quoque hærerem, consului τὸν ὑπέρμεγαν Salmasium, qui me nunquam nisi aliquid doctum a se dimisit. Is tum statim respondebat mihi de equitum legionariorum præfecto primum, de alariorum ultimum versum intelligendum esse. sed manebat in vocibus difficultas. Postero die cum ad eum revisissem, eandem fere conjecturam utrique in mentem venisse deprehendi. Scribe: *quis centum valeat frenare maniplis Intermissus equos.* vel, *intermixtus. Frenare centum equos* est centum equites ducere. Vegetius lib. II. c. I. *Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum ab utraq; parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur a velo, quia velis, hoc est, flammulis utuntur. Est & aliud genus equitum, qui legionarii vocantur, propterea quod connexi sunt legioni.* Horum unaquæque legio olim habuit trecentos, postea sex-

centos vel septingentos triginta. qui ita per legionem erant distributi, ut singulis cohortibus adscripti essent sui equites. Cohors prima, quæ habebat pedites mille centum quinque, unde appellabatur *milliaria*, numerum quoque duplicem equitum habuit, hoc est, centum triginta duos, cum reliquæ sexaginta sex tantum haberent. Vegetius lib. II. c. VI. Hanc militarem dignitatem designat Statius. *Qui centum equos frenabat intermixtus maniplis*, hoc est, qui centum equitibus præerat in cohorte milliaria. *Eques* tamen manere potest: ut sit hypallage: *frenat centum eques*, pro centum equites. Ut enim præfectus meret equo, ita etiam turmæ. Sic *regere centum* absolute Centurionem dicit Ovidius lib. III. de Arte:

Dux bonus huic centum commisit jure regendos:
Huic equites, illi signa tuenda dedit.

Manipuli autem legionis: ideo *maniplis intermixtum* pro legionario dixit. Dein rotundum numerum posuit pro exacto & subtili, ut alias solent. Quod genus adeo amatum veteribus, ut etiam interdum cum sodalitii alicujus mentio fit, etsi unum nominando eum e reliquorum numero excerpsisse videantur, postea tamen universum collegii numerum ita ponant, quasi & is quem excerpserant, includeretur. Petronius: *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cum Pindarus novemq; Lyrici Homericis versibus canere timuerunt*. Ubi quærunt viri docti quomodo Pindaro nominato novem tamen Lyrici sint? Tentat conciliare C. Barthius lib. XLIV. c. VI. Gonsalius decimam Lyricam indagavit. Sed simplicissima & verissima explicandi ratio est,

quam

quam diximus. Sic Seneca lib. v. de Beneficiis c. XVI. *Cn. Pompejus, dum extraordinaria concupiscit imperia, dum provincias, ut eligat, distribuit; dum ita triumviris rempublicam dividit, ut tamen in sua domo duæ partes essent.* Ubi Gruterus: *dum ita cum tertio rempubl.* Lipsius: *dum ita triumvir rempubl.* Sed *triumviris*, est collegio suo, quod ipsum, Cæsarem, Crassum continebat. Prorsus ut Rutilius Numantianus, de alteris illis tribusviris:

Ille tamen Lepidus pejor civilibus armis,
Qui gessit sociis impia bella tribus.

Nempe ubi tres socii erant, ipse Lepidus, Octavius, Antonius. Frequens hoc etiam sacro codici. In annalibus Judicum cap. IX. *Ita venit* (Abimelec) *in domum patris sui Chhophrathani & interfecit fratres suos filios Ierubalis, septuaginta viros super lapide uno: & reliquus factus est Iotham filius Ierubalis.* Atque omnes filii, computato & Jothamo, fuerunt LXX. Sic rursum: *Vt rediret injuria* LXX *filiis Ierubalis illata, id est, cædes eorum reponeretur Abimeleco.* Inferius: *an imbrifero Libye sudaverit Austro.* Nonius: *Austrum, qui Græce νότος, dictum ab humore & nebula, quod νοτὶς Græcis humor Latina interpretatione dicitur, ac sit is ventus sudoris effector: ut est Homeri, κατὰ δὲ νότιος ῥέεν ἱδρὼς.* Vir doctissimus Nonium reprehendit, &, inepte, inquit, *sudoris effectorem* dicit, ut exprimit *ἱδρῶτα νότιον*: atque Latine *cælum sudum* est contrarium humido. *Sudor* pro serenitate cœli rara procul dubio inventu vox est. Sane Homerus, cujus ista verba sunt ἰλ. λ & ψ, nihil ibi de austro, nec in horum verborum allegatu excuso Nonium. At si Libye ab Austro *sudat*, utique Auster ibi *sudoris effector*. Problemata, quę vocantur Ari-

Ariſtotelis: Φέρεται οὖν ὁ μὲν ἀπὸ τοῦ βορέου ἀπ' ἀνατολῆς ἀὴρ θερμός. ὁ δὲ ἀπὸ νότου, τοῦ ἀπὸ μεσημβρίας. ὅταν οὖν ἔλθωσιν εἰς τὸν ψυχρότατον τόπον, ταχὺ πήγνυνται καὶ συνίστανται εἰς ὕδωρ. καὶ μᾶλλον ὁ βορέας ποιεῖ ὕδωρ, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἡλίου φέρει τὸν ἀέρα καὶ ὁμοίως θερμόν. ὁ δὲ νότος λήγων ὑδατώδης, ὅτι ψυχρὸς ὁ πρῶτος φερόμενος ἀὴρ ἀπὸ τῆς θαλάττης, ὁ δὲ τελευταῖος θερμὸς ὢν ἀπὸ τῆς γῆς κομίζει. Quoniam ſudor, qui vocatur in animalibus, per calorem e corpore excitur, belle tranſlatione a ſudando ducta Auſtri vis & proprietas deſcribitur. Non agimus hic de illo Libyæ auſtro, qui νότος αἴθριος Ariſtoteli, *ſudus* aliis: ſed de illo imbrico, pluvio, nubilo. Mox:

viciſti gaudia cœnæ
Ipſius, effuſo dum pectore prona ſacratos
Ante pedes avide domini tam magna merentis
Volveris.

Stupenda ſupinitas Bernartii, qui hic notat: ritu Romano. Juvenalis: *gremio jacuit nova nupta mariti.* Apulejus: *Accumbebat ſummum torum maritus Pſychen ſuam gremio ſuo complexus.* Statius narrat, quo die Abaſcantius in domum imperatoriam adſcitus magnoſque honores adeptus eſſet, epulo celebrato, Priſcillam Cæſaris genibus advolutam ei gratias pro marito egiſſe. Bernartius obſervat ſponſas nuptiali cœna in gremio mariti jacuiſſe. Par σύγκρισις ad illud in Epithal. Stellæ: *& noſtra poterat conſidere concha.* Pertinet huc, inquit, illud Horatii: *ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.* Hæc indicaſſe ſufficit. Quod eſt in eadem Pietate Abaſcantii: *ſignatq; fores ac pectore terget Limina:* interpretatur vir doctus ad Martialem de votis, quæ

in templorum postibus assignarentur. Sed exegesis est,& unum dicunt hæc duo *signare fores*, & *limina tergere*. Lib. IX. Thebaidos: *pictasq; fores & frigida vultu Saxa terunt*. *Signare* autem ut lib. VI. *signata linquens vestigia terra*. Silius: *cuspis ductus in pulvere signat*. Hoc libello, ubi legitur: *oculisq; novissimus horror*, MSC. Senensis, *error*, habet: idque cum judicio probatum Eu. Swartio, erudito viro, in Analectis. Virgilius de Didone: *oculisq; errantibus alto Quæsivit cælo lucem*. Statius: *ille oculus extremo errore solutis Labitur*. Inepte vero additur illud ex lib. X. *errare oculi resolutaq; colla*. cum de oculis in somnū labentibus dicatur. Sed tamen consanguineus leti sopor. Inferius:

Ille etiam certe rupisset tempora vitæ.

Scribendum: *certæ*. id est, haut ambiguæ. Alludit fabulam Admeti & Alcestidis. Nempe cum non dubium esset, utrum ipsi, an uxori vita deferenda esset. Sic Martialis:

Tu melius certæ meruisti pignore vitæ,
Vt tibi non esset morte probandus amor.

Ita recte Aldina & Colinei. Hoc est, cum non dubia essent stamina tuæ vitę. Eandem enim historiam respexit. Non recte Ramiresius explicat, nulla cogente mortis necessitate, aut instante fato. Nec bene Gruterus, *certo:* aut alii cod. *certe*. Aut *certa vita* cui opponitur ex morbo aliquo ambigua aut periculo. Sic equo maximo: *Certus ames terras*, id est, haut ambiguus: ut seu ob valitudinem, seu alias causas metuī possit tuæ vitæ. Male corrigebat vir doctus: *Serus ames terras*. Cōtrarium *dubius*, lib. II. Achilleidos:

Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas.

Denique hoc libello:

illam tranquillo fine solutam

Felicemq; vocant, lacrimas fundente marito.

Nauteam hæc lectio olet præ stacte, quę in Flor. Rom. Venetoque Cod. residua est:

illam tranquillo fine solutam

Felicemq; vocant, lacrimas fudere marito.

Conspecta mariti pietate, defunctam quidem lugendam non arbitrati sunt, quę felix & sic plorata marito. Eam ergo felicem vocabant, atque optato fine ad quietem pervenisse ei gratulabantur: in mariti tamen gratiam luxere, sed ipsum: ejus vicem doluerunt, qui tam beata conjuge viduatus esset, non defunctæ. Seneca ad Polybium: *non recuso quicquid lacrimarum fortunæ meæ superfuit, tuæ fundere.* Ita enim legendum ex opt. Codd. MSSC.

CAP. XLVIII.

Statius emendatus & illustratus. Clamor rogi. Palam facere. Complorare. Livius Ovidiusq; correcti. Statius Thebaide explicatus. Aperite, laxare tenebras. Impedita tenebræ luce. Ad noctem, ad mediam noctem, ad meridiem. Lucanus defensus. Mentem sua non capit ætas. Fortuna suam naturam corrumpit, & talia. Curtius, Ovidius defensi. Florus leviter correctus.

PIetate Abascantii in Priscillam:

(nec enim fumantia busta

Ardoremq; rogi potuit perferre)

MSC. Florent. Romanaque Venetaque editio;

tio: *Clamoremq; rogi.* Quod pulcherrimum est ipsiusque Papinii. Nec aliud est quam quod Virgilius notat: *mœsta supremum voce ciemus.* Ubi Servius aliisque in locis, quos recitat V. C. I. Kirchmannus lib. III. de Funer. Roman. c. IX. Et noster in Lacrimis Etrusci:

Salve supremum, senior, mitissime patrum,
Æternumq; vale.

Diversa ab hoc clamore rogi conclamatio sive comploratio, quę statim, simul exspirasset defunctus, personabat, & mortem velut contestabatur, confitebaturque: unde *palam factum* esse ea de ægro dicebant; quasi hac conclamatione publicatum esse excessum significarent. Ut annotaverunt eruditi. Livius emendandus lib. I. *Iamq; per aliquot dies, cum jam exspirasset Tarquinius, celata morte per speciem alienæ fungendæ vicis suas opes firmavit. tum demum palam facto, & comploratione in regia orta, Servius præsidio firmo munitus, primus injussu populi regnavit.* Perperam vulgo: *palam facta ex complor.* aut *palam factum ex com.* nec audiendi, qui rescribunt: *palam facta ex comploratione in regia morte.* satis insuavi vocis *morte* repetitione. Nostra trium MSSC. codicum scriptio est. Suetonius: *Ut de Claudio palam factum est.* Cicero ad Atticum: *de Pansa & si quid rectius. credo palam factum esse.* Seneca: *simul de se ac de republica palam facere.* In his verus & proprius usus illius formulę: quę cætera allegant eruditi, alludunt tantum. Errat qui negat, *palam fieri* usquam absolute poni, sed semper adjici rei verbive casum. Ex formula dicitur: *de illo palam factum est.* Ubi deest præpositio & casus, ex contextu subintelligitur. Ut in Livio: *tum demum palam fa-*

cto,

cto, scilicet de Tarquinio. In Cicerone: *credo palam factum esse*, nempe, de Pansa. *Complorandi* autem verbum funebre apud Livium sæpe, Senecam, Petronium, Ciceronem, & quem non? Ovidius lib. I. Tristium eleg. III. alludit:

Se modo, desertos modo complorasse penates,
Nomen & erepti sæpe vocasse viri.

Ita scribendum suffragantibus Pirckhaimeri & Palatino M S C. Codd. Vulgo, *deplorasse*. Sed emendationem istam nostram asserit eleganter Statius lib. VI. Theb.

Iam face subjecta primis in frondibus ignis
Exclamat, labor insanos arcere parentes.

Scio illud lib. X. *gravis exclamet portæ mugitus ahenæ*. Sed fallitur Lactantius, qui *Exclamat*, interpretatur, *cum crepitu sonat*. Aperte enim allusit Romanum ritum, quique pulchre hunc insinuat Terentium:

In ignem posita est: fletur. Interea hæc soror
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius &c.

Utrumque enim etiam dicit Statius. *Ignis in primis frondibus exclamat*, eleganti poëtica locutione, est, ignis incipiens renovat complorationem, & facit ut conclament dolentes. Sic qui jubent rem & causam aut quamcumque occasionem dant, varie facere eam dicuntur. De quo genere ipsi forte alibi. Apparet autem duplicem ad rogum fuisse comploratione͂, unam cum inciperet ignis, alteram cum finiret. Pietate Abascantii:

jubet ire faces Proserpina lætas,
Egressasq; sacris veteres heroidas antris
Lumine purpureo tristes aperire tenebras.

Miror judicium docti viri, qui contrarium ex

mente

mente Papinii esse ait, rescribitque: *tristes operire tenebras.* Quid enim clarius, quam densas tenebras, quæ sua umbra claudunt & obtegunt ea, quibus obducuntur, *aperiri* dici? Quę & *spissæ* & *discuti* alibi dicuntur. Petronius: *Neque fax ulla in præsidio erat, quæ iter aperiret errantibus.* nempe tenebris opertum. Et contra *impeditæ luce tenebræ* Lucano, pro permixtæ in crepusculo vespertino, lib. IV. loco qui & ipse tenebris impeditus est:

quo tempore primas
Impedit ad noctem jam lux extrema tenebras.

Exquisitum loquendi genus, *ad noctem*, pro imminente jam nocte. Quod finxit Lucanus ad similitudinem illorum, *ad meridiem*, *ad mediam noctem.* Censorinus de die natali: *post id sequitur tempus, quod dicimus luminibus accensis, antiqui prima face dicebant: deinde concubium, cum itum est cubitum: exinde intempesta, id est, jam multa nox, qua nihil agi tempestivum est. tunc ad mediam noctem dicitur: & hinc* (ita enim legendum pro *sic*) *media nox.* Supra: *quod huic proximum est vocatur de media nocte:* (quo utitur Suetonius in Caligula cap. XXVI. sic *de tertia vigilia*, pro, statim post tertiam vigiliam dixit Cęsar lib. I. de bello Civili) *sequitur gallicinium, cum galli canere incipiunt: dein conticinium, cum conticescunt: tunc ante lucem & sic diluculum, cum sole nondum orto jam lucet: secundum diluculum vocatur mane, cum lux videtur solis: post hoc ad meridiem: tunc meridies, quod est medii diei nomen: inde de meridie: hinc suprema: post supremam sequitur vespera, ante ortum stellæ, quam Plautus vesperuginem, Virgilius vesperum,* (Seneca *hesperuginem*) *appellant. inde porro crepusculum, sic fortasse*

X appel-

appellatum, quod res incertæ creperæ dicuntur, idq; tempus noctis sit an diei, incertum est. Dicit ergo Lucanus, quo tempore jam adventante nocte, ultimum lucis primas tenebras implicat, detinet, miscet, nec dum permittit omnia ferrugineo suo peplo operire. Senec. Hercule Fur.

nocte sic mixta solet
Præbere lumen primus aut serus dies.

Statius lib. IX. *& viridem ferri nitor impedit umbram.* Non omittendum tamen, quod MSC. Medicæus habet, *tristes lassare tenebras,* pro *laxare.* quod forte genuinum est, ejusque interpretamentum, *aperire.* Statius in Thebaid. *necdum totas lux solverat umbras.* Silius lib. V. caligo *nitido resoluta sereno.* Protreptico ad Crispinum:

sed angustis animus robustior annis,
Succumbitq; oneri & mentem sua non capit ætas.

Eleganter vero, *mentem sua non capit ætas.* quod simillimum isti apud Curtium lib. III. *Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerumq; fortuna corrumperet.* Quod male correxit Modius: neque satis perspiciunt docti viri, qui per τὸ *suam* ipsius Fortunæ intelligunt. *Sua* quidem propria est, sed non ita ut indicet ingenium, quod in Fortuna esse creditur: verum *suam naturam*, est, cui adjuncta est, quamque possedit in homine felici fortuna. Itaque *fortuna corrumpit suam naturam*, id est, illam, sive illius hominis, qui eam nimis obsequentem & benignam experitur; quem crebro rem ei ex animi sententia expediendo suum fecit. Ut *ætas sua* est hominis illius, qui eam mentem habet, mentem ejusdem puta non capit. Sapientia & ani-

animus istius pueri major annis est. Natura quoque fortunati hominis perpetuis successibus immutatur. Commentarii vicem esse possunt, quę sequuntur: *documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere.* Ovidius:

Et crimen vox est inficiata suum.

hoc est, illius hominis, cujus est vox. Eleganter & optime. Male Barthius pro *suum* scribit *manus*, lib.x. adversf. c.XXIV. Sic Florus: *poterat videri jure agere, nisi causam suam sævitia corrumperet.* Quod non sane bene in *sanam* idem commutat. Sed alibi in Floro malim equidem cum MSSC. Pal. *perque omnia decus & nomen & titulos Pompejo suo Fortuna quærebat.* Manifesta enim imitatio Lucani: *Pompejus, Fortuna, tuus.*

CAP. XLIX.

Statius emendatus & non semel luce perfusus. Admonere. Taciti desperatus locus feliciter sanatus. Moneri a libertate. Cicero & Ovidius correcti. Symmachus defensus. Vires corporis animi ingentia jussa sequuntur. Thebaidis autor loco difficillimo claratus. Præstare oculos, cervicem.

PRotreptico ad Crispinum:

pietasq; per omnes
Dispensata modos: æquævo cedere fratri,
Mirariq; patrem, miseræq; ignoscere matri
Admonuit fortuna domus. Tibine illa nefanda
Pocula letalesq; manu componere succos
Evaluit?

Domitius: nam iniquis fatis mater paraverat

venenum Crispino, qua in re dedit ei veniam filius: sed tamen est supplicio affecta ab imperatore. Fortuna igitur adversa effecit, ut matri tuæ veniam te dare oportuerit. Et ita vulgo ab omnibus hęc accipiuntur]. Sed vide quantum instar sententiæ distinctione reddatur. Claudenda enim post τὸ *matri* periodus, ita:

miseræq; ignoscere matri.

Admonuit fortuna domus! tibine illa nefanda &c. Mens hęc est: omnes numeros pietatis, Crispine, implevisti: prout uniuscujusque persona ordoque requirebat, erga illum grassatus es. Sic fratrem quidem æquævum anteponebas; patrem venerabaris; infelici autem matri ignoscebas. Hei mihi! hic fatum domus vestræ matris mentione facta animum meum ulcerat pungitque: tibine illa temperare manu sua venenum sustinuit? &c. Ita abrupta & præcisa hic oratio, ut magnam perturbationem figuret: in qua exprimenda divinus plane Statius noster. *Admonere* non protrita notione dicitur, quicquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit, & ut Tullius ait, *animum memoria refricat*. Virgilius: *cum Turni injuria matrem Admonuit*. Ovidius Ep. Sapphus:

Nil de te mecum est, nisi tantum injuria: nec te
Admonuit, quod tu munus amantis habes.

Ita leg. ex MSC. vulgo: *Admoveat*, vel *Admoneat*. Tacitus lib. xv. annal. *Plerią; Vestini quoq; Consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne a libertate moneretur, vel dilecto imperatore alio sui muneris rempubl. faceret*. hoc est, ne ipsi libertatis memoria & desiderium excitaretur, cogitaretque Senatui tradere rempublicam & abrogare

domi-

dominationem unius. Ita princeps vidit scribendum, & nos docuit, qui plurima, Suffridus Sixtinus, vir lectionis plurimę & incorruptissimi judicii. Alii mira hic mantiscinantur. Non abit longe, quod apud Justinum: *hujus virtute cum civitas libertatis admoneretur.* Sæpe usurpant cum translatione a gustatu. Arnobius: *ut palati admoneant otium, seq; ipsos plena appetitu voracitatis instigent.* ut indubitate restituit CL. Salmasius. Cicero pro Cluentio: *Etiam feræ fame monitæ plerumq; ad eum locum, ubi aliquando pastæ sunt, revertuntur.* Ita enim scribendum ex Ammiano Marcellino lib. XIV. Vulgo: *fame dominante.* Prorsus inficete. Lucanus:

Admonitæq; tument gustato sanguine fauces.

Symmachus: *Affluebat enim multo melle facundia, quod avectum tecum doleo. Itaq; parvæ lectionis sapore commonitus tristiorem damni sensum recepi.* Ita MS. & vet. ed. Perperam conjectavit Juretus, *commotus.* quod majore flagitio nunc plerasq; editiones occupavit. Ovidius:

Sic ubi percepta est brevis & non vera voluptas,
Pejor ab admonitu fit status ille boni.

Quibus *oblitum stomachum* opponit Plinius in Epistolis: *ut enim si cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosq; miscerem, ut obtusus illis & oblitus his excitaretur: ita nunc hortor, ut jucundissimum genus vitæ nonnullis interdum quasi acoribus condias.* Prorsus ut Statius, nisi quod sine acrimonia doloris, loquitur Plinius lib. XXVIII. c. II. *Attalus affirmat scorpione viso, si quis dicat duo, cohiberi nec vibrare ictus. Et quoniam scorpio admonuit, in Africa nemo* &c. Nec aliunde illud Taciti in libro de moribus Germanorum: *ne Parthi quidem sæpius*

 admo-

Quam præstitisti: nunc manum cerebro indue.
Hac parte mortem perage, qua cœpisti mori.

Vera est vulgaris lectio & distinctio, in qua cum incomparabiles viri omnia acumina sua consumpsissent, aut desperarunt, aut ea dixerunt, quæ ipsis intelligere difficile esset. *Præstare* pro præbere apud Lucanum & Senecam, similesque millies reperias. *Præstare oculos* est præbere eos ad eruendum. *Præstare oculos* erat animi ad hoc supplicium corpus suum condemnantis & velut tradentis. Critias ad XI viros rerum capitalium: παραδίδομεν ὑμῖν Θηραμένην τουτονὶ κατακεκριμένον κατὰ τὸν νόμον. ὑμεῖς δὲ λαβόντες καὶ ἀπαγαγόντες οἱ ἕνδεκα, οὗ δεῖ, τὰ ἐκ τούτων πράσσετε, apud Xenophontem lib. II. histor. Græcæ. Seneca in nat. quæstio. *Sequeremur traditi a judice aut magistratu & carnifici nostro præstaremus obsequium.* Hinc ducta metaphora. Vel potius a reo capitis qui magno animo mortem carnificemque excipit, fortiter protendit cervicem. *Præstare oculos* ad eam formam cusum, ad quam *præstare cervicem*. Seneca in epist. *C. Cæsar jussit Lepidum Dextro tribuno præbere cervicem: ipse Chereæ præstitit.* Vel itaque condemnantis se est, vel fortiter ad supplicium expedientis, partemque, qua pœna debet excipi, porrigentis. At *eruere oculos* & judicatum exsequi opus manuum erat. Has incusat, in hoc turbine velut mentis secum ipse diffidens. Timidam manum audax vultus pressit: vix educti sunt oculi, qui ultro cupiebant sequi. Non ergo tam fortiter sunt eruti, quam præstiti & velut ad supplicium porrecti, & traditi. Culpa hæc manus est, quam eluere hoc uno potes, ut profundius eam in caput

mergas, cerebrum scruteris, & supplicium, qua cœptum est, absolvas. Latinus Pacatus Paneg. *Si morerer, evaseram: sed ecce nec animum sequitur manus, nec manum gladius.*

CAP. L.

Statius quater correctus, quinquies illustratus. Eques pendens cursus. Nodare palestras. Turbare Satiram & similia. Tuta, timenda carina. Martialis illustratus. Natare passum. Manilius emendatus. Latrare flammas. Manilius iterum defensus. Hiare aliquid. Martialis correctus. Cyclopem saltare, moveri. Motus verbum ὀρχήσεως. Lex VIII. D. de Pœnis correcta. Vincire choros. Claudianus assertus. Ligare amplexus. Ducere campos Aonios. Honor Heroicorum inter Poëtas præcipuus. Laudare dolorem. Meditans Amphion muros. Claudianus iterum illustratus. Cypriano medicina. Psalmus sonans sobrium convivium. Carmen de Sodoma explicatum. Mandasse arcum dicitur Deus. Mitis honos. Agrestis honos. Questus ciere.

PRotreptico ad Crispinum:

Ipse ego te nuper Tyberino in litore vidi
Tendentem cursus, vexantemq; ilia nudo
Calce ferocis equi.

Scio alibi Statium scribere: *Obliquant tenduntq; vias.* Sed mihi milvinam oggessit, quod habent Rom. & Veneta editiones: *Pendentem cursus.* Quo aurigatur & MS. Medicæus, qui *Prendentem* habet. quod possit videri dictum, ut *carpere viam, carpere gyrum* Maroni. Sed isto modo Statius reliquit. Ita egit equum Crispinus, ut non equi-

equitare, sed volare, non campo vehi, sed supra pendere videretur. Phædrus in descriptione Occasionis: *Cursu volucri pendens.* Propertius;

Cum tremeret patrio pendula turba sacro.

Claudianus Paneg. in IV. Cons. Honorii;

Vix comites alæ, vix te suspensa sequantur
Agmina.

Pendere cursus genus loquendi Græcis & Latinis usitatissimum, pro pendere in cursibus, vel pendentem facere cursus. Quod ut rectius intelligatur (est enim perquam elegans & video summos alioqui viros in hoc genere nonnunquam cespitare) non absurdum reor similes aliquot locutiones hic annotare. Sic in Tiburtino Vopisci, *turbare Satiram*, quia in Satira turbatur, seu turbando, id est, miscendo, fit opus confusaneum. In Hercule Surrentino *nodare palæstras*, quia in palæstris nodi ligantur. *Plaudere choreas* Maroni & aliis, quia saltando terra plauditur. *Plangere invidiam*, lib. III. & X. Thebaid. quia pectus plangendo invidiam diis se facere credebant. *Cunctari primordia belli* lib. VII. Theb. dicuntur, qui in primordiis morabantur, & *cunctari paratus* lib. III. *Furere opus cædis* Martem lib. IX. *Ludere carmina* in Epithal. Stellæ: *convitia* Martialis, quia militaribus & inconditis jocis castrensis turba in triumphis ludebat. *Ludere otium* dicuntur Martiali, qui otiabantur & ludebant, cessando nempe & lentos figendo remos, lib. III.

Tuta luditis otium carina.

Ut Manilius:

Mollia per placidas deludunt otia curas.

Tuta carina, quia nempe placidæ undæ. Cui

puppem timendam opponit Statius in Coma Earini: *fors & de puppe timenda Transferet.* Item *dubias carinas*, lib. IV. Theb. *& dubiis Malea vitata carinis.* Et hic hærent docti viri. *Natare passum* dicit Manilius eos, qui passum faciendo in aqua velut natant. lib. V.

nunc æquore mersus
Deducet palmas furtivo remus in ipso,
Nunc in aquas rectus veniet passumq; natabit.

Ita enim scribendum. Quod in aqua movetur, natat. Ita & pisces & naves, & venti *natare* dicuntur. Qui vero graditur, facit passum: Hinc *natat passum*, qui velut eundo natat, vel natando, hoc est, in aqua se movendo, facit passus. Frustra hic Scaliger est; frustra Barthius, *passumq; meabit.* Nec felix hic Gevartius, qui *passumq; notabit*: ut in cæteris, quę docte vereque explicat in Electis. Manilius iterum:

latratq; Canicula flammas
Et rapit igne suo geminatq; incendia solis.

Canum latrare est: ideo huic quoque, ut idem nomen, ita eadem actio tribuitur. Tiburtino Vopisci Statius ita loquitur. Claudianus: *gravidis allatrat Sirius uvis.* Est autem hoc caniculę opus, ut sidus ferventissimũ omnia urat, flammasque quasi jaciat: hinc dicitur *latrare flammas*, quia latrando jacit flammas: seu, quod quem latratum ejus dicunt Poëtæ, nihil aliud est quam ardentissimæ æstatis tempus facere, *die Titana flagrantius armare*, verbis Claudiani, & solem accendere, ejusque vaporem ardore suo geminare. Hoc est, quod Manilius: *rapit incendia solis*, id est, rapidiora facit. Lucanus: *rapidos qua Sirius ignes Exerit.* Ausonius:

Sirius

Sirius ardentem non augeat igne Leonem.

Male Scaliger, *rabit*; male *flammans*. Nec recte Bonincontrius: *latratq; canicula, flammas Et rapit.* Sic Epiced. Pileti: *ructassent dites incendia Locros*, id est, ructando ignem Locros vexassent. Tacitus: *tendere placamenta hostilis iræ*, qui tendendo manus ad genua preces & placamenta hostilis iræ parabant. Lucanus: *Cædunt ense viam.* id est, cædendo scopulos stirpesque faciunt viam. Apud Martialem lib. XI. epigr. XLIV. pro *uxor habere duos*, MSC. Pirckhaimeri, *uxor hiare duos*. Quod mihi tam certum est Valerii esse, quam totum illud epigramma plenum Latini sermonis. Quia enim pars illa hiat, *hiare illam partem* dicitur, quod eo modo hiat, seu hiando eam partem refert. Quod me pudor explicare latius prohibet: nec tamen pudori habui, in re minus pura politissimum Poëtam, non urendo secandoque, ut Thracii quidam rustici, sed suum sibi redhibendo puriorem reddere. Sic *saltare Cyclopem*, *Glaucum*, pro saltando effingere Cyclopem, Glaucum. Vellejus: *cum Glaucum saltasset in convivio.* Pro quo Horatius *Cyclopa moveri.* Epist. ad Julium Florum:

Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.

Est enim *moveri* & *motus* verbum ὀρχήσεως. Unde eidem: *Motus doceri gaudet Ionicos.* Athenæus: πρώτη δ' εὕρηται ἡ περὶ τὰς πόδας κίνησις τῶν διὰ τῶν χειρῶν. Statius lib. I. Achilleid.

erumpit silvis, dant gaudia vires,
Motaq; desueto crepuit senis ungula campo.

Ita emendamus ex MSSC. & V. ed. Male ubique: *Notaque*, & sine apto sensu. l. VIII. §. XI. D. de Pœnis: *quod instituuntur venatores aut pyr-*

richarii

richarii aut in aliam quam voluptatem gestitulandi aut agiliter (ita scribo, non *aliter*) *se movendi gratia*. Ita Claudianus *vincire choros* lib. II. de Laudibus Stiliconis, pro *nectere brachia* in choris, verbo Statii:

Omnes preterea, puro qua crimina pellunt
Ore, dea vinxere choros.

Ut contra *solvere choros*, *solvere cœtum* dicuntur, quando ex cœtu discedunt. Perperam Scaliger & Barthius invitis, ut ajunt, libris supponunt *junxere*. Autor Herculis Oetæi: *Palladios choros dum nectit Auge*. Tale est *ligare amplexus* lib. I. Achilleid.

nunc occupat ora canentis,
Et ligat amplexus, & mille per oscula jungit.

Quod cum non caperet Fr. Modius, corrumpebat versum, scribens: *amplexu*. nam *ligare amplexus* nemo sanus unquam dixit. Sic ille læva nimis mente Epist. LII. *Ducere campos Aonios* noster in Epicedio in patrem;

Quis honor Aonios seno pede ducere campos.

Ita enim scribendum ex Rom. Venetaque editione, quam secutus est Fr. Lindenbrogius. τὰ *labor* æque hic spurium, quã mox in tertio versu. *Seno pede ducere campos*, seno pede decurrere explicat Gevartius. Duo magni viri, amici nostri, varie illud *ducere campos* mutabant, quod negabant Latine dici. Alter, *ducere cantus* scribebat: alter conjectabat: *Andinos seno p. dicere cantus*; vel *ducere*, vel *cludere*: aut etiam: *Ausonios s. p. cludere cantus*. Quibus omnibus nihil opus. *Ducere* est duces esse, ut chorum ducere. Tibullo *dux anni* dies pro Kal. Januariis. Manilio *lanigerum ducentem sidera*. Ciceroni, *quod*

famin-

familiam ducit. Ducere campos Aonios eſt ducentes, ſcilicet vatum choros, verſari in campis, duces eſſe vatum, primarios principes in campis Aoniis. Ut & metonymia poſſit videri: *Campi* nempe, pro qui in campis. quod eſt ſimplicius. Grande & cothurnatum heroicum opus eſt, genuſque Poëſeos ſupra omnia maximum. Quare qui tali opere ſe Phœbo approbat, is *Aonios campos ducit*, dux eſt in campis Aoniis, ducit choros Muſicos in campis Aoniis. Qui honor præclariſſimus. Ideo *honor* ſcripſit Papinius, nō *labor*. Neq; ſine iſta voce intelligi mens ejus poterat. Epicedio in puerum vernam, *laudare dolorem* eodem modo dixit, quia nimirum in dolore, ſeu luctu laudabatur defunctus. *Laudare* verbum funebre. Gloſſarium: ἐπιτάφιος, *epitaphium, nænia, laudatio.* Fabius: *hoc ſaltim habebis, miſerrime fili, quod honoratis contingere funeribus ſolet; defunctus laudaberis.* Inde Statius: *incompte miſerum laudare dolorem.* id eſt, incompte laudare defunctum in dolore, vel per dolorem miſerum. Quare errat vir nobiliſſimus, qui corrigit *lacerare dolorem*, aut *laudare* compellare explicat lib. XIV. adverſar. c. VII. Nec placet, quod P. Scriverius noſter volebat, *cantare.* Claudianus *meditari muros* Amphionem dixit, quia *meditando*, hoc eſt, plectra feriendo, canendo (ut Virgilius, *meditaris avena*) facti erant muri; quia in muris faciendis meditabatur. Lib. II. de Laudibus Stiliconis:

quibus haud Amphionia quiſquam
Præferat, Aonios meditantem carmine muros.

Fallitur Barthius, cum conciſam locutionem putat, *meditantem*, ſcilicet, condere: & peſſime

vet. codices, qui apud An. Schottum, *Aonias Musas*: maloque judicio sequitur Delrius. Tale est apud eundem in laude Herculis:

mollia; exutus tempore lauro
Populea mecum carmen luctare sub umbra.

Luctari carmen, pro luctas forti carmine describere. Ubi tamen pro *molli*, quoniam eadem vox præcedenti versu, *quo mollis amas*, malim, *miti*. Ut Statius lib. II. Achill. *dic otius. aut cur Serta comis & mitis honos.* Ita enim optime vetus codex. Vulgo, *mutus*. MSC. Gruteri, *multus*. Placetque illud magis quam Bernartii *tutus*. Nempe *mitis honos* vittæ, fortis galeæ. Inferius:

Nunquam has imbelles galea violabere vittas.

Sic *agrestem honorem capitis* Silvano dat Virgilius Ecl. ultima. Cyprianus Epist. ad Donatum: *Quicquid inclinante jam sole in vesperam diei superest, ducamus hunc diem læti, nec sit vel hora convivii gratiæ cælestis immunis. Sonet Psalmus sobrium convivium.* Ita MSC. Jo. Isacii Pontani & Erasmi editio. *Psalmus sonet sobrium convivium*, id est, canatur Psalmus, sed ut in sobrio convivio solet; ut audiatur cani a sobriis convivis; non ut ἐν οἰνοπλῆξι πεφυρμένοις. Virgilius: *nec vox hominem sonat.* Pamelius qui locum corruptissimum de sententia Manutii restituisse jactat, corruptissimum reddidit. In carmine de Sodoma:

Frenandis varium pluviis mandaverat arcum.

Pulchra locutio & sacra. *Mandaverat*, id est, mandando fieri fecerat. Ipse enim dixit, & facta sunt. Male Barthius conjicit *damnaverat* lib. I. ableg. c. X. & lib. XVII. adv. c. XVII. ubi nec recte allegat Tertulliani de spectaculis locum. *Damnari* enim *in ludum* simplici propriaque

que notione dicitur. Protreptico Crispini:

Monstrabunt acies Mavors Actéaq; virgo:
Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo
Nubigenas clipeos intactaq; cædibus arma.

Indubitata hæc & elegantissima correctio est ab ingeniorum principe Dan. Heinsio. Cruceus, instar galli Æsopii, cum unionem in promptu haberet, sterquilinium ruspari maluit. Argutatur tamen non ita commode Quirinum dici Saliis addidisse Crispinum, quum Mars id facere debuerit. Sed non suspicabatur elegantissime dici de Quirino, quod honores conferat patri suo sacratos. Sic apud Claudianum in VI. Conf. Honorii colligere dicitur suffragaturos in Campo Martio:

Et patriis plebem castris sociante Quirino,
Mars augusta sui renovat suffragia Campi.

Et apud eundem frena tenet Martii currus lib. II. de Laud. Stiliconis, ita emendandum:

candentibus urbem
Ingreditur trabeatus equis. spatiosa Quirinus
Frena regit, currumq; patris Bellona, cruentam
Ditibus exuviis tendens ad sidera quercum,
Præcedit.

Ut autem hic *nubigenas clipeos*, ita *amnes nubigenas* lib. I. Thebaid. dixit, qui e nubiferis montibus descendunt: *modo nubigenas e montibus amnes*. Ubi male *nubigenis* supponit vir doctus. Equidem *nubiferos* montes memini legere, nusquam *nubigenas*. Ineptissimum autem est, quod Cruceus ait alludi ad spolia opima, quæ Feretrio Jovi tulit Romulus. Si scivisset quid essent spolia opima, & capital fore, si quis Domitiano re-

rum

tum potiente alii quam ipsi opima vovisset aut promisisset, nunquam tam turpiter se desisset. Et tales ferendi nobis sunt Poëtarum enarratores. Denique Protreptico ad Crispinum:

Hei mihi! sed questus solitos si forte ciebo,
Et mea Romulei venient ad carmina patres,
Tu deeris, Crispine, mihi, cuneósque per omnes
Te meus absentem circumspectabit Achilles.

Questus solitos explicat Domitius vel solita luta. nam Papinius ex recitatione carminum victum quærebat: vel, si ego conquerar mortem Achillis recitando. Gruterus in scidis: Hoc malim: etsi tamen animus inclinat suspicari aliud quid prius fuisse. Succurrerat aliquando, *cœtus*. Sed & cupiebam distinguere: *precibusque juvabo, Hei mihi!* ut illa, *hei mihi*, adjiciantur priori periodo. Sed hoc posterius admittendum non esse constat ex iis, quæ supra ad epicedium Pileti Ursi diximus. Dein apparet Statium per modestiam carmina sua aut recitationem carminum *questus* appellare. Ut *questus avium* alibi. Epistola Sapphus: *& nulla dulce queruntur aves*. Non magis illa vox hic mutanda, quam in Epithalamio Stellæ: *Hic eques, hic juvenum questus*. Querebantur aut quod nimis laborarent pressu multitudinis, aut quod incommodo loco contemplari satis recte novos sponsos non possent. *Ciere questus*, ut *movere carmen*. Sic Dido Æneæ: *adverso movimus ista Deo*. lib. XIII. Met. *Carmen Ore move sacro.* Sappho Phaoni:

Hoc breve nescires unde movetur opus.

Idem autem officium Crispini defuturum sibi dolet,

dolet, quod Septimius Severus præstiterat agonem Albanum decertanti:

Cum tu sodalis dulce periculum
Connisus omni pectore tolleres.

Quam anxie autem auditorum ejusmodi in certaminibus favor quæsitus sit, nemini paulo humaniori ignotum est.

CAP. LI.

Statio bis antiqua lectio restituta, bis eidem difficillimis locis vera mens reddita. Primus animus. Lacrimæ quas rari nunquam habuere parentes. Mori in maritum. Natura pietas, injusta. Natura, pietas se dedit injusta.

EPicedio in Patrem:

vix hæc in munera solvo
Primum animum, tacitisq; situm depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nunc lumine sicco
Ordior.

Eleganter dixit *primum animum*, pro redeuntem a stupore, quo adhuc nimius dolor mentem ejus obnubilaverat; quod alibi illustrabimus. Credebam autem *lumen siccum* intellexisse interpretes, quod exaruerat cineribus haustis, quorum paulo ante mentio: cum opportune fassum errorem video Bernartium, qui hæc explicat ex illo: *non verba in funere primo, Non lacrimas habet*, & similibus. Sed immemor erat mox sequi:

sumas gemitus & vulnera nati
Et lacrimas, rari quas nunquam habuere parentes.

Ubi male Gevartii editio, *cari.* male quoque

conjectat Morellus: *rari quas umquam*. Grandius multo noster, *rari nunquam*. Rari parentes propter scelus hominum & quia pietas oblita viros, habuerunt veras lacrimas a natis: sed & illi pauci, qui habuerunt, non tamen tantas tamque acerbas, quantas ego tibi confero. Scripserat ergo ibi:

Nunc etiam labente manu, nec lumine sicco
Ordior.

Mox:

vel qua primævi conjugis ignem
Adspicit, obstanteʃq; manus turbamq; tenentem
Vincit, in ardentem (liceat) moritura maritum.

Indubitatam correctionem esse putant viri docti: *in ardentem (liceat modo) itura maritum*: ego, pace illorum, intempestivam. *Moritura in maritum* est moriens se jactura, impositura in maritum, vel moritura super maritum. Nihil magis Statianum. Est autem ea vis particulæ *in* pro super. Nam quod hic dicit, id explicat ita in lib. VI. *laceraʃq; ʃuper procumbere nati Relliquias ardet.* Eod. libro:

Pectoris attritu sua frangit in ossa leonem.

Lib. V. *Mactare in tumulos*, pro, super tumulos. Propertius:

si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usq; feram.

Quid est *somniare in feram*, si *mori in maritum* Latinum non est? Nempe somniet inclinatus in feram, jaceat acclinis feræ obductæ, ceu somniet. Idem:

Dixerat & pharetræ pondus consumit in arcus.

Pondus pharetræ consumit imponendo in arcus, dehinc emittendo. Doctæ locutiones.

Maritus

Maritus ardens, ut in Epicedio Pileti: *accendere natos.* Seneca epiſt. xcix. *illo tempore, quo filius ardet.* Et ſic emendat infra in Epicedio in puerum vernam D. Heinſius ὁ θαυμασιώτατος:

tu me caligine mœſtum
Obruis arſurus. Viſo ſic vulnere caræ
Conjugis invenit caneret quod Thracius Orpheus.

Sequitur enim: *ſic buſta Lini complexus Apollo.* Non multo poſt:

externis etiam miſerabile viſu
Funus eat. Sed nec modo ſe Natura dolenti
Nec Pietas injuſta dedit. Mihi limine primo
Fatorum & viridi, genitor, ceu raptus ab ævo
Tartara dura ſubis.

Locus difficilis, in quo hærebam aliquandiu, antequam ipſa ſententia ſe prodidit. Itaq; non miror Domitio male acceptũ. cujus hoc ſcholion eſt: Sed, inquit, nec naturæ vires mihi ſufficiunt ad lacrimas, nec pietas ſe totam mihi conceſſit, ut eam declarem lugendo patrem. Erant & qui corrigebant *in juſta*, vel *in buſta.* Nihil minus his ſenſit argutiſſimus vates. Prolepſis eſt: at dicat aliquis: nec Naturam, nec Pietatem hoc fato patris mei injuſtam fuiſſe in dolentem, aut juvenem aut filium rapiendo. *Natura* nunc non oſtendit *ſe injuſtam*, non præbuit iniquam, quia non turbato ordine mortalitatis ſenem juvenis, patrem filius lugeo. *Pietas* apud autores attentius locutos proprie obſequium in parentes & horum viciſſim in liberos caritas, omneque officium, quod ſanguinis propinquitas exigit. *Quid eſt pietas*, (verba Tullii) *niſi voluntas grata in parentes?* Seneca lib. II. de ira. *Contempſiſſet Romanus pater, ſi ſibi timuiſ-*

 ſet:

set: nunc iram compescuit pietas. Sen. Medea: *non timor vincit virum, Sed trepida pietas. Pietas* ergo *injusta* est, *injustam se dat*, hoc est proprie, occasionem exercendi officii sui indigne obtrudit; vel, exemplum sui dat infelix, cum pater filium luget; cum exigitur & præstatur a patre, qui filio superstes est contra votorum ordinem. Natura & pietas injustas se dant, cum pie quis luget injustum funus, *male judicantibus fatis*, ut habet vetus inscriptio. Ausonius:

Et præter justum funera nulla fleas.

Pietas vel *natura se dedit injusta*, genus loquendi, quale illud Virgilii:

O socii, quæ prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaq; ostendit se dextra, sequamur.

pro, ostendit se dextram. τὸ *dextra* appositum est verbi finiti, quod ritu communiore debuisset esse provocabuli. *se* appositum, atque ita in simili quoque casu poni. Hoc ergo ait: Non iniqua sane mihi natura fuerit sene parente rapto: nec sinistra a me pietas exhibeatur quasi ad filium aut juniorem ex affectibus meis lugendum. Videatur ita aliis. At mihi certe ceu viridi ab ævo raptus pater obire creditur: ego nec ætatem nec fatorum ordinem computo. Hinc etiam apparet bene legi in Epicedio in puerum vernam:

Non de stirpe quidem, nec qui mea nomina ferret,
Oraq;: non fueram genitor: sed cernite fletus
Liventesq; genas, & credite planctibus orbi.

& errare nobilissimum virum, qui *fuerim* rescribit. Quod si valere vult, exspecto ut pro *dedit*, faciat *dederit*. Eadem enim utrobique syntaxi hypophora proponitur.

CAP. L.

Vexatissimus Statii locus varie tentatus & forte sanatus. Venantius Fortunatus correctus. Eloqui chordis. Cydæ Bacis. Suidas defensus. Lydia. Sido. Lyricorum materia amores. Arcadia Lyra, ut Arcadius magister. Quis cura Lyræ nomenq; : id est, qui Lyra cecinerunt, & inde Lyrici appellati. Cirrata Scythæ pellis. Martialis illustratus. Testudo, pro parte Lyræ a Mercurio invente. D. & R. *confusa: item* B & R. *Ovidius & Tacitus correcti.*

EPicedio in patrem:

Quis honor Aonios seno pede ducere campos:
Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Cida labor nomenq; fuit.

Versus plane depositus, nam quis ille *Cida?* ait Gevartius. Domitius hic notat: *Cyda* idem Arcas est appellatus & Aletes (ita scripsisse Domitium facile apparet ex Ro. edit. Male Parisienses edd. *Arcates*: nec fecerunt hic munus suum, qui autoritates Græcas ajunt restituisse. Domitius ob oculos habuit Suidam: Βάκις ὁ Αρκὰς ἐκ πόλεως Καφύης ἦν. ὃς Κύδας ἐκαλεῖτο καὶ Αλήτης.) ut scribunt Græci: unde *modi Cydii* appellati sunt, ut *Phrygii* a Phrygia, quod testatur Iulius Pollux. Legatur igitur: *& vos*, scilicet Lyrici, *quibus Cyda carmen in testudine Arcadia*, id est, quam reperit Mercurius Arcas; *mensis*, id est, ad mensas; *fuit labor & nomen*. id est, qui in eo elaborastis & assequuti estis nomen. Ut emendes: *Cyda labor nomenq; fuit*: cum in aliis Codicibus legatur: *Cyda libem nomenq; fuit*. Sane *Cydii*

isti *modi* nusquam in Polluce comparent: & videtur homo acutus *Lydios* cum suis *Cydiis* confudisse. Perinde ut Steph. Claverius ad Martialem, *Cydam* & *Cydona*. Qui Cydam hunc facit pictorem artificiosissimum, qui septem Lyricos pinxerit: quod innuat Statius, quando *septenam famam Lyricorum* dicat. Stupore stupendo. eo magis, quod quid Tragicorum Plejas esset, non ignorasse ibidem se ostendit. Vide tamen A. Schotti Observationes humanas. Vir nobilissimus emendabat: *Oda labor nomenq; fuit*. Cruceus: *Chorda labor*. Obiter in hac voce emendandus Venantius Fortunatus:

Quid mihi injungis Lyricas melodas,
Voce qui rauca modo vix susurro?
Eloqui chordis mea dextra nescit
Pollice dulci.

Alii *cordis mure* scribebant. Sed quod Cruceus *chorda* emendat, chorda sua oberrat. Nimis ineptum est, quod Domitius *mensis* explicat, ad mensas: nam Lyrici ad mensas solebant canere. Quę autem hæc oratio: *Cyda carmen Arcadia testudine mensis fuit nomen & labor*. At est illud a metiri: *quibus mensis carmen Arcadia testudine Cyda labor & nomen fuit.* notat enim verba ἔμμετρα directa ad testudinem Arcadiam. Quod & Politianus sensit. De *Cyda* ita scholiastes Aristophanis εἰρήνῃ· χρησμολόγος ὁ Βάκις· Βάκιδες δὲ τρεῖς· ὧν πρεσβύτατος ἐξ Ἐλεῶνος τῆς Βοιωτίας· ὁ δὲ δεύτερος Ἀττικὸς· τρίτος Ἀρκὰς ἐκ πόλεως Καφύης· ὁ καὶ Κύδας ἐκαλεῖτο καὶ Ἀλήτης, ὥς φησι Φιλητᾶς ὁ Ἐφέσιος. Θεόπομπος δὲ ἐν τῇ θ' τῶν Φιλιππικῶν ἄλλα τε καὶ πολλὰ περὶ τούτου τοῦ Βάκιδος ἱστορεῖ παράδοξα, καὶ ὅτι ποτὲ τῶν Λακεδαιμονίων τὰς γυναῖκας μανείσας ἐκά-

ἐκάθηρεν, Ἀπόλλωνος τούτοις τοῦτον καθαρτὴν δόντος. Quę omnia ex illo Suidas deſcripſit, & in Βάκις leguntur. Perſpicuus hinc lapſus eſt Septimii Florentis Chriſtiani, qui ad illum Ariſtophanis locum conjiciebat Χύδας, quaſi a Χυδαῖος, alluſo ad nomen Αλήτης, apud Scholiaſten legendum. Clemens Alexandrinus lib. I. στρωματέων. ἤδη δὲ καὶ παρ' Ἕλλησι χρησμολόγοι συχνοὶ γεγένηνται φέρονται, ὡς οἱ Βάκιδες, ὁ μὲν Βοιώτιος, ὁ δὲ Ἀρκὰς, πολλὰ πολλοῖς προσαγορεύοντες. Jam, ut Scholiaſtes Thucydidis ad lib. II. obſervat, λόγια ἐστὶ τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ λεγόμενα καταλογάδην. χρησμοὶ δὲ, οἵτινες ἐμμέτρως λέγονται), ἐμφορουμένων τῶν λεγόντων. Et Horatius: *dicta per carmina ſortes.* Qui ergo vulgatam tenebit, accipiat ſcripſiſſe hunc χρησμολόγον Lyrica quædam, (quamquam an χρησμοὶ hoc genere carminis editi ſint, neſciam) quæ tum nota fuerint, ad nos injuria temporum non pervenerint. *Quibus Cyda labor fuit & nomen*, ſit, quibus Cydæ melica lex operis (ut Horatio, *ſcribi Mæonii carminis alite.*) ejuſque imitatio gloriæ fuit. Sed plurima ſuadent, ne his acquieſcamus. Nec dubitamus quidem obſcurum illum *Cydam* non Statii eſſe, ſed Domitii, qui novos *Phidias*, qui *Spaſiones* & *Hemos*, qui *Ætheas*, & *adituas picas* aliaque mira monſtra confinxit. Videndum an aliquid aliud latens ſub hac voce erui poſſit. MSC. Medicæus habet *Cicla liben.* Etiam ſuum codicem pro *labor*, *libem* habuiſſe Domitius ait: quare nec pro hujus vocis ſanitate cautus forte aliquis pignus deponat. Vir eximii in literis nominis, qui olim promiſerat ſe huic loco ſuppetias venturum, conſultus à me conjectabat:

Et quibus Arcadica carmen testudine mensis
Lydia amor nomenque fuit.

Ex *abor amor* facere ecquid periculi est? Id interpretabatur de Horatio Lyricorum principe, qui toties inter amores suos Lydiam celebrat. Aut potius de Valerio Catone, cujus inter poëmata præcipue laudantur *Lydia* & *Diana*. De illa ipse:

LYDIA *doctorum* MAXIMA CURA *liber.*

Hic celebrarit fortassis Lydiam illam quoque Lyrico carmine. Non placebat hoc alteri etiam summo viro, sed putabat verisimiliter ac fortassis erudite scribere se posse: *Sido labor nomenque.* Quam primo odas ex arte cecinisse Sanchuniathonis, antiquissimi scriptoris, autoritate lib. 1. Evangel. præpar. Eusebius docet. Verba sunt: Καὶ Νηρεὺς πατὴρ Πόντου. ἀπὸ δὲ τοῦ Πόντου γίνεται Σιδὼν· ἡ καθ' ὑπερβολὴν εὐφωνίας πρώτη ὕμνον ᾠδῆς εὗρε. Non existimabat tamen molimine tanto opus esse. Sed plane fuisse in corruptis cod. *Ludus amor nomenque fuit.* Quod fuerit pro vera lectione:

Quis honor Aonios sene pede ducere cantus:
Et quibus Arcadica carmen testudine mensis
Ludus amor nomenque fuit.

Amorem autem primum aut maxime usitatum Lyrici carminis fuisse argumentum ignorare non possunt, qui Athenæum legerunt cæterosque ex antiquis. Sic illi: vereor ne frustraneo labore, cum non ad apices veteris scripturæ, sed ad Domitii corruptionem conjiciant. *Arcadiam* quidē *testudinem* dixit, ut *Arcadium magistrū* Virgilius. Reliqua sic concipienda censeo:

Et quibus Arcadia carmen testudine mensis

Cura lyræ nomenq; fuit.

Docti viri, qui locum hunc tetigerunt, acceperunt *testudinem* pro ipsa lyra, cum Statius eam ut partem posuerit. Perinde ac si *plectra* aut *chordas* aut *fides* aut *pectinem* dixisset, quæ & ipsa partes interdum totius significationem habent. Hæc ergo mens horum verborum est: quibus testudine, quę pars lyræ est, & ad hunc usum primum ab Arcade Mercurio accommodata; vel testudine, qualem paravit Arcas Mercurius, carmen dimensis lyra, quæ ex testudine facta est, cordi fuit & curæ, quibusq; ea nomen dedit, hoc est, fecit, ut Lyrici sint inde appellati. Similiter in Epithal. Stellæ & Violantillæ:

Fessa jacet stratis, ubi quondam conscia culpa
Lemnia deprenso repserunt vincula lecto.

Ubi offensus repetitione vocis interdum synonymæ Cruceus reposuit, *vincula furto*. Sed nihil mutandum: *Strata* enim pars lecti hic sunt, seu stragula vestis, quæ lecto ingesta erat ad commoditatem cubandi. Item in Kalendis Decembribus: *Aut massis Amerina non perustis*. Nam *massæ* nihil aliud sunt quidem quam Amerina ipsa, sed secta & divisa. Quem locum supra etiam explicuimus. Video nunc Barthium quoque eum tetigisse lib. XXIV. Ad. c. VII. Ubi cum sciret veteres massas pomorum delicatorum in sole siccatas fecisse, arbitratur dicere *non perusta*, suo legitimo tempore exemta sole; massas vero ficuum eadem ratione in massas redacta, antequam soli exponerentur. Quod non capio. Aut pira *non perusta* intelligit tempori arboribus dempta; cum alioqui id genus serissime maturescere dicat Plinius lib. XV. c. XV. Vera sunt,

quæ tum notavimus. Tale illud apud Martialem:

Cirrata loris horridis Scythæ pellis.

Nam *lora*, quę vox interdum totam ſcuticam ſonat, hic partis nomen ſunt. Unius enim flagelli multa lora, quę conjuncta & vincta ſunt, qua manu tenentur. Quæ *ſcuticam* proprie appellat Auſonius: *ſcuticam prætexit aluta*. Anſam enim *alutam* dicit. Illa lora cirrorum ſpeciem habent: unde *cirrata loris pellis Scythæ* eſt, quæ ab anſa velut capite, cirrorum inſtar dependentia habet illa lora, quę proprie cædunt, & in quæ pellis ſecta vel diviſa eſt. Miſere hic hærent doctiſſimi viri. Non aliter in Statio vox quę ſæpe pro integra lyra ponitur, proprie pro parte lyræ ſumenda eſt. Quibus, inquit, menſis carmen teſtudine juxta Arcadis Mercurii artem elaborata amor & cura fuit ſollertis lyræ, & ab ea denominari, Lyricis vatibus inſeri. Sic potuiſſet dicere: quibus plectra moventibus, quibus fides increpantibus Lyræ fuit cura & nomen. Maximo viro impenſe placebat τὸ *Cura*, nec dubitabat, quin hæc vera lectio eſſet. Sed τὸ *Lyræ* locum hic negabat habere poſſe. Cum enim jam *teſtudinem* appellaſſet idem eſſet ac ſi diceret: *quibus Lyra carmen canentibus lyræ cura fuit ac nomen*. Poëtis enim *Lyra*, *Barbytos*, *Teſtudo*, *Cythara* ſynonyma, & negabat *teſtudinem* pro parte lyræ uſpiam accipi. Itaque ipſe divinabat: *Cura melon nomenq; fuit*. Pro *melon melen*, deinde tranſpoſitione literarum *lemen* & *leben*. Sæpiſſime enim confunduntur *M* & *B*. unde *Maſcauda* & *Baſcauda* in ſcriptis. *Melos* Latinę uſurpavit Horatius & Lucretius *mele* τὰ μέλη.

Inde

Inde autem *μελικοὶ* poëtæ & *μελικὴ ποίησις* Græcis Grammaticis passim. Quod si quis malit sequi, non inhibeo: meum tamen nondum sperno. Nec enim tam ineptus sensus ejus est, ut indicavimus, si *testudo* pro parte Lyræ accipiatur. Quod fecit & Manilius:

Nunc surgente Lyra testudinis enatat undis
Forma.

Nec enim dicet Manilius: *surgente Lyra ex undis emicat Lyra.* Sed testudo est pars ejusmodi lyræ, qualem ex testudine fecit Mercurius. Quam Greci vocant *ὄστρακον*, ut notavit Scaliger. In asterismo Lyræ: *ὁ λαμπρὸς ὁ ἐπὶ τοῦ ὀστράκου καλύμματος Λύρας.* Ecce *ὄστρακον* vocat, quod Manilius *testudinem.* Quod nomen ipsi *χελώνῃ* dat Homerus:

Αἰόλον ὄστρακον ἐστὶ χελὺς ὄρεσι ζώουσα.

Hyginus quoque idem *ὄστρακον testudinem* vocat: *Habet autem* (Lyra) *in ipsis testudinis lateribus singulas stellas.* Nec ignoro alias testam seu munimentum illius animalis, & testudinem diversa esse. Sed illud manifestum est, Lyram Mercurii appellatam non a forma, sed a materia, quia pars ejus pręcipua erat *νῶτον* sive *ὄστρακον χελώνης*, quod *testudinem* Manilius, Statius, Hyginus vocant. Habebat enim pręterea & *πήχεις* & *ζυγὸν* & *δόνακας* & *μαγάδιον* & *χορδὰς* & *δέρμα βοὸς.* quibus accedebat in manu canentis *πλῆκτρον.* Sed illę omnes *τῷ ὀστράκῳ χελώνης* continebantur. Illud tergum sive *ὄστρακον* quare *testudo* nequeat dici, caussam nullus video: nisi & Manilium & Hyginum reprehendere velimus. At vero si *mons* quælibet particula montis, si *elephantus* ebur sive dens elephanti, si *reges armenti* (Stat. I. Achil.)

pro tergoribus recte dicuntur; quare non testa illa in Lyra *testudo?* Sed omne dubium tollit Tibullus lib. III. El. IV.

Artis opus raræ, fulgens testudine & auro,
Pendebat leva garrula parte lyra.

Ipse denique Statius lib. x.

huic languida cervix
In levum cogente Deo, mediaq; jacebant
Colla relapsa lyra. ferrum per pectus Agylleus
Exigit; aptatamq; cava testudine dextram
Percutit & digitos inter sua fila trementes.

Ecce hic *media lyra* fulcit collum; at supina *testudo*; pars ejusdem lyræ, super quam chordæ extensæ feriri solent, insertos habet digitos. Mirabor sane, si nondum persuadere possum *testudinem* pro lyræ parte accipi, & nos bene correxisse. Certum est *Cydam* istum ignobilem cum suis *Cydiis modis* subjectum nobis esse a Domitio, quia apud Suidam legerat Arcadem Bacidem Cydam appellatum, & hic testudinem *Arcadiam* vocari videbat. LIRÆ quomodo in LIBEN depravatum fuerit, nihil attinet dicere, cum notum sit millies B & R ob affinitatem in vetustissimis libris confusa esse. In MSC. Flor. *Cicla* fuit, nempe cum CULA ex CURA factum esset primum, etiam solenni confusione ♃ L & R. dehinc *Cibla*, divisa minuta vocali *u*. Nec prodigiosum sane CURA in CUDA corrumpi, unde Domitianus *Cyda* exiit. Sic apud Ovidium lib. III. de arte:

Auditos memori detulit aure sonos.

cum *retulit* scribendum sit autoribus MSSC. Codd. Apud Martialem *Sigeriosq; modos*, pro *Sigeriosq; meros*, inculcatum erat. Apud Tacitum in vita

in vita Agricolæ: *approbate reipubl. nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut caussas debellandi:* vulgo erat, cum vera lectio esset, *rebellandi*. Quod recte advertit Pichena: sed non intellexit recte, cum *caussas rebellandi* explicuit injurias & acerbitates, quæ inferebantur provincialibus. Quomodo enim ostendere in pugna hoc possent, se non pressisse eos injusto & contumelioso servitio? Sed *caussa rebellandi* intelligendæ sunt ignavia, dissolutio, securitas & vecordia militum, unde fiduciam concepisse credi poterant barbari. Ammianus: *Africam jam inde ab exordio Valentiniani imperii exurebat barbarica rabies, per procursus audentiores & crebris cædibus & rapinis intenta, quam rem militaris augebat socordia.* Horum crimen fortiter faciendo delere poterant & monstrare, non præbitam occasionem a legionibus corruptis licentia, nec harum contemptu arma sumpsisse Britannos, sed suis furiis & inquietudine mentis, vocare eos ultro pœnam suam & Romanos fatigare. Sic in contrarium apud Martialem, pro *exta cruda*, *extathura* in vulgatos libros invaserat. In Asinaria Plauti pro *monedulam* quidam MSC. *monerulam* habebant. Quod purum putum librariorum erratum est: fallitur que Lipsius, cum antiquum putat, quia *arvocatos, arfines, arfari* dixerint. Neque enim hæc extendenda ultra usum & rationem usui consentaneam. Alias & *ficerulam*, & *periculus* pro *ficedula* & *pediculus* & plurima ejusmodi ridicula speciem induent vetustatis.

CAP.

CAP. LI.

Statius quinq; locis illustratus, bis correctus. Nimbus verborum. Valerio Maximo lux. Crines flammarum. Val. Flaccus vindicatus. Mons, pro, quicquid in monte. Afflatus mons. Mons tardus in fœdera. Vertex. Olens Thymbra. Virides anni. Ritus funebris sectos crines ad sepulchra ponendi. Ejus ratio.

EPicedio in Patrem: *& effreno nimbos æquare profatu.* Gevartius defendit hic Valerium Maximum a correctione Pighii. Idem in mentem venerat olim Grutero, cujus in scidis ita reperi: Confirmetur isto loco Valerius Maximus lib. v. *Quo enim jambo, qua procella verborum impium Sextilii caput obrui meretur?* Ita Pighius edi curavit, cum MSSC. & retro cusi: *Quo enim nimbo:* quod ignoraret, an quis dixisset *nimbum verborum.* At ita dictum voluit Papinius. Ita Aristophanes in Ranis: ἆρν' ἄρνα μέλαιναν, παῖδες, ἐξενέγκατε· τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται. Idemque rursum: ἐπίσχες οὗτος, ὦ πολυτίμητ' Αἰσχύλε, ἀπὸ τῶν χαλαζῶν. Quintilianus lib. XI. c. ult. dicit Homero fingi Ulyssem stetisse oculis in terram defixis, *immotoq; sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet.* Rursum Statius:

Exsere semirutos subito de pulvere vultus,
Parthenope, crinemq; afflato monte sepulti
Pone super tumulos & magni funus alumni.

Quis non de hoc loco dubitavit? Utique postquam δύω κοσμήτορε λαῶν, I. Lipsius & alter, πολυθρύλλητον τῶν Μυσῶν ἀνθρήνιον, corrigere cœperunt. Ille quidem, *afflata mente*, quod sequitur

vir

vir doctus de funeribus Romanorum: hic vero, *crinemq; afflatum monte*, hac interpretatione: pone, o Parthenope, crines tuos, ut sunt etiamnum ambusti & afflati incẽdio Vesuvini montis, in tumulo parentis mei. Quod in cœlum Gevartius tollit, repetitum etiam in Electis: nec Cruceus, quod cavillaretur, invenit. Quin Gruterum ante idem sensisse scidæ ipsius docent: Lipsius emendat: *afflata mente.* nec improbo, immo laudo. Non damno tamen suspicionem meam, *crinemq; adflatum monte*: ut velit crines tantum non adustos incendio montis Vesuvini. Sane etiam infra *montem* simpliciter posuit pro Vesevo. Sic illi. Tamen verum est Poëtam scripsisse, ut vulgo legitur. Jubet Parthenopen, Divam præsidem Neapolitanę urbis & regionis, tumulo parentis crines imponere. Fingit autem ipsam deam Parthenopen inhabitare ceu sacram sibi sedem montem Vesevum: ut plerumque loca inaccessa deorum esse putabantur, & religione etiam, etsi alias invia, septa erant. Pomponius Mela lib. III. *Vltra hunc sinum mons altus (ut Græci vocant) θεῶν ὄχημα, perpetuis ignibus flagrat*: & quę sequuntur. Tum Parthenopes caput dicitur merito, quod altissimum in Neapolitano districtu est. id est mons Vesevus, qui ignes ejectabat. Porro *crines* ignium flammæ frequenter dicuntur. *Πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος* apud Æschylum Prometheo vincto. Catullus: *viden' ut faces. Splendidas quatiunt comas?* Seneca Oedipo:

Vtrumne clarus ignis & nitidus stetit,
Rectusq; purum verticem cœlo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?

Vale-

Valerius Flaccus:

Protulit ut crinem densis luctatus in extis
Ignis.

Quo magis miror Jul. Scaligerum hoc Flacci reprehendere, si tamen eum intelligo, quando ait: nescio an per metaphoram dictum sit *ignis crinem*, an vero erutum e libris Aruspicum. lib. VI. Poëtic. c. VI. Statius lib. V. Thebaidos: *& multa crinitum missile flamma.* Ita *crines Parthenopes*, utpote in capite Vesuvii finguntur flammæ ex Vesuvio emicantes. Quomodo poneret illos super tumulum Papinii patris? *adflato monte*, hoc est, si adflaret tumulo incendium montis Vesevi. *Mons* pro quacunque ejus parte, aut quodcunque in monte. Seneca Thyeste: *sive venturi times Montis ruinam.* id est, lapidem unum, qui de monte devolvebatur. Propemptico Metii:

Artius objecto Borean Eurumque Notumque
Monte premas.

Ita *mons Libys* epulo Domitiani, quod *Libycum silicem* dixit in Epithalamio Stellæ & Violantillæ. Claudianus Consf. Mallii: *consumant totos spectacula montes.* id est, totorum montium feras. Ex quibus liquidum est, quid velit Statius in equo maximo Domitiani: *tu tardum in fœdera montem Longo Marte domas.* id est, Dacos, qui in monte sedes collocaverant, tardos ad fœdera. Frustra hic Lipsius, Bernartius, Demsterus, Gevartius se vexarunt. Neque aliter capiendum, quod ibidem: *vidit domus ardua Daci.* Nempe hoc est, viderunt Daci in arduo monte habitantes: quorum in arduo monte sedes sunt. Non ipse mons, non templum in monte,

non regia; sed in genere tota gens montem colens. Florus lib. IV. *Daci montibus inhærent*. Ausonius in Mosella:

feras cum protulit umbras
Hesperus, & viridi perfundit monte Mosellam.

Sed quod maxime huc pertinet, Plinius junior de Vesevo: *jam pumices etiam, nigriq; & ambusti & fracti igne lapides: jam vadum subitum, ruinaq; montis litora obstantia*. Lucanus: *& torrens in campos defluit Ætna*. Valerius Flaccus: *Vix dum ignea montem Torsit hiems*. Et ipse Statius hoc carmine:

Cum pater exemptum terris ad sidera montem
Sustulit, & late miseras dejecit in urbes.

Ita aliquando explicandum putabam, quod in epithalamio Stellæ:

nec blandus Amor, nec Gratia cessat
Amplexum virides optatæ conjugis annos
Floribus innumeris & olenti spargere Thymbra.

Thymbram volebam non pro una specie illa, sed pro campo, unde Apollo Thymbræus, & inde quicquid florum in eo nascitur, hyperbole poëtica accipi. Sane Ptolem. Flavius testatus est olim *Thymbra* habere vet. codices, contra novatores, qui *nimbo* induerent. Et quocunque sensu id retinendum. decent enim Apollinem munera sui campi. Maronis verba respexit Statius:

Hic circum casiæ virides & olentia latè
Serpilla & graviter spirantis copia thymbræ
Floreant.

Quamquam & ipse campus bene dicatur *olens*, ut *olens Hymettus*. Illud autem *virides annos* in vetustissimo exemplari invenisse se ait nobiliss. Barthius lib. XXVIII. advers. c. IX. cui lubens

Z assen-

assentior, ita & non aliter scripsisse Statium. Herculc Surrentino:

Quod si dulce decus viridesq; resumeret annos.

Protreptico ad Crispinum:

Haud unquam tales adspexit Romulus annos
Dardaniusq; senex medii bellare togata
Strage fori.

Lib. x. Thebaidos.

fulminei per vos cunabula Bacchi
Inoamq; fugam vestriq; Palemonis annos.

Tibullus: *dum rugis integer annus, Utere.* Silius Italicus:

properoq; virentes
Delerat leto bellator barbarus annos.

Lib. I. Achilleidos contrario sensu:

per Tethyos annos
Grandævumq; patrem supplex miseranda rogabo.

Ita cum aliis MSSC. duo Gruteri. Quare nollem Barthium postea *virides artus* probasse. Ad istam figuram etiam pertinet illud in coma Earini: *patrias nunc vertex solus ad aras Naviget.* Depravatus a mala manu codex, qui *vertici crinem* succedaneum dat: & falluntur, qui probant, Politianus & Bernartius. Manilius lib. v.

Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,
Perfundetq; novo stellantia littora ponto.

novo ponto, est, novis donis ponti. Ita appellantur pretiosi lapides aurumque e ponto erutum. Ut ergo (revertor unde digressus) *ruit* mons, *consumitur, objicitur, dejicitur, perfunditur, torquetur, descendit,* (Statius lib. XI. Thebaid. *Rhodope descendit in amnes*, id est, nix Rhodopia) *mergitur*, ita etiam *adflatur.* Adfla montem Parthenope tumulo; & ita super illum flammeos tuos crines pone.

pone. Ut Albulæ ſulphuratis aquis *ſulphureos* dat *crines* in Tiburtino Vopiſci:

Illic ſulphureos cupit Albula mergere crines.

Ro. codex *cinerem* habet. *Crinem* melius eruditiuſque: quo alluditur ad priſcum ritum crines ſectos ad ſepulchra ponendi. Herodotus lib. IV. τῇσι δὲ παρθένοισι ταύτῃσι τῇσι ἐξ Ὑπερβορέων, τελευτησάσῃσι ἐν Δήλῳ κείρονται καὶ αἱ κόραι καὶ οἱ παῖδες οἱ Δηλίων· αἱ μὲν πρὸ γάμου τὸν πλόκαμον ἀποταμόμεναι καὶ περὶ ἄτρακτον εἱλίξασαι, ἐπὶ τὸ σῆμα τιθεῖσι. οἱ δὲ παῖδες περὶ χλόην τινὰ εἱλίξαντες τῶν τριχῶν τιθεῖσι καὶ οὗτοι ἐπὶ τὸ σῆμα. Pauſanias in Arcadicis: καὶ (ἀποθανεῖν γὰρ τὸν Σώστρατον Ἡρακλέους ἔτι ὄντος μετ' ἀνθρώπων) οὕτως οἱ τὸν Ἡρακλέα τότε μνῆμα αὐτῷ εἶναι ποιήσαντα, καὶ ἀπαρχὰς ἀπὸ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν δοῦναι. Philoſtratus in Heroicis: μετεποίει καὶ δὲ καὶ τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἕκτορος. Ἀχιλλέως γὰρ ἔφασκεν εἶναι αὐτὸ μετὰ τὴν κόμην, ἣν ἐκείρατο ἐπὶ τῷ Πατρόκλῳ. Alia alii, quos non exſcribimus. Ejus ritus hæc ratio dari poteſt. Formam ut egregie venuſtat ſpiſſi capilli ſuboles; ita mire dehoneſtat hoc decus ſpoliatum. Petronius: *Infelix modo crinibus nitebas Phœbo pulchrior* &c. Quemadmodum autem feſtis diebus rebuſque lætis munditiem & nitorem amabant: ita contra in triſtibus funereque ſuorum id operam dabant, ut maxime ſordidi turpeſq; eſſent aſpectu: tum ut diis hac forma majorem invidiam facerent. Statius epicedio Pileti & alibi. Sic ille penes Apulejum: *Sine, ſine, inquit, fruatur diutius tropæo fortuna, quod fixit ipſa.* tum ut oſtenderent præcipuo ſe carorum decore ſpoliatos odiſſe jam cultum omnem, quoniam periiſſent ii, propter quos interque quos præcipue cultum nitoremque amabant:

bant: quibus propterea illum nunc devoverent, ut quem maxima parte abstulissent, omnem tollerent secum. Huc pertinent dilaceratio vestis, indecorus ejulatus, denudatio pectoris contra pudorem, sectio genarum, crinium denique spoliatio. Immo eadem caussa est, quod carissima quæq; rogo injicere solerent. Pulchre hæc ob oculos ponit chorus Troadum apud Senecam in Troadibus. Apud Curtium lib. III. *fœminarum turba laceratis crinibus, abscissaq; veste pristini decoris immemores.* Non alio digitum intendit Athenæus lib. XV. δειπνοσοφ. cum explicuisset verba illa Sapphus: εὐάνθεα γὰρ πέλεται κεχαρισμένα τε μάκαρσι μᾶλλον. Subjungit: διὸ καὶ περὶ τὰ πένθη τοὐναντίον παρασκευαζόμεθα. ὁμοιοπαθεῖς γὰρ τῷ κεκμηκότι, κολούομεν ἡμᾶς αὐτοὺς τῇ τε κουρᾷ τῶν τριχῶν, καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει. Possemus & magis peculiarem rationem assignare, quod αἱ τρίχες τῆς νεκρώσεως σύμβολον. νεκραὶ γὰρ αὐταί εἰσι καὶ ὀδύνης αἴσθησιν οὐ δεχόμεναι, verbis Theodoreti: dignũ ergo defunctis munus. Certe fallitur in τοῦ διότι assignando Eustathius, cumque eo vir doctus lib. I. adverf. c. IX. cum sentit ideo id factum, quod ne capiti suo se parcere indicarent. Quasi non genarum sectio gravior pœna esset: quasi non præcipue quæreretur, cur hæ comarum inferiæ ad sepulchra positæ.

CAP.

Cap. LV.

Statius emendatus & luce perfusus. Subnixus comam. Subnixus crinem mentumq; mitra. Virgilius defensus. Fulcire. Cornelius Celsus, Propertius explicati. Trabes auro suffulta, laquearia auro fulta, parma auro fulta. Seneca, Statius alibi correcti. Metallum. Subnixus ostro. Silius emendatus. Barba subnixa capillis. Ovidius defensus.

EPicedio in Patrem:

Ora supergressus Pylii senis, oraq; regis
Dulichii, specieq; comam subnexus utraque.

Ita vulgo legitur. Quod etsi tolerari possit a minus attento lectore, nos tamen *subnixus* legendum esse demonstrabimus. Virgilius IV. Æneid.

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu
Mæonia mentum mitra crinemq; madentem
Subnixus, rapto potitur.

Quid hic *subnixus crinem?* Servius ita explicat: *Subnixus, id est, crinem unguentatum subnixum habens: aut subnixus, fiducia elatus.* Turnebus interpretatur, sub mitra crinem mentumque subnixum habens. Frivola hæc videntur Gevartio, qui sacramento quinquagenario affirmare ausit, locum esse corruptum & Maronem scripsisse mutata literula: *crinemq; madentem Subnexus.* Ut Papinius hic & Virgilius lib. X. Æneid.

fusos cervix cui lactea crines
Accipit & molli subnectit circulus auro.

Quia tamen olim maxima inter literas I & E affinitas & inter se commutatio, ut patet exem-

 plo,

plo, *penna* & *pinna*; *deditus* & *diditus* &c. dici posset τὸ *subnixus* positum pro *subnexus*, neque a verbo *subnitor* illud hic deductum; ut ita prisca scriptura retineatur. Quod vellem elegantissimo viro non excidisse. Gaudeo autem ipsius caussa, quod nondum placuerunt sequestri, neque depositum est sacramentum: grandi enim bolo emunctus esset. Primo non usque eo extendenda literarum *I* & *E* satis definita affinitas: tum accurate inter *pennam* & *pinnam* distinxisse veteres sciunt docti; atque quin inter *diditus* & *deditus* (etsi plurimi codices depravati, præsertim Lucretiani) idem fecerint, ego nullus dubito. Nunquam autem mihi fit verisimile Maronem aut quemquam ejus ævi sano judicio *nixus* pro *nexus*, & porro *pixus* pro *pexus*, *flixus* pro *flexus* &c. scripsisse. Prorsus Saturnalitia hæc sunt. At retinendum *subnixus* a subnitor; idque nihil aliud est, quam suppositus, indutus, circumamictus. Verba hæc, *subniti*, *suffulcire*, *fulcire* idem interdum notant, quod subfixũ, subnexũ, suppositũ, appositũ esse, quamvis non fulciat, sed vel liget, vel arte adhæreat jũctumq; sit. *Fulcire* etiã ligare. Corn. Celsus περὶ χειρουργίας ὀρχέων: *Solet interdum ab altera ora necessarium esse aliquid excidi, ut cicatrix major & latior fiat. Quod ubi incidit, linamenta super non fulcienda, sed leviter tantum ponenda sunt, supraq; ea, quæ inflammationem repellant, ut ex aceto vel lana succida vel spongia. Fulcienda* est astringenda, arte liganda, super astrictis vinculis adnectenda: *continere* debent, *non suffocare*, phrasi Plinii. Monuerat enim ante in exemptione videndum, ne sanguis in scrotum descenderet, neve concretus aliquo loco mane-

ret: quod ita fieri posset, si medicus venis vinciendo prospiceret. Fallitur vir illustrissimus ad Propertium, qui hic *fulcire* στέειν & πιέζειν interpretatur. Nam in illo Propertii:

Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,
Tu potes insolitas Cynthia ferre nives?

Fulcire utique est injectas habere. quare additur *positas*. Qui enim per pruinas nivesq; incedunt, eorum pedes hauriuntur, atque ita recte *pruinas* superjectas *fulcire* dicuntur. Aut *fulciunt pruinas*, quæ sub nudo jove pernoctantibus illis infunduntur aut circumfunduntur. Omnino probanda hæc lectio. Ne bonum quidem sensum τοῦ *fulcare* relinquit τὸ *positas*. Sed *ruinas* simpliciter pro cœli ruinis dici, nec ipse Scaliger, cum aliis persuadere vellet, credidit. Non enim *pruinæ* aliter accipiendæ, quam apud Virgilium:

stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum, confertoq; agmine cervi
Torpent mole nova, & summis vix cornibus exstant.

Seneca Hippolyto:

mille non quærit tegi
Dives columnis, nec trabes multo insolens
Suffulcit auro.

Ita fidenter scribo ex membranis Pirckhaimeri. Vulgo: *Suffigit*. quod illius glossema est, Statius lib. 1. Thebaid.

Et nondum crasso laquearia fulta metallo,
Montibus aut alte Grajis effulta nitebant
Atria.

Ita membranæ Pirckhaimeri. Male Lipsius & Bernartius *fulva*, Gebhardus *culta* substituunt. Nugatorium est, quod quidam τὸ *alte* (quod &

bene ex MSC. proposuerat Bernartius) ita eludit, quasi efficiatur homines aliorum capitibus institisse. Hoc qui dicit, ipsum capite jorsum stare credibile est. Quis nescit altis substructionum molibus magnifica ædificia æstimari? Claudianus de bello Getico:

Fultaq; despiciens auro laquearia dives.

Quod nihil aliud est, quam aut lita aut suffixa. Sic lib. XI. Thebaidos noster:

quod regia cassis
Instratusq; ostro sonipes, quod fulta metallo
Parma micet.

Ita rursum optimus ille codex Pirckhaimeri, quo ante nos usus doctissimus Zinzerlingus. Vulgo: *fulva.* quod supposuit, qui ignorabat *metallum* absolute pro auro poni. Ut supra, & apud Claudianum:

& nivea (mirum) cœpere columnæ
Ditari subitoq; trabes lucere metallo.

Silius Italicus lib. VIII.

Dumq; Arpos tendunt instincti pectora Pœni,
Subnixus rapto plebeji muneris ostro
Sævit jam Rostris Varro, ingentiq; ruina
Festinans aperire locum fata admovet urbi.

Ita enim legendum. Vulgo male, *instructi*, & *sævitiam*, una voce. In quo cum sensus nullus esset, vir nobilissimus conjectabat, *Servitium:* nam, infit, ille artes Varronis, ut Senatum proculcando plebem quasi manciparet sibi. lib. III. adv. c. I. Sed dispescenda vox erat. *Subnixus* autem non est fiducia elatus per Consulatum: quam jam ante habebat, cum unicuique e plebe summum imperium liceret convitiis lacerare, & ipse Consulem cavillando Consulatum

erat adeptus. Sed *subnixus ostro*, est indutus *tunica potenti* (ut eleganter loquitur Statius) magnificus & major jam videri consulari habitu. Hegesippus lib. II. de excidio Hierosol. *qui fultum regali indumento tyrannum & dominum incubuisse libertati civium increpitarent*, id est, insignem vestitu regio. Seneca Troad. *vestis utrumque tegat Suffulta latus*, id est, subligata. In omnibus istis exemplis, ubi ligare, continere, artissime copulatum esse notat, similitudo aliqua fulturæ, facile agnoscitur, eaq; ratio ejus phraseos: quam ubique indagare jucundissimum est & præcipuus studiorum fructus. Quod enim fulcit, aut subjectum aut circumpositum aut alligatum aut alio modo applicatum est. Virgilius lib. III. Æneid.

hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Quid hic *subnixa* aliud, quam cincta aut succincta? Ita ergo *subnixus crinem mentumq; mitra*, crinem mentumque mitra coërcens, sustinens, fultus, mento crinibusque unguentatis mitram adnexam vel subnexam habens. Sed & adstrictionem mitræ *subeundi* verbo describit Statius ad Marcellum:

Nunc vacuos crines alio subit infula nexu.

Nam poëtæ vittas, mitras, infulas sæpe confundunt. Ita *subnixus crinem mitra*, cujus crinem mitra subiit. Claudianus in Consulatu Mallii:

Consul per populos, idemq; gravissimus autor
Eloquii, duplici vitta subnixus in ævum
Procedit libris pariter fastisq; legendus.

Ecce manifestam Statii imitationem: unde

qui non persuadetur in hoc epicedio scribendum esse: *specieq; comam subnixus utraque:* Anticyras ablegandus est. Ex hac notione verbi *subnixus* liquidum est valde errare Demsterum ad lib. v. Rosini, qui pro *mitra* scribit ex codice suo *myrrha*, apud Virgilium. Etiam omnia hæc, satis evincunt, recte legi apud Ovidium in o. MS. codicibus:

Barbaq; dum rutilis aberat subnixa capillis.

maleque mutari in *subnexa:* nec minus recte a Turnebo & hoc & Virgilii primum illud intellectum: sed ipsum non satis rationes suas explicuisse, aut forte, quum majoribus intentus esset summi viri animus, nec plane expeditas habuisse.

CAP. LVI.

Statius minutis aliquot mendis liberatus. Natalis origo pendet in certamine gemina terra. Gratus magister puppi sua. Homerus Mæonides. Homerus Sellius & Lydius. Homerus fluvii filius. Argus Arestorides. Silius defensus. Atalantæ duæ. Lactantius castigatus. Schœnus Thebaicæ oræ locus. Tinde. Tyde. Manilius correctus. Patriam Homero dum dedit posteritas, eripuit. Vita, id est, seculum, ævum hominum. Deripere.

EPicedio in Patrem:

Nec simplex patria decus & natalis origo
Pendet & ambiguo gemina certamine terra
Te degente suum Latiis adscripta colonis
Graja refert Selle.

Hæc verba & quæ mox sequuntur, a minutis aliquot mendis corruptissima sunt: sed hunc quoque

quoque locum ceu aranearum telam pervaſerunt magni interpretes. Cruceus ſua fortuna in eum incidit. *Pendere* ut bis poſitum accipi debere ait: ut ſit ſententia, *natalem* Statii patris *originem pendere*, & *geminas terras* item *pendere*, id eſt, ſuſpenſas eſſe & incertas de natali tanti viri, de quo non aliter, quam de Homeri ſtirpe decertant. Sed aliter *pendet natalis origo* Statii, aliter *geminæ terræ*. prius illud paſſive accipiendum, poſterius active. Vel ita juvabit exponere: Te ſibi vindicat Graja Selle, o pater, & ambiguo certamine geminæ terræ, id eſt, cum nihilominus terra huic gemina & ſimilis dubiam illi & ancipitem moveat controverſiam de natali tua origine. *Terram geminam* interpretor Neapolim, quę a Grajis condita, ut Selle. Ambiguum certamen nugacium expoſitionum. Ut multa verba compendifaciamus, ſic omnia ſcribe:

Nec ſimplex patriæ decus: & natalis origo
Pendet in ambiguo geminæ certamine terræ.
Te de gente ſuum Latiis adſcripta colonis
Graja refert Selle: gratus qua puppe magiſter
Excidit, & mediis miſer evigilavit in undis:
Mæon & unde ſuum longo probat ordine vitæ
Mæoniden, aliæ quem aliis certantibus urbes
Deripiunt, cunctæq; probant. non omnibus ille
Verus; alit victos immanis gloria falſi.

Non ſimplex & unicum tibi patriæ decus eſt: ſed origo natalis in ambiguo certamine geminæ terrę pendet, inter anceps certamen duarum urbium, Neapolis puta & Selles, ventilatur. *In ambiguo* habet Ro. & Ven. editio: quod miror fugiſſe oculos ſtudioſiſſimi Lindébrogii. Semel

hoc

hoc indicasse sufficiat, veterem codicem, cujus variantes ille edidit, non alium quam Romanum nostrum esse. Ne imposterum docti viri errent, & MS. illum putent, etsi scriptis æquandũ. Sed vir summus, gravioribus studiis implicatus, & hanc operam in typographi gratiam præstans, aliquando indiligentius eo usus est. *Degente* recte discerpsit Cruceus. *Grajus magister* inepte dicitur Palinurus, qui Phrygius erat: Sed *gratum* dixit Papinius, sive Æneæ, sive Teucris, sive ipsi denique puppi. Nam hoc frequenter legimus, gaudere tecta, & locos præsentia boni domini, & rursum mœrere illius discessu. De *Meone* misere se torquet Cruceus: sed hic profecto consideravit mentem Poëtæ attentius, quam omnes anteriores interpretes. Homerus *Meonius*, ejusque carmina *Meonia* appellantur, proculdubio quia Smyrnæus, seu Lydius, ut Arachne *Meonis* Ovidio. Lydia vero *Meonia* sive a *Meone* rege, ut vult Claudianus lib. II. in Eutropium, sive a fluvio *Meone* dicta est. Nam & Homerum fluvio genitum scripsit Critias Sophista. Philostratus: οἶδα γὰρ καὶ Κριτίαν τὸν σοφιστὴν οὐκ ἐκ πατέρων, ἀλλ' Ὁμήρου δὴ μόνου σιωπῇ τοῦ πατρὸς ἐπιμνηθέντα· ἐπειδὴ θαῦμα δηλῶσαι ἔμελλε πατέρα Ὁμήρου ποταμὸν εἶναι.
Credo, quod ex eo, ceu fonte perenni

Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Sed certius autor libri περὶ Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου, καὶ τοῦ γένους καὶ ἀγῶνος αὐτῶν· Ὅμηρον γὰρ πᾶσαι ὡς εἰπεῖν αἱ πόλεις καὶ οἱ ἔποικοι αὐτῶν παρ' ἑαυτοῖς γεγενῆσθαι λέγουσι. Καὶ πρῶτοί γε Σμυρναῖοι Μέλητος ὄντα τοῦ παρ' αὐτοῖς ποταμοῦ καὶ Κρηϊθίδος νύμφης, κεκλῆσθαί φασι πρότερον Μελησιγενῆ· ὕστερον μέντοι τυφλωθέντα

δίται Ομηρον μετονομασθῆναι. Alii apud eundem γενεαλογοῦσι οὕτως. Δίου καὶ Πυκιμήδης τῆς Ἀπόλλωνος θυγατρὸς γενέσθαι Ἡσίοδον καὶ Πέρσην. Πέρσου δὲ Μαίονα· Μαίονος δὲ θυγατρὸς καὶ Μέλητος τοῦ ποταμοῦ Ομηρον. Prętèr Homerum Lydium fuit alius Sellius. Eos confundit licentia Poëtica Papinius, ut ſupra in equi Lyſippæi hiſtoria feciſſe eum animadvertimus. Sic Ovidius lib. I. Metam.

Donec Areſtoridæ ſervandam tradidit Argo.

At Ἄργος Ἀρεστορίδης Apollonio lib. v. Argonaut. qui Argo navem fabricavit. Atalantam Arcadiam, quę ex Meleagro Parthenopæum genuit, cum Bœotia vel Scyria, ut eam appellat Lactantius ad lib. VII. filia Schœnei, uxore Hippomenis, confundit Statius lib. VI. Theb.

quis Menalia Atalantes
Neſciat egregium decus, & veſtigia cunctis
Indeprenſa procis?

Ubi cum Statii artificium deprehendiſſet Lactantius, aut ipſe errat, aut certe corruptus eſt. Verba ſunt: *Atalantæ confundit hiſtoriam. Hanc enim Atalantam Hippomenis uxorem diximus filiam Schœnei* (ita leg. non *Siconei*) *fuiſſe; illam aut in qua cum procis curſu contendit, Oenomai filiam, uxorem Pelopis. Sed parem hiſtoriam poſuit Virgilius. ille enim ait:*

Et manibus Progne pectus ſignata cruentis.

cum hoc conſtet Philomelam feciſſe. Sed mutavit hiſtoriam. Atalantam cum Hippodamia confudit, niſi aliquid deeſt. Diodorus Siculus tamen & Fulgentius Arcadiam illam etiam Schœneo patre natam ajunt, alii Iaſii Argivorum regis filiam. At rurſum Statius lib. VII. curſum iſtius Bœotico campo aſſignat, & Schœnon locum

in Bœotia vocat *Atalanteum*, quasi a Schœneo Atalantæ patre denominatum:

Qui breve litus Hyles, Atalanteumque superbi
Schœnon habent, notique colunt vestigia campi.

Strabo lib. IX. χώραν τῆς Θηβαϊκῆς vocat, ubi & Hylæ & præcedentis proxime Scoli meminit. Errat Gevartius, qui Schœnum dicit esse Arcadiæ oppidum. At Arcades sequebantur castra Argivorum, Schœni incolæ Thebanorum. Ita Silius Diomedem Thracium & Ætolum miscet lib. XV.

Caucasus antiquo fidebat Atlante magistro,
Ipsum Ætola vago Diomedi condita Tinde
Miserat. exceptum Trojana ab origine equorum
Credebant, quos Ænea Simoëntis ad undas
Victor Tydides magnis abduxerat ausis.

Tinde urbs Thraciæ est, Diomedis equorum stabulis insignis, qui carnibus vescebantur humanis, ultimo domino pasti. Hoc oppidum Diomedis Thracis Ætolo Diomedi conditum ait Silius, non errore aliquo, sed optimo jure vatum. *Caucasus* ex MSC. produxit Carrio pro *Camphasus*, quod vulgo est: habentque illud veteres ed. Romana & Parisiensis. *Tinde* correxit vir incomparabilis ad Solinum. Nisi tamen ut omnia fingeret, Silius *Tyden* quoque quasi a patre Tydeo nomine imposito conditam Diomedi Ætolo simulavit. Etenim *Ætolæ Tydes* meminit, & cum Oenæis domibus eam conjungit lib. III. Sic Scironis scelus Sini tribuit autor Ciris. Jam notissima est controversia tot urbium de civitate Homeri patriaque. In qua constituendus nobis elegans Manilii locus lib. II.

Ultimaque

Vltimaq; in patria, captisq; penatibus arma
Ore sacro cecinit, patriam qui & jura petenti
Dum dabat, eripuit: cujusq; ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit.

MSC. *patria quæ jura petentem.* Sed illam probat & acriter pro ea pugnat vir illustrissimus. Ait Homerum patriam eripere Ulyssi, dum illi dat: qui eum inducit in patria rura pervenientem non statim post excidium Trojæ, sed longo post tempore: neque tuto, sed procorum insidiis petitum: neque vacuam, sed a procis occupatam patriæ possessionem ei reddit. Nonne satis clare loquitur, inquit, quum dicit: *qui Homerus patriam eripuit Vlyssi, dum dat, & ex cujus ore omnes vates rigantur?* Quis negat hęc cohærere? Sane Fr. Junius negat: & hactenus nos ei assentimur. Non vero cum pergit, scribitque: *patria qui jura.* hac constructione: qui poëta eripuit latices illos patriæ suæ ipsius, dum jura dabat ipsi petenti. Quasi dicat petenti a Cumęis προξενίαν & alimenta negata esse per iniquam sententiam, & ea re poëtam concitatum diris eos devovisse, laudes eorum tentare negasse, itaque latices suo voto illis eripuisse. Sed scripsit Manilius:

Ore sacro cecinit, patria cui jura petenti
Dum dabat, eripuit, cujusq; ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit.

Duplex Homeri descriptio est, utraque pendens a voce *posteritas:* & ita construendum: *Cui petenti jura* & nomẽ *patriæ*, (hoc est, cujus patria & civitatis jus cum indicanda essent) *posteritas, dum dabat, eripuit,* (hoc est, contendendo tribuendoq; incertam fecit adeo, ut ignoretur)

& cujus ex ore eadem posteritas latices duxit. Omnis posteritas, ad prius colon ita pertinet, ut ille, quem allegavimus: πᾶσαι ὡς εἰπεῖν αἱ πόλεις καὶ οἱ ἔποικοι αὐτῶν. Nunc ut pateat mens Statii, ait ille Mæonem, e quo Homerus genitus, & unde a Poëtis patronymica appellatione *Mæonides* vocatur, nunc sero decidere controversiam, quę de Mæonidæ sui patria fuerit tot inter urbes; & vel hoc exēplo probare Sellen ipsi patriam: quippe cum tantus Poëta, quantus Papinius pater exstitit, non ab alia produci terra, alia urbe, alio cœlo potuerit, quam quę ipsum Homerum omnium principem dedit. *Longo ordine vitæ,* est, post multas hominum ætates. Sic crebro Plinius. lib. IX. c. XXXVI. *Sic omnes qui istis gaudent, præmia vitæ suæ calleant.* id est, ætatis, in quam nati sunt. Alibi: *Postea tot subiere nomina atque genera, ut vel hoc solum æstimantibus appareat, mutatam esse vitam,* id est, ævum hominum. Rursum: *Sed & alios ejus usus recognoscat vita.* Et sæpe alibi. Ut Gręci βίος. Athenæus: προστίθεις δ' ὁ βίος ἀεὶ τοῖς χρησίμοις καὶ τὸ εἰς ἀπόλαυσιν τῇ τρυφῇ ἀγόντων, ἐπὶ τὴν τῶν μύρων χρῆσιν ὥρμησε. Haud igitur ambiguum nunc, *unde* pro *inde* scribendum. Selle, inquit, ubi vel prope quam magister ille multum amatus puppi suæ excidit: & unde Mæoniden suum probat Mæon. Neque ratio reddenda illius, quod *aliaquem* pro *alieque* posuimus. *Deripere* pro detrahere, abripere, accurate veteres a *diripere* distinxerunt, quod proprie discindere, in diversa trahere. Tibullus: *e cœlo deripit ille deos.* Idem: *Sertaque de sanctis deripuisse focis.* Ovidius lib. IV. Metam.

velamina Progne

Deripit

Deripit ex humeris auro fulgentia lato.

Male subjicit Gebhardus, *Diripit.* nam *τὰ ex humeris* alterum defendunt. Sæpe in libris hęc confunduntur. Poteſt tamen in Statio illud *diripiunt* tolerari, ut illa, *aliis certantibus*, sint auferendi casus, pro, cum aliæ interea etiamnum certent. Ut in Surrentino Pollii:

Tempus erat, cum te geminæ suffragia terræ
Diriperent.

Illud quoque non erat diſſimulandum, *non omnibus ille Verus;* deberi ingenio prętantiſſimi viri And. Schotti lib. II. obſervat. hum. cap. III. cum antea, *Verſus*, legeretur, quod ineptiſſime Domitius explicat.

CAP. LVI.

Statius bis explicatus. Pronum. Illuſtratus Seneca. Subjacet. Inclinare fidem alicui. Tertullianus aſſertus. De incredulitate duritia. Deſignare. Sibyllæ fabula.

EPicedio in patrem:

Sit pronum viciſſe domi: quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantæa protectum tempora pinu:
Cum totiens laſſata tamen nuſquam avia frondes
Abſtulit, aut alium tetigit victoria crinem?

Non levis iterum lapſus Domitii, qui ita hęc intelligit: non te pœniteat, o pater, certaſſe domi & in patria: quid enim oportuit vagari per ludos Græciæ. At longe alia ſententia Papinii eſt. Dicat ſane aliquis, pronum eſſe, facile eſſe ſub domeſticis judicibus coronas mereri: quid vero habebit invidia, quo admordeat

Achaicas victorias tuas. Nam hoc ait, per ludos Grçciæ magna decora patrem suum obtinuisse. *Pronum* (nam hęc vox non intellecta bono homini) est facile, promptum. Statius alibi: *cognoscere pronum*. Seneca de ira lib. II. c. XXVIII. *cogitemus, inquam, alios non facere iram, sed reponere: alios pronos, alios coactos facere*, id est, lubentes & ultro. Ubi nimium mirum, quod doctissimi editores quicquam aut correxerunt aut dubitarunt. In Hippolyto:

non movent divos preces?
At si rogarem scelera, quam proni forent!

Valerius Flaccus: *omnia circum Prona, patata deo.* Symmachus: *pronis & facilibus admoveri ambitum non oportet*. Pro hac locutione, *pronum est*, Tertullianus interdum dicit, *subjacet*. Ut in Apologet. *jam quidem intelligi subjacet, veritatis esse cultores, qui mendacii non sunt*. Non admodum diversimode in libro adversus Nationes: *De reliqua vero conversationis humana dispositione palam subjacet, quanta a majoribus mutaveritis*. Hinc apud eundem *inclinare fidem* alicui accipitur pro flecti, facilem & pronum ad credendum fieri. De testimonio animæ: *sed ne suis quidem magistris alias probatissimis atq; rectissimis fidem inclinavit humana de incredulitate duritia, sicubi in argumenta Christiana defensionis impingunt. Tunc vani poëta, cum deos passionibus & fabulis designant*. Noli emendare cum docto viro: *Dei incredulitate*. nam *humana de incredulitate duritia*, ita accipiendum, ut apud Cyprianum in epist. a Donatum: *gratuitum de Deo munus:* Minutium Felicem Octavio: *specta de libris memoriam:* & millena talia apud Tertullianum ipsum: pro, humanę incredulitatis

duritia, σκληρὸν τῆς ἀπιστίας, ut loquitur Cyrillus præfat. Catechef. Neque *designant* ibidem est infirmant, aut alluditur ad ritum veterum obsignandi, quæ diligentius custodita vellent: sed simpliciter est describunt, aut si quid acutius, *denotant*, quo verbo alibi utitur autor, turpiter notabiles faciunt, *insigniunt*; accepto verbo notione illa infami. Ut *insignis varis cruribus* Lucilio. Curtius: *insignes aut aliqua membrorum parte inutiles*. Alliensis dies *insignis rei nulli publice privatimq; agendæ* apud Livium. *Insignita verba, cultus, comitatus, domus, uxor Mæcenatis* apud Senecam. Rursum hoc epicedio:

Illa minas divum Parcarumq; acta canebat,
Quamvis decepto vates non irrita Phœbo.

Domitius: etiamsi Phœbus deciperetur; Sibylla vera prędicabat: ita tu pater etiamsi Poëtæ male scripserant; tamen recte docebas & emendabas. Nugæ. Est in fabulis Apollinem ambiisse noctem Sibyllæ Cumææ. & dum sperat, præcorrumpere illam tentasse, data optione, cujuscunque rei vellet. Illam apprehenso cumulo pulveris tot annos petivisse, quot corpora ille haberet manipulus. Quo potitam non tamen facilem fuisse Phœbo, sed æternam juventam sub mercede virginiei pudoris respuisse. Ita deceptus Phœbus, neque tamen irrita hęc vates, hoc est, non credita, χρησμοὺς ἀπιστουμένους ᾄδουσα, uti Cassandra, cui hæc pœna decepto Phœbo injuncta est. Narratio illa exstat lib. XIV. Metam. Ovidii. quam & allusit noster in Via Domitiana:

Vel quantos ego Delium poposci.

Itaque verba illa,

Quamvis decepto vates non irrita Phœbo,

simplex periphrasis sunt Sibyllæ, nec fingenda hic febricolosa illa & prorsus pædagogica apodosis cum Domitio.

CAP. LVII.

Statius ter emaculatus. Sumere furias, bellum. Musas debere parenti. Quam pro quantum. Sidera, æquora, terra, pro mundo. Sidera, æquora, terras debemus parentibus. Autor Herculis Oetæi illustratus. Spectator Athletes ipse.

EPicedio in patrem:

sacrilegis lucent Capitolia tedis
Et Senonum furias Latiæ sensere cohortes.

Rom. Venetusque codex: *sumsere cohortes.* Optime. *Sumere furias*, ut *sumere bellum*. Florus: *nec temere sumptus, ut barbaris, impetus.* Ovidius: *pugneq; assumit amorem.* Sic *ruere in furias* Virgilius III. Georg. *ire in furias* Prudentius:

Ac jam lassatis judex tortoribus ibat
In furias.

Inferius:

Me quoq; vocales lucos lustrataq; Tempe
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi,
Admisere deæ: nec enim mihi sidera tantum
Æquoraq; & terras, quantum ostendere parenti.
Sic decus hoc quodcunq; Lyræ: primusq; dedisti
Non vulgare loqui & famam sperare sepulchro.

Ineptissimi sensus & indigni tam culto poëmate. Me etiam, audis, cum pulsarem Helicona & filium me tuum esse assererem, lubenter deæ

admi-

admisere. Etenim non tantum ostenderunt mihi in sideribus, æquoribus, terris, quorum naturas & secreta cognita scilicet habere debet vates, quantum parenti. Quis non videt hęc esse nexas arenas? Et jam seculum ultraque est, quod omnis literatus orbis ita Papinium reliquisse credidit. Utique postquam Domitius notasset: In aliis codicibus ita reperies: *quam vos debere parenti:* sed nos ita emendavimus, cum aliter nullus esset sensus, facileque in has syllabas redigi posset: *quantum ostendere parenti.* Et hoc optime convenit, ut dicat: quicquid datum cognitionis & disciplinę a Musis, id non tam tribuerunt mihi quam patri. Paulo quidem tolerabiliore ille sensu figmentum suum ornat: non tamen hęc tanti, ut quemquam ad assensum cogant, qui vetustam lectionem capit. Papinius scripsit:

nec enim mihi sidera tantum
Æquoraq; & terras, quam vos debere parenti.

Merita patris sui narrans nobilissimos Romanorum & summis postea honoribus functos pręceptore illo usos esse ait. Suspenditur hic oratio interjectis de bello civili & exæstuatione Vesuvii montis. Interea, dum ille hanc provinciam administrat, subito civile bellum exortum, obsessum Capitolium, ipsi dii oppugnati, exusti: in qua calamitate diis ipsis patribusque magno cum applausu solatia cecinisti. Hinc dederas te Vesuvino incendio describendo & deplorandis gentium urbiumque damnis. Me autem cum succrescerem, dum tu his & hujusmodi rebus occuparis, & Helicona pulsare inciperem, faciles divæ admisere, quod te

ęssem ortus. Hoc omnium, quę a te & per te accepi, maximum reor, hoc omnium, quę tibi debeo, princeps & præcipuum. Neque enim hanc lucem, quam oculis usurpo, hanc terram, in quam de matre çecidi, hęc æquora atque adeo hunc orbem, cujus ex partibus primis constamus quoque homines, parenti me debere, tantum arbitror, tanti existimo, quanti quod vos, o Divæ, hoc mystagogo me admisistis, quanti quod vos parenti debeam. Apostrophę ad Musas erudita & elegans. *Quam* pro quantum. Ut Propertio contra:

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Equo maximo Domit. *quantum tu mitior armis.* Deinde *sidera, æquora, terræ*, id est, τὸ πᾶν, mundus. Ovidius:

Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera movit.

Noster coma Earini: *hoc sidera mecum, Hoc undæ terræq; rogant.* Hæc & eorum usum debemus parentibus. lib. XII. Thebaid.

hominum, inclite Theseu,
Sanguis erant, homines, eademq; in sidera, eosdem
Sortitus animarum alimentaq; vestra creati.

Ita enim scribendum. Vulgo inepte, *omnes.* Ex hominibus provenerant, homines erant, animarum sortitus & alimenta vobiscum participabant. Autor Herculis Oetæi:

Hac hac peremit dextra, cui debes patri
Avum Tonantem. majus eripui decus,
Quam in luce tribui.

Hoc est: Lucem tibi tribui, & in luce danda, lucem dando, decus tanti patris. Sed illud eripui tibi majus, nempe quia Hercules tum major, pluribus egregiis factis, & patre Jove probatiore.

batiore. Deinde ignaro hoc decus dedi, eripui sentienti. Apud Ovidium Althæa ad Meleagrum: *vixisti munere nostro, Nunc merito moriere tuo.* Majore ergo bono spoliavi te occidendo patrem, quam per lucem eundem dando patrem tibi tribui. Magni viri hunc locum non ceperunt. Veram Statii lectionem habet & codex Medicæus, nisi quod lapsu librarii *debori* ibi legitur. Ipse livor fatebitur nos gemmam Statio jamdudum luto strangulatam feliciter reddidisse. Hinc autem genus Poëtæ nostri obscurum non est. Quid nunc dicemus de graphico illo mortali, qui cum fatuis cogitationibus suis subito pro Publio Sextum nobis Papinium effecisset, pergit, & hunc filium esse ait S. Papinii, cum Q. Plautio Consulis, nominati Tacito lib. VI. Annal. Quod profecto tam acutum est, ut nemini illorum, quos ille in vergvecum patria natos putat, in mentem venire potuerit. Et nesciebam antehac tam facile esse, ut si fortuna vellet, fieret ex rhetore Consul. Sed abeat dormitator fastuosissimus. Inferius;

Talis Olympiacæ juvenem cum spectat arena,
Qui genuit, plus ipse ferit, plus corde sub alto
Cæditur: attendunt cunei; spectator Aletes
Ille magis, crebro dum lumina pulveris haustu
Obruit, & prensa vovet exspirare corona.

Corruptissimi hujus loci restitutio debetur quoque CL. Salmasio. cujus monitu scribimus: *spectator athletes Ipse magis.* Alii, inquit, attendunt pugnantes: sed ille spectator, qui genuit, magis athleta est ipse quam spectator: ita haurit oculis (quod certantium proprie est) atq; haurire sibi videtur pulverem illum, quem

 exci-

excitant pugnantes: ita (quod athletarum ipsorum, qui in arena sunt, votum est) cupit exspirare corona prensa, coronato funere contentus est. De ejusmodi autem faventis spectatoris motu vivum exemplum apud Thucydidem est lib. VI. licet in re magis seria: *δι᾽ ὀλίγου γὰρ οὔσης τῆς θέας, καὶ οὐ πάντων ἅμα εἰς τὸ αὐτὸ σκοπούντων, εἰ μέν τινες ἴδοιεν πῃ τοὺς σφετέρους ἐπικρατοῦντας, ἀνεθάρσησάν τε ἂν, καὶ πρὸς ἀνάκλησιν θεῶν, μὴ στερῆσαι σφᾶς τῆς σωτηρίας, ἐτρέποντο. οἱ δ᾽ ἐπὶ τὸ ἡσσώμενον βλέψαντες, ὀλοφυρμῷ τε ἅμα μετὰ βοῆς ἐχρῶντο. καὶ ἀπὸ τῶν δρωμένων τῆς ὄψεως, καὶ τὴν γνώμην μᾶλλον, τῶν ἐν τῷ ἔργῳ ἐδουλοῦντο. ἄλλοι δὲ καὶ πρὸς ἀντίπαλόν τι ναυμαχίας ἀπιδόντες διὰ τὸ ἀκρίτως ξυνεχὲς ἀντῆγον τῆς ἁμίλλης, καὶ τοῖς σώμασιν αὐτοῖς ἴσα τῇ δόξῃ περιδεῶς ξυναπονεύοντες ἐν τοῖς, χαλεπώτατα διῆγον.* Hoc est, quod Statius sodalem suum in dulci suo periculo *connisum omni pectore* ait. Jam positionem non obstare, quo minus illa syllaba corripiatur, norunt omnes, quibus nota est vis illarum literarũ λ μ ν ρ, si cum alia quavis consonante, quæ eas præcedat, jungantur. Sic *ἄτλητον*, ut *ἀθλητὴς* primam habet brevẽ. Ex *γενέθλης* apud poëtam epigrammatum. *Ἀριθμὸς* media brevi apud Callimachũ. *Ἀχρειοσύνη* prima brevi in alio epigrammate, *ἄκλυτος*, *ἄχρηστος*, *κέκριται*, *κέκλυται*. In Peplo Aristotelis: *Θύμβρᾳ ἐθρήνησαν.* Eadem ratio est in *κύκνος* & *Πρόκνη*. Nec putari debet prima in *ἆθλον* ex contractione longa esse quasi pro *ἄεθλον*. Sunt enim *ἆθλον* & *ἆθλος*, quod *πόνοι*, *κακοπάθειαι* explicant Hesychius & Eustathius, unde *ἄθλιος*, miser, primigeniæ voces. inde per *ἐπένθεσιν* Ionicã factum *ἄεθλον*. Nec audiendi, qui *κρᾶσιν* fieri τοῦ *α* & *ε* in hac dictione
cen-

censent. Nunquã enim fit κρᾶσις, ut ex duabus unica tantũ litera maneat pura, sine ullo indicio κράσεως. At pro ἄθλον ἄεθλον Ionicũ est per epenthesin literę; ut ἠέλιος pro ἥλιος. Quod nõ poëticum tantũ, ut Grammaticis quibusdã placet, sed plane Ionicum. Sic pro ἀδελφὸς, ἀδελφεὸς dicunt Iones, quod contractionem non patitur, κενεὸς pro κενὸς. Sic ἄρω pro tollo antiquum est pro αἴρω per epenthesin. postea & ἀείρω & ἀέρω. Iones ab Atticis, nõ Attici ab Ionibus linguam acceperunt. Illi αὐτόχθονες & origines, isti eorum aborigines. Unde Atticæ literæ pro antiquissimis: quarum Alphabetum XVI tantum literis constabat: Ionicum XXIV ac recentius. Quin & apud Græcos ipsos prima in ἄθλος & secunda in ἔπαθλον reperitur brevis. Quę idem nos docuit Salmasius, nunquam satis laudatus.

CAP. LVIII.

Statii difficilis locus examinatus & restitutus. Alius illustratus. Exordia, orsa, ordiri. Taciti loco crepero lux. Relinquere autorem liber dicitur, qui editur. Thebais invida. Statius in agone Capitolino succubuit.

EPicedio in Patrem:

> *Nam quod me mixta Quercus non pressit Oliva*
> *Et fugit speratus honos, cum dulce parentis*
> *Invida Tarpeji caneret te nostra magistro*
> *Thebais. Vrgebant priscorum exordia vatum,*
> *Tu cantus stimulare meos.*

Quibus omnia, quæ non capiunt, facilia sunt, eos non miror hunc quoque locum transmisisse. Domitius ita interpretari se credidit. Excu-

ſat, quod in certamine Capitolino fuerit victus: quod tunc erat occupatus audiendis antiquis poetis ex patre: nam doctrinam colligebat, ut componeret Thebaidem ſuam, qua occupatione factum eſt tunc, ut non bene cecinerit laudes Iovis Capitolini: atque ita Thebais, cujus cauſſa erat occupatus, viſa eſt invidere Iovi Capitolino, quando non permiſit, ut illius laudes bene caneret. *Dulce invida.* Dulcis invidiæ fuit, cum totum ſibi Thebais vendicaret poetam, quem non conceſſit Iovi Capitolino. *Vrgebant,* id eſt, impellebant occupatum ad opus, *Exordia.* longę explicationes a te factæ priſcorum vatum, quos mihi exponebas. Ergo *canebat Thebais*, cum ad eam componendam Statius doctrinam colligeret; deinde Thebais *dulce invida Tarpeji parentis*, quæ honeſta æmulatione Jovi invidebat Statii ſtudium: rurſum, *urgent priſcorum exordia vatum*, quæ explicantur. Denique in agone Capitolino non recitavit Thebaida Statius, ſed aliud carmen in laudes Capitolini Jovis compoſitum. Quæ omnia abſurda & ἀσύστατα adeo, ut refutatione non egeant, recitaſſe ſufficit. Joſ. Scaliger in arduo opere de emendatione temporum hunc locum ita conſtituit:

cum dulce parenti
Invida Tarpejo caneret te noſtra magiſtro
Thebais, urebant priſcorum exordia vatum.

Quod, inquit, Quercum Capitolinam multum ſperatam mihi non potui conjungere cum Oliva Albana, cum committerē Thebaida meam cum priſcis poetis, id eſt, cum iis, qui jam alias coronas ſæpe vicerant, urebant me illi & prægravabant ſplendore nominis & famæ ſuæ: ita victus

victus ſum in Thebaide committenda. Propterea epiſtola libri I. diſerte ait *deſertum ſe a Thebaide ſua.* Verba hæc ſunt: *Quid enim oportet hujus quoque autoritate editionis onerari? quod adhuc pro Thebaide mea, quamvis me reliquerit, timeo.* In epicedio patris ἀρχαϊσμῷ eleganti dixit Thebaidem *invidam Tarpejo parenti*, id eſt, invidioſam: ut *ingratum* in utramque partẽ uſurpamus. Uſus eſt autem Horatiano verbo, *urebant*:

Vrit enim ſplendore ſuo qui prægravat artes
Infra ſe poſitas.

Rurſus ibidem *exordia* ſunt, quæ ἐνδόσιμα. τὸ αἴτιον, inquit, τοῦ με τοῦ ἠλπισμένου νικητηρίου ἁμαρτεῖν, ὅτι τὰ τῶν πάλαι ποιητῶν ἐνδόσιμά με κατήσπαπτεν. Is. quoque Caſaubonus tangit eundem ad Suetonium, ſed aſſenſus fere Domitio: neque enim verum, ait, victum fuiſſe Statium, cum commiſiſſet Thebaidem ſuam in agone Capitolino: hoc potius ait, ideo ſe eſſe victum, quia inviderit eam gloriam Jovi Capitolino Thebais: quæ tunc temporis totum ſibi Statium aſſerebat, & omnia ejus ſtudia. Sed vir illuſtriſſimus ſupra quam ſolet, hic paſſus aliquid eſt humanitus. Quot ſententiæ, tot errores. *Exordia* non ſunt ἐνδόσιμα: & quis feret *priſcos vates* Latine dici, qui ante ſæpius erant coronati? *Exordia vatum priſcorum* nihil aliud ſunt quam orſa, ſcripta. Epiſtola ad Marcellum:

Nunc ſi forte meis quæ ſint exordia Muſis,
Scire petis, jam Sidonios emenſa labores
Thebais optato collegit carbaſa portu.

Ubi *exordia* idem, quod materies: quid jam meditentur Muſæ meæ, quid condant. Columella præfat. lib. X. *iſq;* (cultus hortorum) *ſicut inſtituerant,*

tueram, prosa oratione prioribus subnecteretur exordiis, nisi propositum meum expugnasset frequens postulatio tua. Ordiri, pro narrare, Tacitus lib. XV. *Ergo Epicharis plura & omnia scelera principis orditur.* Hactenus nihil vitii in illo loco: de cęteris, quæ sequuntur, alias videbimus. Non hęrebit, qui genium Cornelianæ brevitatis perbibit, quod tot magnos viros, qui sine æmulo coronam ex illo scriptore parare speraverunt, sæpe parum potuisse non sine caussa fortassis miror. Volusius Proculus privata questus fuerat. Epicharis continuans sermonem pluscula scelera Neronis, ut destinationē vindictæ publicis accenderet, addidit. mox ut grata materies invitos quoque & ignorantes producit, plenis velis in omnia, quæ mens & bilis subjiciebant, scelera principis cum minis invecta est. Porro qui illi & ubi memorati exercitatissimi vates, quorum fama & exordia Papinio prægravis? Certe si illi tales, Æneæ dextra cecidit Statius, nec habebat quicquam causæ, cur indigne secum actum putaret, aut propterea Jovem *ingratum*, & *inficiatorem* vocaret: *Cum Capitolia nostræ Inficiata lyræ.* Est enim *inficiator*, qui abnegat debitū. Cicero pro Cluent. *Florio legatum ex testamento inficiatum esse.* Martialis:

In jus, o fallax atque inficiator, eamus.

Illum vero ἀρχαισμὸν, quem dicit, *invidum* pro invidioso, seu quod invidiam parit, quis illi concedet elegantem esse, adeo ut non potius solœcum dicat? Sed & in epistola prima, *quamvis me reliquerit,* nihil aliud est, quam, etsi jam edita sit, jam publicata, ut nunc sero & frustra pro illa timere videar. Quo minus indignum est,

quod

quod nec Domitius hoc intellexit, qui interpretatur: *quamvis me reliquerit*, i. quamvis emendaverim & elimaverim opus, quod non feci in Silvis. Atque hęc omnia cum Scaligeri in verbis reprehendenda essent, miror D. Petavium, qui tantum reprehendendi animo ista legerat, id potissimū arripuisse, quod verissime dictum erat. Neque enim figmentum Scaligeri est, commissam Thebaidem esse ludis Capitolinis, & excidisse Statium: sed ipsius Poëtæ querela, ut statim videbitur. Thebaidem *Tarpeji Iovis invidā* appellat, (notat Petavius lib. XI. de Doct. Temp. c. XX.) quod totum sibi vendicaret atque ad se raperet Statium, nec carmen aliud perpoliri sineret. Quis ita loquitur: *Thebais invida Iovis*, pro, quæ invidet Jovi? dein *Thebais canit*, pro, Thebais scribitur? Certe nusquam Statius. Mox locum ex dedicatione lib. I. Silv. mirifice accipit, quasi dicat Poëta, editionem Thebaidis ab amicis sibi extortam contra propositū suum esse. Hoc vere figmentum Petavii est, uti quod bis ab autore edita sit Thebais. Quo satis inepte contorquet illud ex fine lib. XII.

Iam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.

Novam enim nihil aliud est, quam recentem, calentem ab incude. Illic vero satis sibi incumbere oneris ait, quod Thebaidis editioni autoritatem accommodaverit, quod se autore edita sit Thebais; ne nunc gravet se novo onere, Silvas quoque publicando. præsertim cum adhuc timeat pro Thebaide; sed sero, cum jam a se discesserit, cum jam publici juris facta sit. Serus enim timor est, qui emendari nequit. Timorem

hunc

hunc explicat illud Ausonii: *poëmatia rudia quum sine metu arcana securitate fruerentur, proferre ad lucem caligantia coëgisti.* Et idem: *quippe tua possunt populum non timere: meis etiam intra me erubesco.* Nihil ergo minus cogitavit hic Statius, quam quod ei Petavius sua cogitatione affinxit. Nunc in epicedio in Patrem scribendum esse arbitror:

Nam quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, quum dulce parenti
Invida Tarpejo caneret te nostra magistro
Thebais, (urgebant priscorum exordia vatum)
Tu cantus stimulare meos.

Pro *parentis Tarpeji, parenti Tarpejo* scripsimus, secuti autoritatem MS. Senensis, ex quo id Scaliger ad oram Statii sui notaverat, etsi isto loco dissimulet ex MS. haustum. *Invidam Thebaida* vocat, quę ęmulabatur veterum Poëtarum gloriæ. ut ad Maximum Junium:

Thebais multa cruciata lima
Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.

Atque hoc explicat ipse in parenthesi illa: *urgebant priscorum exordia vatum:* id est, exagitabant Thebaida fama sua, quam illa parem sperabat & apta est. *Quum te magistro nostra Thebais Iovi Capitolino dulce caneret*, i. cum Thebais te fido monitore multa lima cruciata in agone Capitolino recitaretur. Addit *dulce* Poëta propterea, quia conscius suæ virtutis gloriosissimus vates damnabat suos judices, eorumque censuram dedignabatur & vel invitis illis bene se & scripsisse & recitasse confirmat. Exemplum adest, non semper credendum esse coronis, quas etiam ad

im-

imperitos gratia deferre solet. Non aliter atque suscensebat judicibus suis Aristophanes post infelicem Νεφελῶν commissionem: εἶτ᾽ ἀνεχώρουν ὑπ᾽ ἀνδρῶν φορτικῶν ἡττηθεὶς οὐκ ἄξιος ὤν. Scholiastes: τῶν κριτῶν· τοῦτο ἐπὶ τῶν προτέρων νεφελῶν, ἐπεὶ Ἀμειψίας δεύτερος ὤφθη. Ergo hoc dicit: quanta fuissent gaudia tua, si me in Albano victorem vidisses, si in meis sertis ipse coronatus esses! quantum senium hęc tibi lętitia demere potuisset! Nam quoniam id de me sperares, tum, cum Quercum Capitolinam a malis judicibus extorquere non potui, cum frustratus est me honos victoriæ quæsitus, ut eandem aleam felicius in Albano tentarem, tu pręcipuus mihi impulsor fuisti, tu me stimulasti ad spem felicioris certaminis.

CAP. LIX.

Statio complures menda exempta. Index cura deum. Iocus Stratonici apud Athenæum explicatus. Votum parentum filios habere superstites, & ab iis pie componi. Lasciva Phylaceia. Retro referre. Ennea Iuno. Columella, Claudianus correcti.

EPicedio in Patrem:

> *His tibi pro meritis famam laudesque benignas*
> *Vindex cura deum, nulloque e vulnere tristem*
> *Concessit.*

Quæ hęc *vindex cura deum?* Utrum ἀποτρόπαιος & quæ patrem Statium ab incursibus fortunæ propter probitatem suam vindicaret, an quæ deos vindicaret ab invidia omissę curę rerum humanarum? Alterutrum credo finxisse sibi

inter-

interpretes. Sed verior ſcriptio remanſit in editione Romana & Veneta: *Index cura deum.* Gravius etiam peccarunt librarii, qui duo hic hemiſtichia transpoſuerunt. Scripſerat enim Statius:

His tibi pro meritis nulloque e vulnere triſtem
Index cura Deum famam laudeſque benignas
Conceſſit.

Et famam nullo e vulnere triſtem, & laudes benignas conceſſit tibi probans eos cura deum. Quam clara nunc omnia, quam pulchra! at quam inepta vulgata erat! Cum bonis bene eſſet, malis male, dicebant ESSE DEOS: & hi qui diſcrimen illud pro meritis ſuis perſentiſcerent, quaſi teſtimonio erant & eſſe deos & noſtri curam habere. In epiſtola Antonii ad Hirtium & Octavianum: *Dediſſe pœnas ſceleratum cineri atque oſſibus clariſſimi viri & apparuiſſe numen deorum intra finem anni vertentis, aut jam ſoluto ſupplicio parricidæ, aut impendente, lætandũ eſt.* Livius lib. III. *Et dum pro ſe quiſque Deos tandem eſſe & non negligere humana fremunt, & ſuperbiæ crudelitatique etſi ſeras non leves tamen venire pœnas.* & lib. VIII. *Bene habet: dii pium movete bellum: eſt cœleſte numen: es magne Iupiter.* Noſter in Soteriis Rutilii: *Eſtis, io, ſuperi.* Cl. Quadrigarius annali XII. *Si pro tua bonitate & noſtra voluntate tibi valetudo ſuppetit, eſt quod ſperemus deos bonis benefacturum.* Apud Athenæum, cum trabis ruina oppreſſus eſſet homo ſceleratus, dicit Stratonicus: ἄνδρες, δοκῶ, εἰσὶ θεοί. εἰ δὲ μὴ εἰσὶ, δοκῷ εἰσί. hoc eſt: *O viri, ſunt Dii, puto equidem: ſed ſi non ſunt Dii, trabi ſunt Dii,* vel trabs habet deos, id eſt, vim deorum, poteſtatem & ultionem in malos. Ita potius explico,

co, quam cum Casaubono in animadvers. lib. VIII. c.X. Ergo *index cura deum*, quæ ostendit & probat, deos esse. Ut Martialis:

Sospite quo magnos credimus esse deos.

Contra si esset, negabant. Autor Octaviæ:

Nullum Pietas nunc numen habet,
Nec sunt Superi.

Iterum epicedio in patrem:

Quos ego tunc gemitus? comitum manus anxia vidit:
Vidit & exemplum genitrix, gavisaque novit
Quæ lamenta tuli.

Quæ stultitia sermonis, *gavisaque novit?* Ocius scribe, ut poëta olim: *gavisaque vovit, Quæ lamenta tuli.* Duo parentum summa vota; superstites liberos relinquere, & ab iisdem pie lugeri. Pulcher locus Taciti lib. XVI. annal. de L. Vetere, socruque ejus Sextia, & Pollutia filia, uxore Plauti: *Tunc eodem in cubiculo eodem ferro abscindunt venas, properique & singulis vestibus ad verecundiam velati, balneis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, & certatim precantes labenti anima celerem exitum, ut relinquerent superstites & morituros. Servavitque ordinem fortuna: ac senior prius, tum cui prima ætas, exstinguuntur.* Tanta religio istius voti erat. Apud Lucanum lib. III. pater se interficiens filio cæso & moriente cummaxime:

Semianimisque jaces & adhuc potes esse superstes.

Hoc innuit Statius: mater in hac summa tristitia gavisa est, quantum possunt lugentes; tam pio filio, & ab eodem hæc lamenta sibi, quum se fata abire jussissent, conferri vovit. Gaudebat exemplo, quod in se quoque recasurum sperabat & optabat. Contra de Agrippinæ pavore, ubi Britannicum veneno sublatum vidit, Taci-

tus lib. XIII. *quippe sibi supremum auxilium ereptum & parricidii exemplum intelligebat.* Sic Troadibus Seneca, occiso Memnone:

Suique victor operis exemplum horruit,
Didicitq; Achilles, & deis natos mori.

Rursus hoc epicedio:

Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno
Caussa minor: si Thessalicis Admetus in oris
Silva una tetra Phylaceida rettulit umbram,
Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua Manes
Aut mea?

Corruptissima hæc sunt & fere desperata. Quamdiu (exclamat Domitius) putas me jactatum esse horum duorum versuum difficultate & mendarum fluctibus? nam ubi scribendum *tetra* legitur *retro.* Alcestis Peliæ filia seipsam interfecit, ut umbra sua contenti Manes Admetum virum mortuũ ad superos & lucem remitterent. Protesilaus etiam ab inferis impetravit ad superos reditum, reperitque uxorem statuæ suæ incumbentem. Si, inquit Papinius, Admetus in Thessalia, umbram Phylaceida, id est, Protesilai; si, inquam, una secum illam reduxit, hoc est, ambo redierunt e silva tetra & myrtea, hoc est, propter amorem. Quę quis non refutet? Ut doleamus nunc quoque vicem ejus, cum tanti temporis labor tam nequiter ipsi expetiverit. Sed adest columen Grammaticorum Cruceus, qui negat opus fuisse, ut in his verbis tantopere æstuarent. Constat enim Alcestidem propter virum Admetum ex inferis rediisse. unde merito Admetus retulisse & reduxisse ejus Umbram dicitur, quę vocatur *Phylaceis*, id est, Thessala, a Phylace Thessalię urbe. Jamdudum

ambigo, propitiumne iſtiuſmodi mortales genium ſuum habeant, an iratum. Sane in multis, quę noſtrorum ingeniorum tormenta ſunt, ipſis ſecuris licet eſſe. Nihil enim intelligendo, quæ proxima via eſt, omnia intelligunt. Quis unquam Alceſtim vocavit *Phylaceida?* Scio quidem gentile urbis ſępe pro gentili regionis apud Poëtas poni. Sed dominatur in his uſus: & *Phylaceus* proprium nomen & quaſi dedicatum Laodamiæ eſt. Deinde quid eſt *una?* Nam quod *tetra* pro *retro* ſcribit Domitius, facilius fidem inveneret, niſi ſic id explicuiſſet. Aut valde fallor, aut ſubeſt aliquod τρμῶν πῆμα, quod non eſt ϑρεῖν ἰατρικῆς. Scribe:

ſi Theſſalicis Admetus in oris,
Si laſciva retro Phylaceia rettulit Vmbram.

Ex *Silva una*, fecimus *Si laſciva*, non ſane diſtorta apicum mutatione, & ſenſu exigente. *Phylaceia* eſt ipſa Laodamia, quam *laſcivam* vocat, quippe cujus amor & deſiderium conjugialia gaudia nimis reminiſcebatur. Viderat miniſter Acaſti Laodamiam in thalamo ſimulacrũ Proteſilai amplexantem atque oſculantem: ſed ſiniſtra interpretatione adultero fieri ea putans, Acaſto patri indicavit. Qui cum veniſſet, & irrupiſſet in thalamos, vidit effigiem Proteſilai. Illa, *rettulit retro Vmbrã*, & de Admeto & de Phylaceia ſeu Laodamia ſunt intelligenda. Si Admetus Theſſalus, ſi laſciva Phylaceia, quæ propter amplexum & oſcula maritum deſiderabat, impetraverunt, ut Umbra retro remitteretur, quæ invidia eſt, meam vel tuam chelyn idem ſperare? Denique hoc epicedio:

At vos Vmbrarum reges Ætnæaque Iuno

 Scribo:

Scribo: *Ennæaque*. Vitium solenne & sæpe alibi animadversum. Lucanus: *quæ te Contineant, Ennæa, dapes*. Silius: *atque Ennæa numina divæ Atque Acheronta vocat*. Columella lib. x.

Cum Cereris proles vestris intenta choreis
Æquoris Ennæi vernantia lilia carpsit.

Statius IV. Thebaid. *Ennæa Cereri negat*. & lib. II. Achilleidos:

Qualis Siculæ sub rupibus Ætnæ
Naides Ennæas inter Diana,

Ubi etiam vulgo: *Ætnææ* & *Ætnæas*. Neque aliter apud Claudianum lego cum Ph. Cluverio lib. II. de raptu Proserp. *Enna parens florum*: Et: *quos nec tua protulit Enna*. Lib. III.

Prima Venus flores Ennæaque rura maligno
Ingerit afflatu.

Alii tamen *Ætnæam Cererem* pro Sicula bene dici volunt. Quod de matre possum pati: at ubi filiæ mentio, semper *Ennæam* scribendum puto. Immo & ubi matris, quicquid illi dissentiant. Quamquam nec ignorem *Siculam conjugem* Plutonis dici Juvenali, nec *Ætnæam tellurem* Ovidio. Errat And. Schottus, qui nonnullis indiligenter excusis codd. inductus *Hennam*, & *Hennæis mœnibus* apud Ovidium, pro *Enna* & *Ennæis* scribit in Obser. Humanis. Illud minus fortasse est, quam ut debeat moneri, initio carminis hujus, ibi: *nec solitam fas est impellere Cyrrham Te sine*: male in omnibus editis duo illa postrema verba extra istud colon poni. Mox etiam scribendum ex Ro. Codice:

Frigida damnatæ praduxit nubila menti.

Cum vulgo habeatur, *produxit*.

CAP.

CAP. LX.

Statius ter correctus, binis locis explicatus. Vocalis, loquax unda. Viscera nostra tenens animamque. Niti carmen. Descendentes umbra.

EPicedio in puerum vernam:

Me miserum! (neq; enim verbis sollemnibus ulla
Incipiam nunc, Castaliæ vocalibus undis
Invisus Phœboq; gravis) quæ vestra, sorores,
Orgia, Pieria, quas incestavimius aras?

Ita scribendum monuerunt nos eruditissimi viri P. Scriverius & I. Isacius Pontanus. Observandum autem artificium Papinii, quod in gravissimo luctu suspendit versum illo, *Incipiam nunc*, quasi singultu interstinguat. C. Barthius pro *ulla* rescribit *ultra*. Sed non ejurat omnem bonam copiam poëta; verum se hoc tempore quicquam solennibus verbis hilarique cantu orsurum negat. Retinendum igitur *ulla*. *Vocales undas* imitatur Sidonius Apollinaris carm.XIV.

Eja Calliope nitente plectro,
Da sacri laticis loquacitatem.

Et iterum carm.XXIII.

Tunc hac mersus aqua loquacis unda
Pro fluctu madge literas bibisti.

Mox hoc epicedio:

Num vetito de fonte bibi? quæ culpa, quis error
Quem luimus tantis mœroribus? ecce lacertis
Viscera nostra tenens animaq; avellitur infans.

Ro. codex: *lacessit*. Quod placet nobilissimo viro l.XIII. advers. c.X. Ut sensus sit: ipsa viscera nostra sollicitat infans & anima nostra avelli-

tur. Nescio quomodo duriusculum hoc videtur & potius scripsisse Statium:

ecce lacertis
Viscera nostra tenens animamque avellitur infans.

Sevissimorum latronum est lacertis parentum liberos avellere, seu

natos a stirpe recentes
Abripere altricum gremiis,

& sub earundem conspectu trucidare. Euripides Hecaba:

ἥξει δ' Ὀδυσσεὺς ὅσον οὐκ ἤδη
πῶλον ἀφέλξων σὸν ἀπὸ μαζῶν.

Cicero in Verrinis: *Nempe hoc fuit jure, judices, ut ex sinu patris nobilissimus adolescens, & e complexu matris ereptus innocens filius istius carnifici Sextio traderetur.* Ubi observa, quia matris affectus mollior, patris generosior; nomini patris, *nobilissimi adolescentis*, matris vero *filii*, & quidem *innocentis* (quo teneram infantiam honorare Latini solent) nomen respondere. Tam crudeliter igitur mortem sævisse ait, quæ partem viscerum & animæ avellit amantium complexui. Catullus ita in Amorem:

Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu natæ retinentem avellere matrem.
Quid facerent hostes capta crudelius urbe?

Sic ad uxorem Claudiam: *fixamq; animi penetralibus imis Nocte dieq; tenes.* Pietate Abascantii: *Visceribus totis animoq; amplexa.* Inferius:

Hoc quoq; cum meditor, terdena luce peracta
Acclinis tumulo, luctus in carmina verto,
Discordesq; modos, & singultantia verba
Molior. orsa dolor prohibet atque ira tacendi
Impatiens.

Au-

Audiamus Domitium: hic dictionem ſuggeſſi *meditor*, quæ deſiderabatur in omnibus codicibus, in quibus ita hic verſus ſcribitur ſpatio etiam relicto: *Hoc quoque cum in Terdena luce peracta*. Et mox: in aliis codicibus, ita legitur: *orſa & atque ira tacendi*. Sed nos ita emendavimus. Laudet hanc ſiniſtram benignitatem, qui volet. Nos iſtiuſmodi impenſas non amamus, & certe major antiquitati debetur reverentia. Si conjectura res expediri poteſt, ſcripſit Statius: *Hoc quoque dum nitor.* nam poſtrema ſyllaba in ſequentem vocem ſubſedit. *Niti carmen* dicitur, qui magno labore velut e quercu exſculpit. Atque hoc ſi non placet, malo hæc & quarti verſus verba cum lacunis ponere, ut in MSSC. codicibus habebantur, quam pati, ut Domitius pro Papinio legatur. Quod & ipſi facturi ſumus, cum edituri hunc Poëtam, & qui nos occupabunt aut ſecuturi ſunt, eis idem ut faciant, conſilium damus. Poſt pauca:

Ille ego lugentum mitis ſolator, acerbis
Auditus tumulis & deſcendentibus Vmbris.

Jubebat nos vir doctus ſcribere: *& pubeſcentibus Vmbris*. Fruſtra: non audimus enim, qui meminimus illud in lacrimis Hetruſci:

Talia dicentem genitor dulcedine læta
Audit, & immites lente deſcendit ad Vmbras.

Illuſtrat etiam illud Senecæ in ludo de morte Claudii: *Dum deſcendunt per viam ſacram, interrogat Mercurius, quid ſibi velit ille concurſus hominum, num Claudii funus eſſet?* Et mox cantata nænia: *Delectabatur laudibus ſuis Claudius, & cupiebat diutius ſpectare.*

CAP. LXI.

Statius aliquoties emaculatus. Domare funera, dolorem. Verum erat. Verum, veritas, vera naturæ. Livius, Seneca, Curtius emendati. Fulmen. Orpheus Eurydicen defunctam sine carmine flevit. Puer simili lingua salibusque protervus. Manilius emendatus & explicatus. Actus. Referre affectibus ora. Affectus, sensus eleganter. Statius alibi explicatus. Animum pingere. Species. Pictura in species animosq; nitens. Iterum loco Papinii lux, alteri medicina. Æquus vultus, æquitas. Martialis correctus. Suetonius, Pomponius Mela defensi.

EPicedio in puerum vernam:

Nimirum cum vestra domus; ego funera mœstus
Increpito, tunc damna dolens aliena repono
Infelix lacrimas, & tristia carmina servo.
Verum erat: absumptæ vires. & copia fandi
Nulla mihi, dignumq; nihil mens flumine tanto
Reperit. inferior vox omnis, & omnia sordent
Verba. ignosce puer: tu me caligine mœstum
Obruis. a duro viso sic vulnere caræ
Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi. sic busta Lini complexus Apollo
Non tacuit.

Locus fœde laceratus; ideoque male intellectus adhuc. Primum scribendum ex Romana Venetaque, quas optimo judicio secutus est Fr. Lindenbrogius, urbis patriæ grande incrementum: *cum vestra domans ego funera mœstos Increpito.* Qua pœne phrasi epicedio in Glauciam: *ægrumq; dolorem Libertate doma.* Mox, *Verum erat.* inter-

interpretatur Domitius: quod scilicet dicebatis, nullum carmen satis esse ad lacrimas reprimendas. At Statius invitat amicos, ut pro solatiis, quæ ipse canere illis solitus erat, vicem reddant carminaque suppeditent. *Verum erat*, subjicit: id est, ęquum erat, merueram sane. idque ob duas caussas, tum ut sævas grates exsolverent, tum quia ipsius vires absumptæ, & copia canendi nulla. Sic Horatius:

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

Livius lib. 11. *captivum agrum plebi quam maxime æqualiter darent. verum esse habere eos, quorum sanguine ac sudore partus esset*. Ita emendamus ex duobus MSSC. Vulgo ex Glossa: *æquum esse*. Seneca ep. CVI. *An non vides, quantum oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quantam modestiam & quietem reverentia? quantam serenitatem lætitia? quantum rigorem severitas? quantam remissionem veritas?* hoc est, ἐπιείκεια. Sic omnes MSSC. At Muretus *hilaritas* substituerat. Nec accuratus Lipsius, qui explicat animum apertum ac simplicem, nec se custodientem. Non enim cautis & callidis, sed severis & stricta fronte Catonibus opponitur hæc *veritas*. Curtius lib. IX. *adeo etiam natura vera bellum in contrarium vertit.* Sic omnes Modii, & duo, quorum nos excerpta habemus. Scioli ex glossa supposuerunt, *jura*. Sic Statius, *verum erat*, pro, jus & æquum erat. Mox scribe: *dignumque nihil mens fulmine tanto Reperit.* Ut in epicedio in Glauciam: *me fulmine in ipso Audivere patres.* Quintilianus: *ut prorsus posset hinc esse tanti fulminis metus, quod observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem*. Quod etiam monebat nos præstan-

tiſſimus Scriverius. Sequuntur verba de Orpheo. in quibus memini me probaviſſe ſummi viri conjecturam. Sed nunc ipſum cum operæ poſcunt hanc paginã, œconomia carminis inſpecta, aliud ſentio. Quod ponam, ubi duum doctiſſimorum hominum conjecturas præmiſero, ut habeat lector, quod eligat. Alter corrigit: *adjuro: viſo.* vel: *tu me caligine mœſtum Obruis ah dura!* lib. XIX. Adverſar. c. VII. Alter tentat: *tu mi caligine merſo Obvius adfer opem: viſo ſic funere.* Optime ad ſenſum, ut putat: laborabat etiam oſtendere, quomodo hi apices in vulgatam corrumpi potuerint. Equidem tantum amicum non niſi honoris cauſſa appellabo. ſed nos tam atroci ſtilo confodere ſcripturam veterem & noſtram ſubdere nunquam ſumus auſi. Quæ timiditas ſive ætatis meæ ſive δυσμαθείας vitium eſt, cum Horatiano Mævio in hac parte egomet mi ignoſco. Video etiam in Gruteri ſcidis tentatum hunc locum. Ille ergo volebat:

Obruis. ah durus, viſo ſi vulnere

& mox quoque *ſi* pro *ſic*. Apparet hoc maxime queri Statium, venam & verba ſe deficere. In quo ſe cum Orpheo & Apolline comparat. Quid eſt ergo: *Orpheus invenit, quod caneret. non invenit,* erat dicendum. Ut in pietate Abaſcantii:

qualis conſpecta conjuge ſegnis
Odryſius vates poſitis ad Strymona plectris
Obſtupuit, triſtemq; rogum ſine carmine flevit.

Qui unicus locus docet, quomodo hic ſcribendum ſit. nempe: *haud diro viſo ſic vulnere.* Sic Orpheus viſo diro vulnere caræ conjugis, quod ſerpens talo ejus inflixerat, haud invenit dulce ſibi, quod caneret. Et mox: *ſic buſta Lini comple-*

xus

xus Apollo Conticuit. Estque simile vitium a librariis commissum infra: *quo sospite natos Non cupii.* nam ita recte Domitius, cum MS. haberent, *Concupii.* Totus ergo locus sic scribatur:

reddite opem, sævas exsolvite grates.
Nimirum cum vestra domans ego funera mœstos
Increpito, tunc damna dolens aliena repono
Infelix lacrimas, & tristia carmina servo.
Verum erat. absumpta vires, & copia fandi
Nulla mihi, dignumq; nihil mens fulmine tanto
Reperit. inferior vox omnis & omnia sordent
Verba. ignosce puer: tu me caligine mœstum
Obruis. Haud, diro viso sic vulnere cara
Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi. sic busta Lini complexus Apollo
Conticuit.

Ut autem hic *diro* scribimus, ita in epicedio in patrem:

non murmure trunco
Quod gemit, & dira queritur Philomela sorori,

quę scilicet in filium communem patris causa sævierat. Vulgo, *dura.* Ovidius:

Altera dira parens (hic est, quam cernis, hirundo)

Ita MS. nón *hac.* Ibi *murmur truncum* intellige ob linguam resectam. lib. XII. Thebaid.

Getica non plura queruntur
Hospitibus tectis trunco sermone volucres,
Cum duplices thalamos & iniquum Terea clamant.

Non bene cepit Barthius lib. VI. adv. c. XVIII. Denique hoc epicedio:

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumve sui convicia Nili
Infantem, linguaq; simul salibusq; protervum
Dilexi. meus ille, meus.

Hęc lectio est Aldina propagata est. Domitii codices & editio: *lingua simium salibusq;*. T. Demsterus gratulatur sibi de correctione amplissimi viri, qui scribebat, *lingua Samium*, ad lib. v. Rosini. Sed duplex hic error est: primum quod *Samium* accepit pro acuto, magistro Nonio; cujus in hac voce explicanda ineptias aperuit vir incomparabilis ad Hist. Augustam: deinde quod Ciceronem de Samiorū dicacitate testimonium perhibuisse putavit. Nec sane Niliacę plebis vernilitas Samio acumine indigebat. Scribe: *lingua simili salibusq; protervum*. Describit puerum pantomimum, quem *protervum lingua simili* dicit, qua nimirum sensus sermonemque aliorum comœdice refert. Epitaphio Vitalis Mimi:

Fingebam vultus, habitus ac verba loquentum,
Vt plures uno crederes ore loqui.

Manilius:

Et si tanta operum vires commenta negarint,
Externis tamen actus erit nunc voce Poëtis,
Nunc Satyro gestu, referetq; affectibus ora,
Et sua dicendo faciet, solusq; per omnes
Ibit personas, & turbam reddet in uno.

Ita Gemblac. codicem habuisse notaverat Susius, ex cujus codice Scaliger excerpta sua habuit. Sed τὸ *actus* tacendo contempsit. Quod tamen elegantissime dictum, & germanum autoris est. *Erit actus externis Poëtis*, est, Gręcorū fabula, Satyros & dramata aget, in scena repræsentabit. Sic Tullius ad Tironem: *tu qui κανὼν esse meorum scriptorum soles*. C. Barthius lib. VII. adv. c. VII. vellet doceri a Scaligero, quid sit *affectibus referre ora*. Dicam. Sensus animi exprimun-

muntur geſtu facieque corporis. itaque etiam tacito ore geſtus & motus externi produnt internas animi motiones. Inde factum, ut *affectus* dixerit Manilius pro ipſis geſtibus, quibus affectus oculis exponuntur. *Referet affectibus ora*, hoc eſt, ut alii loquuntur, *manu loquaci* erit, *nutu manibusq; loquax* erit, geſticulatione poſituque corporis & membrorum, qualis nimirum in hominibus vero animi motu concitatis apparet, referet & oſtendet verba, quæ ab ejuſmodi homine, cujus perſonam agit, dicta ſunt, vel dicerentur. Sic *affectus imponere carminibus* lector dicitur Auſonio, qui flexum vocis attemperat recitatis carminibus, ut appareant affectus illorum, de quibus ſcriptor tractat:

tu flexu & acumine vocis
Innumeros numeros doctis accentibus effer,
Affectusque impone legens.

Quod lector facit voce, hoc actor habitu & geſtu. Atque hunc opportuniſſimum locum Auſonii adjecerat etiam margini codicis ſui Suſius. Hos *affectus* eadem eruditione *ſenſus* dicit Statius epicedio in Glauciam:

Mæonium ſive ille ſenem Trojaq; labores
Diceret, aut caſus tarde remeantis Vlyſſi,
Ipſe pater ſenſus, ipſi ſtupuere magiſtri.

Male intelligunt, qui *ſenſus* vel judicium vel ingenium interpretantur. Senſus ſtupebant magiſtri & pater, quos ille imponeret verſibus modulatione vocis: ex quibus cognoſci poterat, quam bene ipſi Poëtæ a recitante intelligerentur. Ita in pictura Plinius lib. xxxv. c. x. *Ariſtides Thebanus omnium primus animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quos vocant Græci ἤθη: item pertur-*

batio-

bationes. Animum & *sensus pingere* dicitur, qui vivide pingit vultus tales, quales proditores sunt animi & sensuum. Repetenda hic Senecæ verba ex ep. CVI. mox allegata. Iterum Plinius de statuario: *Et ipse tamen corporum tenus curiosius animi sensus non expressit.* Unde intelligendum illud Statii in balneo Hetrusci: *vario fastigia vitro In species animosq; nitent.* Picta vitra dicit nitere & similitudinibus corporum & animis. Male Domitius: repræsentant vultus præsentes tanquam specula. Utrumque picturæ aut signorum verbum. Hercule Vindicis: *species ærisq; eborisq; vetusti.* lib. I. Thebaid. *species est cernere avorum.* Plinius lib. XXXV. c. IX. de Apollodoro: *Hic primus species exprimere instituit.* Et heic diu constitit ars, antequam non in species modo, sed in animos, verbo nostri, opera niterent. Quos indicat & illud Plinii lib. XXXIV. *Spectantur & duo signa diversos affectus exprimentia, flentis matronæ & meretricis gaudentis. hanc putant Phrynen fuisse, deprehenduntq; in ea amorem artificis & mercedem in vultu meretricis.* Et sic ibidem Herculis tunicati habitu Oeteo *facies torva sentiensq;.* Statius lib. VI. Thebaidos:

sed vultu mitior adstat
Ægyptus: Danai manifestum agnoscere ficto
Ore nefas pacisq; malæ noctisq; futuræ.

Ita scribendum, non *Ægystus:* ut pertinaciter editiones & scripti quidam. Monstri simile est argumentũ illud Parrhasii, de quo Plinius l. XXXV. c. X. *Pinxit & Demonem Atheniensium argumento quoque ingenioso. Volebat namq; vanum, iracundum, injustum, inconstantem; eundem vero exorabilem, dementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque, & omnia pariter ostendere.* Quod sane

ſane horreſco referens, & nunc demũ agnoſco, quem tam magna ars exitum fecerit. Rectiſſime etiam in Manilio legitur: *turbam reddet in uno.* id eſt, multitudinem perſonarum in uno, nempe ſe, repręſentabit. Quid elegantius? At *turbam reddere in unam* quam Latine dicatur, aut quid ſit, neſcio. Qui voce Poëtis eſt actus, ſeu Poëtarum ſcripta agit, & in uno reddit refertque turbam, *lingua ſimili protervus* Statio eſt. Ut alibi, *curas ſimiles*, & *vultus ſimiles*, & *vultibus gratiam ſimilem* dixit. Vitium ex compendio ſcribendi ortum eſt. Sic lib. II. Triſtium Ovidii, *ſimilisq; licentia Calvi.* Pro quo MS. habebat *ſil'que.* Quomodo cum in Statio eſſet ſcriptum, librarii *ſimul* acceperunt, alii *ſimim*, diſſecto *l* in *i*: hinc *ſimium.* Martialis lib. III. ep. LXI.

Procuratorem vultu qui præferat æquo:
Acrior hoc Chius non erat Aufidius.

Ita namque ſcribendũ ex membrana MS. Vulgo: *qui præferat ipſo.* quod ſubſtituerunt illi, qui non tam æquitatem in procuratore requiri putabant, quam ut acriter nitatur pro eo, cujus negotium gerit. Sed *æquo vultu* eſt reſpondenti, referenti, æquali. Sic *æquitatem* membrorum Auguſti pro æqualitate, ſeu ſymmetria, quam Latinum verbum habere ſuo ęvo negabat Plinius, laudat Suetonius. quod non bene velit mutatum Caſaubonus. Pomponius Mela lib. III. *dicti Automolæ, pulchri forma, æqui corporis.* Ubi item fruſtra eſt A. Schottus, qui conjectat: *proceri corporis*: vel, *pulchri forma corporis, æqui*: vel denique, *pulchri forma, æquo, corpore.* Quaſi non inferius eodem capite: *Tunc rurſus Æthiopes, nec tam dites, ut hi quos diximus, nec ita corporibus ſimiles, ſed minores in-*

cultiq; sunt. quę manifesto istis verbis, quę antea posuerat, respondent. Nec Tacitus aliter *æquitatem* quam pro pari habitu, licet ad animum respiciens, dixit: *æquitate deum erga bona malaq; documenta*. hoc est, simili quięte & incuria, eodem habitu mentis. Omnino enim ἐπιχωριάζει, de quo vel dubitare φορτικόν. Ut ergo eo redeamus, *lingua similis protervus* dicitur actionis mimicæ peritus, qui eos affectus verbis imponat, ut non aliter loqui videatur, quam illi, quos agit, locuti essent: *salibus protervus* significat argutum in dictis, vernaculum, subdolæ & fucatæ vernilitatis. Restant pręterea in hoc poematio aliquot desperata vulnera, quæ tangere nihil esset aliud quam ocio suo abuti, & nobilissimam divinandi artem iniquorum ludibriis opportuniorem reddere. Quod si studiose nugari esset operæ pretium facere (& est tamen, ut nunc vita truditur: est profecto: illud volui dicere, si nostri esset ingenii,) nihil in proclivi foret magis, quam cassis conjecturis lectoris onerare patientiam. Sed ego aliis persuadere velle non possum, quod ipse non credo. Et exciderunt procul dubio imprudentibus quædam, quæ rectius omitterentur. Si plura ponenda sumserimus, quam sumenda, ut Philosophi e porticu loquuntur, jamdudum fuimus nimii: sin bona exsuperaverint, sufficient forsan ad aliquam de nobis spem concitandam. Οὐ γὰρ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κείμενόν ἐστι, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα.

LECTO-

LECTORI.

ETsi, benivole lector, parate id operam dedimus, ne in rebus tenuibus augeret molestiā materię incuria operarum: tamen fieri non potuit, quin ingratiis nostris non pauca errata irreperent. præsertim in ea folia, quæ cum per sonticum negocium urbe abessemus, excusa sunt. Dein, ut dies diem docet, currente præso subnata quædam, quæ ex usu tuo fuisset suis locis inseri. Ea hic miscuimus, ut illa haud gravatim corrigas, his utare. P.15. l.22. scribe: opponit. p.16. l.16. consiliario. p.24. l.5. & sequentibus:

Prensurum subitæ vallavit ponte ruinæ.

id est, & vallavit non ultra prensurum. Ita scribendum ex MS. Pal. Alluditur enim, quod pręcęssit: *hujus opem unca arripuit dextra.* Vulgo: *passurum.* quod merito suspectum Bernartio fuit. Simplex igitur &c. p.29. l.2. dubitare. l.29. incluserunt. p.32. l.28. post, nolit, insere: Et solitos hoc facere nonnunquam doctos scriptores, aut saltim παροράμασι sua sic excusare ostendunt verba Ciceronis lib. VI. ad Atticum Ep. I. *Nam illud de Flavio & fastis, si secus est, commune erratum est; & tu belle ἠπόρησας; nos publicam prope opinionem secuti sumus, ut multa apud Græcos. Quis enim non dixit, Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας, ab Alcibiade navigante in Siciliam dejectum esse in mare? redarguit Eratosthenes. adfert enim, quas ille post id temporis fabulas docuerit. Num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur jacet*

C c Theo-

Theophrastus, si id a Timæo, tuo familiari, reprehensum est? p.38.l.9. *adsimulat.* ead.l.24. adde: *animalibus: Ciceroni simulata Minerva Mentori:* Virgilio *simulata magnis Pergama.* p.39. l.27. post, posuit. adde: Testatur autem & Polybius, cultus magnificentia templum Jovis Olympii ad multa, quæ in Grecia ædificata sunt, non accedere. Verba sunt lib.IX. καὶ ὁ τοῦ Διὸς Ὀλυμπίου νεὼς πολυτέλειαν μὲν οὐκ εἴληφε· κατὰ δὲ τὴν ἐπιβολὴν καὶ τὸ μέγεθος οὐδ' ὁποίου οὖν τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα δοκεῖ λείπεσθαι. Atque in hoc ipso epitheto Statii sensus æquat Martialis lib.VII.

Astra polumque pia cepisti mente Rabiri,
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Iovi dare templa parabit,
Has petet a nostra Pisa Tonante manus.

Pag.41.l.2. distingue: poterat, Scipio. p.42. l.6. Gnossis. p.45.l.13. scribe: *innoxium.* l.27. *inveniretur.* Cic. lib.1. ad Attic. *Nihil est damni factum novi: sed quod erat, inventum est. in unius perditi judicio plures simi'es reperti sunt.* Ita enim distinguendum censeo. p.47.l.7. post: Apollonius. Frustra hic magni viri contrarium faciunt Suetonio Philostratum, atque in illo rubore Domitiani disputant. In utramque enim partem ille interpretantibus cedit. Quare & phrasibus iisdem, quibus alibi verecundia, alibi ira exprimitur. Sic *flagrare* est ira ardentium. At de pudore dixit Claudianus lib.1. in Eutropium:

Aut quid in hoc vultu poteris flagrare ruboris?

Imitatione Valerii Flacci, qui lib.VII.

Flagrantesque genas vidit, miserumque pudorem.

Male ergo ex Basileensi legit illic Gruterus: *superare ruboris.* In VI. Conf. Honorii: *Cui simplex*

plex calet ore pudor. Et in II. de Laud. Stil.

quid tardius ore verendo
Annuis? insolitus frontem circumfluit ignis.

In epithalamio Honorii: *quoties incanduit ore Confessus secreta rubor.* Sic ex adverso *suffundi*, quod verecundantium proprium, de iratis. Silius l. XI.

suffuderat ora
Sanguis & a torvo surgebant lumine flammæ.

Idem lib. IX.

Tum virgo ignescens penitus, violenta repente
Suffudit flammis ora.

Sic Arnobius lib. III. *quantas irarum flammas suffunderent.* Ubi igitur male Fulvius Ursinus substituit, *effunderent.* Claudianus in Conſ. Mallii:

nec lumina fervor
Asperat, aut rabidas suffundit sanguine venas.

Ita bene MSS. codices, non *diffundit.* Verba sumpsit ab autore Ciris:

Non tibi nequicquam viridis per viscera pallor
Ægrotas tenuis suffundit sanguine venas.

Pag. 49. l. 19. ut nihil. p. 50. l. 2. Scazon. l. 31. Turnebi. p. 51. l. 11. mutandi. l. 20. *Hunc.* l. 31. loquerentur. p. 53. l. 25. post, substituunt. insere: Plenius hoc effert Statius, cum *prendere jugo* appellat lib. IV. Thebaidos:

Arma simul, prensaq; jugo moderatur habenas.

Et simpliciter, ut illi, lib. VIII.

Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis,
Ceu spectetur, agit.

hoc est, nunc pedes, nunc curru juncto pugnat. Aliud apud nostrum alibique sunt *pressa habenæ*, ne quis forte confundat. Ovidius lib. XIV. met. *prensos temone cruento Impavidus conscendit equos.* Ita leg. non *pressos.* Continet enim temo jugum, ut

ait Varro. Igitur *prensos temone*, est prensos jugo, qui a temone sustinetur. Ead. lin. ult. post, *currus*. Cicero ad Atticum: *Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis & rheda equis juncta.* P.54. l.18. est. l.22. *frustrata*. l.28. post, Papinius, dele periodi notã. p.55. l.24. bis *deducere*. l.31. ungere, linire. p.56. l.34. Gnossida. p.57. l.15. post, *fortunã?* Ovidius quoque lib. III. Amor. el. IV.

Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?

Ita legimus autoritate duum MS. codicum: nec audimus Behotium, qui tuetur vulgatum, *formosa*, nec eos qui verba transponunt. lin.18. *meosq; deos?* pag.58. lin.10. *locum*. l.12. unxit fastigia Idaliis. l.26. πόλεσιν. p.59. l.5. Meroetica. l.19. crepund. c.XI. exlensam. l.24. distingue: *coloribus*. Immo. p.60. l.24. σκιᾶς. ἀλλὰ τ̀ ἥλιον. Ibidem: οἰκοῦσι, p.61. l.8. *potuissent odora, nisi*. p.62. l.8. omnem. l.23. Thebaid. p.63. l.25. διέξεισι. l.26. ῥεῖ. l.27. πίνουσι. p.65. l.4. postmodum. l.24. *tu laticem*. l.29. permixtus. pag.67. lin.24. Claudianus. l.26. *Oenotria*. p.68. l.29. *Interdicto*. p.69. l.14. vocati. Adde: Ac etsi JC. Paulus proprie de deportatione loquatur, tamen hoc hactenus etiam in relegatione valet, quia relegati etsi jus civitatis retinent, loco tamen & cœlo spirituque quasi patriæ privantur. Hinc est ut quamvis Ovidius *Exulem a Relegato* separet & JC. dicto loco *exilium* interpretetur deportationem, non raro tamen inveniantur veteres iisdem phrasibus de relegatione uti, quibus alii de deportatione. Hinc Martianus in l. V. D. de interd. & releg. *relegationem exilii* speciem facit, & sæpissime Ovidius iterat *exilium* suum seque vocat *exulem*. Idem *funus*

& *exe-*

& *exequias* ſuas & *mortuum* ſe alibi appellat locis, qui in promptu ſunt. lib. III. El. III. Triſtium:

Cum patriam amiſi, tunc me periiſſe putato:
Et prior & gravior mors fuit illa mihi.

Eodem libro El. XI.

Non ſum ego, qui fuerã: quid inanẽ proteris umbram?
Quid cinerem ſaxis buſtaq; noſtra petis?

Et *jus urbis* fata ſibi dare negat lib. IV. de Põto, El. IX. Suntque plura in hanc ſententiã obvia. Relegatum autem fuiſſe Hetruſcum apparet ex carmine Statii, quod lacrimas ejus inſcripſit:

cumq; horrida ſupra
Æquora curarum socius procul Itala rura
Linqueret, hic molles Campani litoris oras,
Et Diomedeas concedere juſſus in arces,
Atq; hoſpes, non exul erat.

In quo etſi Cæſar arbitrio ſuo fuerat uſus, tamen erat hic quædam ſpecies legum, quæ viceſimo lapide ab urbe relegari libertos ingratos juſſerat. Fuerat autem Hetruſcus libertini generis, etſi a Veſpaſiano in equeſtrem ordinem receptus. Sed de his plus ſatis. Παλιγγενεσίαν ſuam appellat etiam Cicero lib. VI. ad Atticũ ep. VI. pag. ead. l.16. dele illa: & *ver renatus orbis* apud autorem pervigilii. pag. 70. lin. 1. quiſque fere. l.7. *ridendæ*. l.25. quæ ſequitur. pag. 71. l.8. μηδὲν ἐλλιπέσιν. l. 22. κρέ. l.29. ἐλάτlω. l.31. diſtingue: θυρῶν. ἀλγήσας. p.72. l.28. minoriſve. l.31. *lenunculum*. l.34. ærarios. p.73. locus Athenæi mire corruptus eſt. lin.17. poſt ὅθεν adde εἶσας. lin.18. δεῖπνα δαῖτας ἔλεγον ἀπὸ τοῦ διαιτᾶσθαι. l.20. οἴνε. l.21. ἐκέρασε & ἐδίδε. l.31. ſcitamenta. p.74. l.27. *Illi*. p.75. l.7. *arva*. l.10. καὶ πῶς. l.16. ſiqui-

 dem,

dem, una voce. l. 33. *pollicitus*. p. 76. l. 4. Grutero. l. 15. dele, *ter*. mox scribe: *Caunea vel Cauna*. l. 16. distingue: *cocta. Πεπαίνεσθαι*. p. 77. l. 28. quæ. l. 32. quę Κίως. p. 78. l. 14. *servat*. p. 79. l. 27. *χαθυπερζέτη*. l. 32. *τ̃ Ιωνα*. p. 80. l. 1. *ἀφέλῃ*. l. 3. *βότρυας*. l. 4. *ἀμυστὶ ἔχειν*. lin. 21. sunt integra. l. 24. *cum perustis*. l. 26. serissima. p. 81. l. 4. deleantur illa: *Statim. Seneca defensus*. l. 24. post, malint. Quod & rotundius multo & verius. itaque membranaceus noster codex. p. 82. l. 24. distingue & scribe: orsa est. Jam. pag. 83. l. 8. notabimus. Nec aliter Avitus apud Senecam Suasor. 1. mare dicit *deficientis in suo fine naturæ pigram molem*. Ibidemque Fabianus: *rudis & imperfecta natura penitus recessit*. p. 87. l. 3. scribe: numerum a lege Fusia Caninia definitum. l. 4. qui unus. p. 91. l. 1. *lana*. &c. Lingonicū. p. 92. l. 1. post, Serena. adde: Nec ignoratus Claudiano Ausonii locus Epist. 11.

Gramineos nunc frango toros, viridesq; per ulvas
Lubrica substratis vestigia libro lapillis.

Ead. lin. 10. adde post, nata. Nisi ipsum Nasonem dubitasse dicas, *truncis*, an *virgis* mallet: quod vero simile est. Certius est vocem eam restituendam esse Martiali lib. XI. ep. IX.

Lapsa quod hesterni spirant opobalsama drauci.

Antea hic legebatur *externi*, quod sensu inextricabili putabat esse Gruterus. Voluit Delius natator esse Scaliger: sed ita, ut mox fateretur veram scriptionem esse *hesterni*, ut intelligantur unguenta ἕωλα. *Lassa* enim dicit Martialis. Sed vero quicquid dicerent, suspecta semper mihi fuit lectio istius versiculi. Quæ enim suavitas in unguentis hominis obscœni, iisque *lassis*, hoc est, ut explicant, jam abusis, inquinatis, impuratis,

ratis., cum ab amore recens esset. Proba igitur & auro contra æstimanda scriptio, quam suppeditavit nobis MS. codex Pickhaimeri:

Lapsa quod externis spirant opobalsama truncis.

Singula verba correctionis enarrabimus. *Trunci* vocem usurpat autor Herculis Furentis;

quod Phœbum colens
Dives Sabæis colligit truncis Arabs.

Et Ausonius de Myrrha:

Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci.

Sic Dosiades in Ara tus vocat ἴξον ὠώδη τειχέων Νυσίων. Illi *trunci externi* dicuntur, ut *unguenta exotica* Plauto, *externum aurum* Senecæ Medea, Tacito *externus cultus*, *externi coloni* Claudiano II. de raptu. I. Saresberiensis lib. VIII. ait, *peregrinos odores non nisi dissolutis & amatoribus convenire.* Deniq; illa *opobalsama externis truncis lapsa*. Ut Prudentius: *Illic & gracili balsama surculo Desudata fluunt.* Ovidius lib. x. met. *& ab arbore lapsas Heliadum lacrimas.* Conferendum istud epigramma cum LXV. lib. III. Sed *frangere* utitur eodem modo &c. p. 93. l. 13. *tunc.* p. 94. l. 12. *vittis.* adde intra parenthesin. Claudianus:

Continuo frontem limbo velata pudicam.)

Ead. pag. l. 33. post, senex. adde: Iterum lib. I. Thebaidos. *glaucaq; innexus olivæ Vittarum provenit honos.* Et lib. x.

Ponit adoratas Phœbeja insignia frondes,
Longæviq; ducis gremio commendat honorem
Frontis.

Pag. 95. l. 31. post: Orgiorũ sacro. Itaque lib. VII. *juratus in Orgia Ganges.* Ausonius Ep. XXIII.

Sed tu juratis velut alta silentia sacris
Devotus teneas, perstas in lege tacendi.

P.101. l.29. *promineant.* Ovid. lib. XIV. metam.

Imminet aquoribus scopulus: pars ima cavatur
Montibus, & tectas defendit ab aquore rupes.

P.103. l.11. Pollæ. p.107. post lin.21. Ausonius *refugientem*, in Mosella:

Hæc refugit, captumq; sinu sibi vindicat amnem.

P.111. l.26. editio. Nec melius Sabellicus: *jam nunc Cybeleia movit Flumina.* Protreptico Crispini:

Mox Tyrios ex more sinus tunicamq; potentem
Agnovere humeri.

P.114. l.16. placent. p.117. l.34. nec. p.120. lin. 16. *carmine recensere.* Cornelius Severus in Ætna:

Vates
Sub terris nigros viderunt carmine Manes,
Atq; inter cineres Ditis pallentia regna.
Hi Tytion septem stravere in jugera fædum:
Sollicitant magna te circum Tantale pœna,
Sollicitantq; Scinim, Minos tuaq;, Æace, in umbris
Iura canunt, iidemq; rotant Ixionis orbem.

P.125. l.12. post *flebilis.* adde: Sic lib. X. Met.

Eurydicenq; vocant. Vmbras erat illa recentes
Inter, & incessit passu de vulnere tardo.

lin. 15. inamabili. l.23. erant. p.130. l. 17. jussi. Adde: Statius lib. X. Thebaidos:

Flent pueri, & flendi nequeunt cognoscere causas
Attoniti, & matrum tantum lamenta timentes.

Pag.132. lin.13. XXIV. pag.133. l.8. βαρυνόμενος. Merito laudavimus perspicacitatem summi viri, qui solus sententiam vidit. Sed verba paulo aliter concipienda sunt jubente MSC. Senensi:

Augustasq; foras, assuetaq; tecta gravati,
Frondibus & patula defendimus arbore soles.

Nam

Nam *gravamus* a Domitio est; qui fatetur se in Codd. reperisse, *gravatis*. quod proxime a veritate abest. p. 137. l. 9. xxv. p. 138. l. 24. elegantissimum. Valerius Flaccus lib. IV. *nova vis iterum, nova corpora surgunt*. p. 146, l. 10. punire loris. Et evenit hic idem quod in verbo *plecto*: cui prima notio plicare, inflectere, in plicas componere; postea ad punitionem translatum est. pag. 149. lin. ult. more. libro de Fato: *primo illa quæ erant quotidiana & quasi legitima nobis de pace & otio*. pag. 150. lin. 5. inventa traditaque. pag. 152. lin. 9. *creverint*. Valerius Flaccus lib. IV. Amyci dicit, *horrendosq; toris informibus artus*. Ubi ineptissime *toros* interpres lacertos interpretatur. Nec melius hariolatur de Carrione, qui cum sine dubio locum recte intelligeret, vulgum in scriptione vocis secutus est. Nec enim τὸ *tori*, cum τὰ παρωλένια significat, minus quam cum lectos, aspirandum est. p. 153. l. 27. *arida*. p. 154. l. 5. ϛεγανὸς. l. 7. αἴθηναι. Adde: Sic de opere Pygmalionis Ovidius:

Et credit tactis digitos insidere membris,
Et metuit, pressos veniat ne livor in artus.

lin. 31. epigramma. Adde: Sic Arnobius Proserpinam dicit *floridam & succi plenioris*. p. 155. l. 25. *dedignandi*. pag. 159. l. 28. jam. Adde: Sic lib. IV. Thebaid.

portis auriga sub ipsis
Comit equos, & jam inde jugo luctatur Arion.

Pag. 160. l. 4. ostendamus. Insere: Utitur namque adverbio pro nomine adjectivo. *Primo congressu inde*, pro, primo congressu exordiente. Talia sunt lib. III. Annal. *statim turbidis Lepidi rogationibus*. pro; subsecutis statim. lib. IV. *Tralliani*

Laodicenis & Magnetibus simul. id est, conjunctis Laod. & Magnetibus, vel, una cum L. & M. lib.XIII. *Burrhus iis mandatis, Seneca coram, fungebatur.* id est, præsente Seneca. Eodemque libro: *Isq; prisco instituto, propinquis coram, de capite famaq; conjugis cognovit.* Sic Manilius lib.V.

Non illo coram digito, qui juverit, hasta
Defueritq; bonis sector.

Nam hæc vera scriptura est, concilianda ex veterum librorum vestigiis. Qui habent: *Non ullo curam.* item: *hastam.* Sed, *qui juverit hasta,* totidem apicibus est in optimo Gemblacensi. Sensus hic est: *Non defuerit hasta & bonis* (id est, bonis subhastatis, per τὸ ἀπὸ κοινοῦ, ut vocant) *qui ea juvet*, iis adsit, *sector*, *illo* (id est, illius qui Hœdo horoscopante natus est) *digito coram*, (id est, præsente.) Non metuo, ne quis Scaligeri emendationem malit:

Non ullo careat digito, quave iverit hasta.

Aut Junii:

Non nullo curat digito, quaq; iverit hasta.

Aut Barthii:

Non ullo curam digitoq; inviderit hastam.

vel:

Non ullo curtam digito quin juverit hastam.

lib.VI. adversar. cap.XXIII. Canterus notante Susio legebat: *Non udo.* Ipse, *non curat*, explicat: verbo tenus & supine & omissius audit atque cognoscit, nec earum rerum curam in animum dimittit. Interim ritus illius intelligendi gratia omnino adeundus Scaliger. Iterum Tacitus lib.XIV. *collibus circum editis*, pro, circumjacentibus collibus editis. lib.XV. *Iturum ad signa & effigies principis, ubi, legionibus coram, regnum auspicare*

caretur. Et plus millies alibi. *Primo* ergo *congressu inde* similiter dixit, pro, initium faciente primo congressu ostendendi Caledonios, seu, quod idem est, a primo congressu statim. Ut autem Statius *inde*, pro, ab hoc principio, dixit, ita *hinc* &c. p.176. l.27. tutelarum. p.179. l.28. cum Domitiano (an potius: Vespasianus in Ægypto, Domitianus) ad urbem. pag.181. l.7. *quam se.* Sic *tantum vidisse* Cicero lib.1. ad Attic. *triumphabat (quid quæris?) Hortensius se vidisse tantum.* Ubi male J. Gebhardus: *se vicisse tandem. Tantum vidisse*, est tam acutum vidisse, tam *divine cogitasse*, ut alibi loquitur Cicero, tam bonum consilium invenisse. Præcesserat eadem epist. *postea vero quam Hortensius excogitavit*, &c. Quo plus ergo spei concepit de felici exitu consilii, eo magis gavisus est hoc sibi in mentem venisse, tantum se vidisse. Cælius ad Cic. *Hæc novi: alia quæ possunt accidere, non cerno.* Ita ad Atticum lib.x. *Cum autem ex eo quærerem, quid videret, quod exemplum, quam rempublicam; plane fatebatur, nullam spem reliquam.* id est, quid sentiret, quid prospiceret: quomodo interpretaretur istud exemplum, & rempublicam, in qua tale quid admitteretur. Malè enim *τὸ exemplum* in *exitum* mutat Malaspina. p.182. l.22. ideo corrigebat:

(num torva Charybdis
Fluctuat? an Siculi populatrix Virgo profundi?
Quo tibi currenti præceps furit Adria more?)

Hoc est: quo more, sive modo, Adria furit, dum tu instituis iter. Ut hæc parenthesi distinguantur. Doctissimus Scriverius conjiciebat:

Quod tibi currenti præceps ferat Adria? moto
Quæ pax Carpathio?

τὸ præ-

τὸ *præceps* volebat esse substantivum. Ut in Soteriis Rutilii: *subiti præceps juvenile pericli.* Erat ὁ δεῖνα, cui placeret: p.183. l.7. *jacens.* p.188. l.30. ἀγάλματα. pag.196. post l.19. Ita in protreptico ad Crispinum:

nec longa via est, aut avia tellus:
Sed mea secreto velluntur pectora morsu,
Udaq; turgentes impellunt lumina guttas.

Non, inquit, in longinquam abit regionem Crispinus: nihilominus tamen secreto dolore animus mihi cruciatur per amici abitum, & oculi stillant lacrimas. Quod cum non intelligeretur, *Et*, supposuerunt, quod est in editis. p.217. l.2. Gnossis. p.218. l.4. post, *genitrix.* lib. VI. Thebaid. *planctusq; egressa viriles Exemplo famulas premit.* p.219. l.17. *navem.* Quod imitatus JC. Gajus in l.V. D. de D. R. *navem ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare.* pag. 221. l.6. ἔφορον. Claudianus Epithal. Palladii & Serenæ:

Gemmatis alii per totum balsama tectum
Effudere cadis.

P.222. post l.26. insere; Sic lib. XI. Thebaidos: *regimenq; manu tractare cruentum.* Sed prorsus ut noster in Coma Earini, Ovidius lib. I. de arte: *sit docta barba resecta manu.* Et sic ornatricis manum commendat lib. I. Amorum.

Et tibi per doctas grata ministra manus.

Pag.223. lin.17. pro *Thebaide* scribe, *Achilleide.* p.225. l.31. Andromachen aut Euripides Antigonen aut. p.233. l.4. reliquisse. Non absimili Hypallage dixit lib. X. Thebaid. *nisi quos deformis in alto Sanguine degeneres occultat vita.* pro, qui

qui turpiter vitam occultant & tegunt. p.235. l.12. mala. p. 236. post l.29. Versum istum addidimus jussu Codicis MS. quem Leidæ, cum nuper pauculos ibi vacuos dies haberemus, alterna opera mecum contulit elegantissimi ingenii & doctrinæ non protritæ juvenis, Nic. Heinsius, ad paternarum laudum hæreditatem felicissime succrescens. Erat sane quantivis pretii, nec pauca illius ope in magno illo vate restituimus, quæ suo tempore apparebunt. Suspicor omnino versum Claudiani esse, sed ab ipso postea deletum, in quibusdam exemplaribus remansisse. Quare observandum eum potius, quam in textum admittendum existimo. Vulgata enim bene constat, immo rotundior est: &, τὸ *fasces subire* eodem modo accipitur, quo apud Statium. Indignum, inquit, est nos abesse tam optato die, nec visere ædes consulis, quas fasces subierunt, gaudentque subiisse. Ut Statius: *subiere novi Pallatia fasces*. pag.247. l.33. acumen est. Barthius conjicit: *Engonasin Itala nixus*. lib.VIII. adv. c.VIII. p.248. l.15. humeros dixit. Et *projectum* Valerius Flaccus lib.IV. pro, nitente in pronum:

Huc alternus & huc, semper cervice reducta,
Semper & in digitis, & summi pulvere campi,
Projectusq; redit.

Semper & in digitis, dixit pro, primoribus digitis inhærens, insistens. Ut evanescat acumen & gloriatio ejus, qui *digitos* rescribit. Qui si emendationes vocum aliis reliquisset, non toties se sensum Valerii non cepisse prodidisset. pag.253. lin.3. *quondam*. pag.256. lin. 4. *Recedere*. pag. 259. lin. 8. *recessit?* Noster

lib.V.

lib. v. Thebaid. *& semper Thebe funesta recedat.* p.271. l.20. Κώπεις. p.275. l.8. *ederentq;.* p.292. l.7. norunt. Habent autem hoc & membr. Col. quas qui ignorantiæ vel oscitantiæ notas dicit, ignorantiã & ἀκεδσίαν suã, ut sorex, suo indicio prodit. Ovid. lib.XIII. Met. *Phrygiæ signũ penetrale Minervæ.* Et lib.XII. *penetralia donis Haud timuit spoliare suis.* l.XV. *patriumq; simul transferre parabant In sedes penetrale novas.* p.293.l.13. preces. Potest tamen eadẽ lectio aliter explicari: ut videatur allusisse ad jus hominum, quod naturalis ratio suadet. Naturalia jura & pręcepta sacra & sancta sunt, quia divinæ rationis tradux & simulacrũ. Quod autẽ omnes dicunt, aut plurimi, sine factione & corrupto proposito, suggerente ipsis hunc sensum sensu suo, id si cum recta ratione consentiat, haud dubie ab ipsa natura dictatur. Quod ergo populus hoc modo dicit, sacrum est, quia naturæ lex est. Populus vero jubet mendicum a fratre vel filio ali: natura & hominum jus præcipere videtur. Naturæ jussa qui violat, deorum hominumque immemor existimatur, omnium diris devovetur. Itaque populus nunc quoque non alentibus imprecatur: ipsa profecto ergo natura & autor atque administrator ejus Deus detestari eos videtur. Sacra populi lingua est; quia quod omnes dicunt, verum, quod omnes optant, ratum est. Pag.294. lin.22. *mavelit.* In transpositione particularum ejusmodi nescio quid exquisitæ elegantiæ interdum agnoscere videntur veteres. Sed audacissimus in hac parte Arnobius. Cujus unum locum allegabo, in quo doctissimi viri sunt falsi. lib.1. *Ovibus insidiatur lupus: num-*

quid

quid in culpa natura est, quod lanitiis extulit importunissimam belu m? Morsu animam serpens tollit; maledicam si primordiis rerum, quod tam sæva prodigia genituris spirantibus addiderunt? Stewechius ex *si* facit, *ilicet*: Gelenius, Ursinus, Heraldus, *scilicet*. Sed, *maledicam si*, positum est pro, *si maledicam*, quod est, an maledicam. Livius: *posteaquam convenerunt, primum ab iis quæsivit, si aquam hominibus jumentisq; in totidem dies quot frumentum imposuissent.* Propertius:

Mane erat, & volui, si sola quiesceret illa,
Visere.

Græcismus notissimus. Εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν, inquit Servator apud Lucam. Ubi servavit eleganter vetus versio: *Si licet Sabbato curare?* Ut pluribus locis aliis, quæ obvia sunt. Martialis:

Callaicum mandas si quid ad Oceanum.

Frustra interrogat Gruterus an non sit legendum: *numquid*. P.295. l.19. scriptorũ. p.301. l.28. *salutigeruli*. Ovidius: *matriq; salutem Attulit*. pag.307. l.23. *orare manu*. M. Seneca controv. XIX. *In illa controversia viri fortis, qui tertium filium retinet, cum alter filius in tyrannicidio perdidisset oculos, alter in acie manus: Exsurgite nunc viva cadavera, rogate pro fratre. Sed quid ego meos derideo? alter quos roget, non videt; alter quo roget, non habet.* Ita enim legendum est. Intelligit manus. Male vulgo, *quos*. pag.308. Nos in errorem induxit locus Julii Firmici, qui opiliones, armentarios & ovium pastores ex lubidine sua ponit sub Hyadibus. non enim hoc ex Manilio habet. Qui ut sub Hœdis caprarium modo nasci ait, ita sub Suculis subulcum. Dele igitur

lin.9.

lin.9. opiliones, armentarios, &c. Dein ſcribe lin.11. poſt, *paſtores*. Ubi legendum: *ſubulcos*. Similis autem hic Firmici audacia illi, quæ in precedentibus,ubi ſub Hœdis facit naſci ovium paſtores. At *ſuum paſtorem* generare eos dixerat Manilius,id eſt,caprariū.Ita hic cum ſub Suculis naſci ſybotem notaſſet Manilius, liberalior Firmicus de ſuo addit *opiliones, armentarios, oviumque paſtores*. Sed *immundi greges* κατ' ἐξοχὴν ſunt ſues.Quod vidit Scaliger. p.309.l.21. illuſtrati. p.310.l.3. proſecuta. p.311.l.6. poſt, Severum. In Scholiaſtæ loco pro, *antea*, ſcribe: *anxia*. ut ſit prima vox verſus, quem explicat. p.312. poſt l.18. inſere: ubi legendum ex MS. Codice Bibl. Regiæ, cujus excerpta debemus humanitati Cl. Salmaſii: *commiſit vite regendos*. Notiſſima eſt centurionum vitis. Martialis:

Vare Paretonias Latia modo vite per urbes
Nobilis,& centum dux memorande viris.

Silium vulgato & millies in hanc rem citato loco addam,ut emendem, lib.XII.

Ennius antiqua Meſſapi ab origine regis
Miſcebat primas acies: Latiaq; ſuperbum
Vitis adornabat dextram decus. hiſpida tellus
Miſerunt Calabri; Rudiæ genuere vetuſtæ.

Vulgo,*dextra*. P.313.l.13.Antonius.Apud Xenophontē lib.II. Hiſt. Grecæ occiſo jā Theramene nihilominus οἱ τριάκοντα appellantur,cum tantum XXIX eſſent. Et Cicero lib.1. Tuſcul. Queſt. ait Theramenem juſſu triginta tyrannorum in carcerem conjectum. lin. 18. Atqui. pag. 316. poſt lin.1. Sic Abaſcantii hac pietate;

Pacan-

Pacantem terras dominum juvenemq; relinquas
Ipse senex. certæ jurant in vota sorores.

Male ubique editur, *certe*. Sic hominem *certum* pro bono, & cui fidere possis, Cicero in Verrem: *Iste homo certus & diligens ad horam octavam præsto est.* Ibidemque: *propter virtutem & fidem cum Androne, homine honestissimo & certissimo, electus est;* Pro Quinctio: *jura societatis & officia certi patrisfamilias.* Ad Atticum: *certum hominem, sed mirifice etiam abstinentem.* Martialis: *sane certus & asper homo est.* Utitur & Horatius. Sic lib.x. ad Atticum epist.XI. *nihil est enim eo tractabilius: quojus quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi: & quo ille me certiorem vult esse, eo magis timeo, ne in eum existam crudelior.* id est, constantiorem, minus dubium in fortibus consiliis. Frustra substituit Popma, *fortiorem*. p.323. l.6. *admoneretur*. Hinc emendandus Calpurnius Eclog.IV.

Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,
Hæc eadem nobis frater meditatur Amyntas,
Quem vicina meis natalibus admonet æstas.

Ita enim ille scripserat. Sensus est, quem ad meditandum carmen stimulat æstas, quæ vicina est natalibus meis. Genethliacon eum condere ait, inque eo dicturum laudes Cæsaris, cui scilicet omnis felicitas Corydonis debeatur, quique melius ei fatum dederat. Ovidius lib.11. Metam. *ter quinq; ferens natalibus annos.* Barthius conjicit: *admovet æstas:* dicereque Corydonem, fratrem uno se anno minorem. Mox cum videret hanc sententiam consistere non posse, de sanando loco desperat, lib.XII. adversar. cap.x. pag.334. l.10. lucra, l.24. *aves*. Sic *querulus chordas*

das dicit Ovidius lib.v. met. l.29. non possent. Ovidius lib.iv. de Ponto. El.ix.

Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem :
Sed foret a populo tum mihi dulce premi.

Apulejus: *propter cœtus multitudinem, quæ pressura nimia densitate periclitaretur.* quid ergo mirum eos queri? p.336. l.6. confero. Nec dices hoc contra στοργὴν naturalem esse. Ea enim istius seculi infelicitas erat. Ecce Papinium in Lacrimis Hetrusci:

celeres genitoris filius annos
(Mira fides!) nigrasq; putat properasse sorores.

Seneca lib.v. de Ben. *Quam ingrata, vide, sit juventus. Quis non patri suo supremum diem, ut innocens sit, optat? ut moderatius, exspectat? ut pius, cogitat?* Ubi usurpandum illud ex xi. Thebaid.

Hinc questi vixisse senes, hinc pectore nudo
Stant matres, parvosq; vetant attendere natos.

Eadem lin. 34. locutiones. Sic Calpurnius Eclog.iv.

Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas
Possit, & intacto Bromium perfundere vino,
Ut nudus ruptas psallat calcator in uvas.

Ita enim recte prima editio: non, *saliat.* ut subdiderunt mali correctores, cum non intelligerent priscam scripturam. *Psallat in uvas*, est, super uvas saliens psallat. pag.339. l.1: LII. p.343. l.16. *deprenso.* pag.348. l.1. LIII. p.352. l.32. Rhodopeia. pag.355. l.1. LIV. p.360. l.16. LV. p.364. l.30. deleantur illa: Sic Scyronis scelus Sini tribuit autor Ciris. p.381. l.22. dele, *Columella*: & scribe: *Statius, Claudianus correcti.* pag.385. lin.11. inveniret. lin.26. Protesilai. Sed quare *lascivam* dixerit *Phylaceiam*, satis osten-

dit

dit Ovidius in epiſtola Laodamiæ:

Nocte tamen quam luce magis. nox grata puellis,
Quarum ſuppoſitus colla lacertus habet.
Aucupor in lecto mendaces cœlibe ſomnos:
Dum careo veris, gaudia falſa juvant.

P. 394. l. 1. ex Aldina. p. 109. l. 17. *Immitē.* p. 276. poſt l. 26. Ubi ſcribe: *juncta*. Sēſus eſt; tueri Veſtam Palladium, rem romanā, quod perpeti & propinquo igne ſemper aſpicit. Non intelligo conjecturam Scaligeri: *veteraq; Veſtā, quod aſſiduo lumine cuncta videt.* pag. 278. poſt lin. 2. Atque hęc etiam cauſſa eſt, cur Albanam Olivam *Iuleam* appellet Martialis lib. IX. ep. XXXV.

Cujus Iulea capiti naſcantur Oliva,
Deſtinet athereus cui ſua ſerta pater.

nempe quia Albana eſt, & Albæ conditor Julus, ſive Aſcanius. Valde enim fallitur Turnebus lib. XVII. adverſ. cap. IX. cumque eo interpretes, qui *Iuleam* interpretantur ideo dici, quia ab Imperatore dabatur. Cujus ibidem ſecundus error eſt, quod hanc coronam Capitolini certaminis eſſe putat, quæ ſequenti verſu deſcribitur. Tertius eſt, quod *Iulos* dici imperatores probat loco Valerii Flacci lib. I. Argon.

pelagi cui major aperti
Fama, Caledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.

Quid enim apertius, quam per *Iulos Phrygios* Divum Cęſarem; qui ex Æneadum genere & ſic Veneris nepotibus cenſeri volebat, & Juliam gentem, quæ in Nerone defecit, intelligi? quod vidit etiam Barthius. Ac Julium quidem indignari ſe Oceanus Caledonius duobus oſten-

dit naufragiis, quę describit ipse lib. IV. & V. de bello Gallico. De reliquis Cęsaribus ex gente Julia elegans Taciti locus est in vita Julii Agricolæ: *Igitur primus omnium Romanorum Divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, nō tradidisse. Mox bella civilia & in rempublicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniæ etiam in pace. Consilium id Divus Augustus vocabat, Tiberius præcipue. Agitasse C. Cæsarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius autor operis, transvectis legionibus auxiliisq;, & assumpto in partem rerum Vespasiano. quod initium venturæ mox fortunæ fuit: domitæ gentes, capti reges, & monstratus fatis Vespasianus.* Hoc vero adulationis est, quod Vespasiano tribuit, quę quidem revera gesserat, sed auspiciis gesserat Claudii, & propterea ab aliis Claudio attribuuntur. Infelix acumen interpretum est, qui aliter accipiunt. Atque hinc etiam patet nihil sanius summum virum ad *Iuleas voces* in carmine de Phœnice notare. Sed de hoc alibi. pag. 405. lin. 11. τείχιον. pag. 406. l. 20. *canunt*. In epistola dedicatoria corrige: assertam & vindicatam. nam, assertum & vindicatum, in quibusdam legitur exemplaribus. Item inferius: cerulas illas. In secundo carmine: *Attoitos.* ibidem: *dio quæ peritus.* denique: *ille sui decus Ordinis.*

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Numerus Latinus capita, barbarus paginas in Omissis signat.

Arva

C.

Cen-

Deos

E.

Externi

Fran-

Ni-

Pena-

Q.

Que-

Sta-

INDEX AUTORUM

Locorumve, qui præter Statii Silvas emendantur & illustrantur.

Luca-

Silva Ad
Joh. Fredericum Gronovium, cum exercitationes in Silvas Papinii Statii ederet.

*Si quid habent Musæ, si quid Parnassia rupes
Dircæusve latex, vel si quid Phocidos undæ,
Omne mihi deplere libet. Discedite curæ,
Anxia neve meas incestent Iura Camœnas.
Iam paulum requiesce senex, cui Principis ætas
Commendata fuit, cujus Prætoria nutu
Romanæq; olim moverunt signa cohortes.
Iam Nerva, jam Celse sile: dum pectora Phœbus
Concutit, atque ipsas spirant præcordia Musas.
Inclite Gronovi, te primo in limine vitæ
Suscepit Dea Clio sinu, cunisque jacentem
Hippocrenigenæ circumsiluere sorores.
Ipse mihi dixit (nec sunt insomnia) Phœbus
Sæpe pater, cum prima atras lux pelleret umbras,
Has tibi nascenti fudisse oracula Parcas:
Vive puer, pubesce puer: te fama per omnes
Disperget terras, & dedignata teneri
Ignotos audax etiam prorumpet in Orbes.
Cognoscent tua scripta viri, quos Itala tellus,
Quosque coruscanti stagnans Tagus abluit auro,
Si qua jacet gens nascenti jam conscia Nilo,
Te Belgæ, Gallique acres, gelidique Triones
Suspicient juvenem, mirabunturque canentem.
Ipse Albis, qui te nondum vernantibus annis
Fluminea mulcebit aqua, qui sæpe virenti
Suscipiet ripa, delectatoq; lapillis
Ipse suos vitreo lapides tibi suggeret alveo;
Ad cantus persæpe tuos suavemque cicutam*

Immo-

Immotis hærebit aquis: nec nauta queretur
Tardius ire rates, sed saxi immobilis instar
Hauriet insolitos jucundo pectore cantus.
Ipsum Pana greges, ipsum Corydona relinquent,
Cum tua Gambriviis resonabit fistula campis.
Najades fontes, & mitis Hamadryas antra,
Et Dryades querulæ linquent habitacula silvæ.
Huc sors usque tibi felix. nam sævior inde
Excipiet Fortuna tuos: teque atra per omnes
Iactabit terras. Sed mens invicta nec ullis
Delassata malis, Fortunæ obversa furenti,
Te tandem ad Batavos securum deferet agros.
Hic fortis vitæque potens fulgentia tolles
Ingenii vexilla tui, magnusque latebras
In cæcas veteresque rues, fædosque recides
Autorum nævos: & ne quid restet inausum,
Antiquos veterum cunctis donabis amictus.
Ipse tuos doctus mirabitur Heinsius ausus,
Heinsius Arctoæ clarissima gloria terræ,
Et qui nunc Batavos famâ Gallosque fatigat,
Te cupidum cupidis nectet Salmasius ulnis.
Vive puer; Pyliæ longe egrediere senectæ
Tempora, nec primis Hecate candentia fusis
Abrumpet tibi fila manu, sed fruge juventæ
Victa tuæ longos flōrem pernebit in annos.
Hæc Phœbus canæque tibi nova fata sorores
His pariter cecinere modis, nec verior unquam
Obliqua effudit falsis oracula Delphis.
Iam genii vis celsa tui tonat, æthera pulsat,
Et non insueto tremefecit murmure Belgas.
Antiquas quis mentis opes, ductosque metallo
Quis narret meliore locos? jam lætior Vmbras
Permeat & proprias agnoscit Varro lituras.
Romanæ vox prima togæ, magnique Senatus
Iam Cicero sua scripta tuo splendere labore

Gaudet, & Elysiis laudat tua nomina Rostris.
Lætantur, quot vatum animæ. sed Statius omnes
Vincit & exterso testatur gaudia vultu.
Ipse tibi grates Lethæi ad fluminis undas
Virgilio laudante canit, qua purior æther
Irradiat, quos nulla brevis contagia vitæ
Nec fœdi tenuere metus, sed vivida virtus
Extulit, & merito tandem sacravit Olympo.
Macte animo Gronovi, & tales sæpius orbi
Exhibeas fœtus. sic te licet invida primo
Ætatis sub vere tuæ mors raptet, & ipse
Sit mendax Phœbus, vel forte Oracula fallant,
Perpetuos dabit excultus tibi Statius annos.

PETRUS STRATENUS.

FINIS.